IVS

BORVSSICO - BRANDENBVRGICVM

COMMVNE.

TOMI PRIMI

PARS PRIOR.



Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas



Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

IVS

BORVSSICO-

BRANDENBVRGICVM

COMMVNE.

EX GERMANICO LATINE VERSVM.

TOMI PRIMI

PARS PRIOR.

BIBLIOTHEQUE CUJAS
PARIS

BEROLINI MDCCC.

APVD GOTTFRIDVM CAROLVM NAVCK.

Source : BIU Cujas

IVS

BORVSSICO-

BRANDENBVRGICVM

Source : BIU Cujas

In

tomi primi parte priori continentur.

Introductio.

I. De legibus in genere. - - - pag. 3—11.

II. Principia iuris generalia. - - - — 11—14.

Tomi primi.

TITVLVS I. De perſonis, earumque iuribus in genere. - - - — 15—18.

TITVLVS II. De rebus, earumque iuribus in genere. - - - - — 19—31.

TITVLVS III. De actionibus et iuribus inde oriundis. - - - — 32—35.

TITVLVS IV. De voluntatis declarationibus. — 36—52.

TITVLVS V. De pactis. - - - — 53—94.

TITVLVS VI. De officiis et iuribus, quae ex actionibus illicitis oriuntur. - - — 95—108.

TITVLVS VII. De detentione et poſſeſſione. — 108—131.

TITVLVS VIII. De dominio. - - - — 131—150.

TITVLVS IX. De acquirendo dominio in genere, et de modis acquirendi immediatis ſpeciatim. - - - — 150—215.

Sectio I. De occupatione originaria. - — 150—151.

Sectio II. De occupatione rerum derelictarum et amiſſarum. - - — 151—157.

Sectio III. De theſauris inuentis. - — 157—160.

Sectio IV. De ferarum captura. - — 160—168.

Sectio V. De praeda bellica. - - — 168—170.

Sectio VI. De acquiſitione acceſſionum et accretionum. - - — 170—182.

Source : BIU Cujas

Sectio VII. De miſſilibus, ſeu pecuniis aut rebus dimiſſis. - - pag. 183.

Sectio VIII. De hereditatis acquiſitione. — 183—198.

Sectio IX. De praeſcriptione. - - — 198—215.

TITVLVS X. De acquiſitione dominii mediata. — 215—217.

TITVLVS XI. De dominii acquirendi titulis, ex pactis inter viuos oriundis. - — 218—336.

Sectio I. De emtionis venditionis pactis (ſ. de negotiis emti et venditi.) — 218—254.

Sectio II. De permutationis pacto. - — 254—256.

Sectio III. De ceſſione iurium. - - — 256—262.

Sectio IV. De hereditatis emtione venditione. - - - — 263—268.

Sectio V. De contractu aeſtumatorio. - — 269—270.

Sectio VI. De contractibus aleam continentibus et ſpei dubiae. - — 270—282.

Sectio VII. De mutuo. - - — 282—305.

Sectio VIII. De pactis, quibus res pro factis, aut facta pro factis promittuntur. (do vt facias, facio vt facias.) - - - — 305—322.

Sectio IX. De donationibus. - - — 322—336.

Source : BIU Cujas

INTRODVCTIO.

§. 1. Ius Borussicum commune praecepta continet, ex quibus ciuium iura et obligationes diiudicandae sunt, quatenus legibus singularibus non sunt definitae. I. De legibus in genere.

§. 2. Constitutiones prouinciarum singulares, et statuta vniuersitatum (s. communitatum) singularum ac societatum vim legis non obtinent, nisi imperantis auctoritate sint munitae.

§. 3. Iura consuetudinaria et obseruantiae, si in prouinciis et vniuersitatibus singulis vim legis habere debeant, codicibus prouincialibus insertae sint necesse est.

§. 4. Quatenus autem aliquid, legibus non decisum, obseruantiis definitur, eatenus de eo valet obseruantia, donec definitio subsequatur legalis.

§. 5. Quae in casibus vel rebus singularibus imperans statuit, ea pro legibus haberi in casibus aut rebus aliis non possunt.

§. 6. Ad Iurisconsultorum opiniones vel iudicum praeiudicia (s. praeiudicata) antiquiora in posterum non respiciendum est in decidendo.

§. 7. Concepta formula omnis legis nouae, qua debent ciuium iura et obligationes singulares definiri, Legum conceptio.

Source : BIU Cujas

aut iura communia immutari, (f. abrogari) fuppleri, vel declarari, (explicari) antequam lex fertur, commiſſioni legislatoriae, (*Geſetz-Commiſſion*) proponatur, quae de ea cognoſcat.

§. 8. Commiſſio legislatoria in arbitrio ferendo non ſolum ad leges iam latas et iura iam extantia reſpiciat, ſed ſimul ad legis nouae propoſitae aequitatem et vtilitatem; et legis dandae formulam proponat perſpicuam atque definitam.

§. 9. Qui praeſunt ſingulari cuique reipublicae adminiſtrandae (regiminis) parti (*Departement*) in conſilio ſtatus, (*Staatsrath*) religione adſtringuntur et officio tenentur, prouidere, ne modus hic in legibus nouis ferendis praeſcriptus in caſu vllo laedatur.

Promulgatio. §. 10. Lex obligandi vim ab eo demum habet tempore, quo rite promulgata eſt.

§. 11. Leges igitur omnes, quod ad earum ſententiam attinet, in locis publicis conſuetis affigendae, et in epitomen redactae promulgandae ſunt in prouinciae, cui lex data, ephemeridibus.

§. 12. Obligatur autem reipublicae ciuis omnis, vt leges ad ipſum vel ad quaeſtum ipſius et actus pertinentes accurate cognoſcat; neque quisquam ſe excuſare poteſt ignorantia legis rite promulgatae.

§. 13. In eo tantum caſu, quo actus, antea liciti vel pro indifferentibus habiti, legibus poenalibus ſunt limitati, vel prohibiti, audietur adhuc has leges violantis exceptio:

> ſe, licet officiorum ſuorum nullum neglexerit, ante factum commiſſum ignoraſſe, factum fuiſſe prohibitum.

Legum applicatio. §. 14. Leges nouae ad actus et caſus praeteritos referri nequeunt.

Source : BIU Cujas

§. 15. Legis antiquioris declaratio (explicatio), legislatori neceſſaria viſa et rite promulgata, in cauſis omnibus adhuc decidendis rem decidit.

§. 16. Si forma tantum actus cuiusdam externa ſit mutanda, et ſi hoc praeceptum in actibus omnibus, qui mutari adhuc poſſunt, ſit obſeruandum; ad eum finem temporis ſpatium ſufficiens lege ipſa praefinitum ſit, neceſſe eſt.

§. 17. Actus, ante peracti, qui forent inualidi ob defectum formalium ſecundum leges antiquiores, validi ſunt, quatenus negotio inſunt, tempore litis de eo ortae, formalia ſecundum leges recentiores neceſſaria.

§. 18. Mitigatio poenae, antiquiore lege in legem violantem conſtitutae, prodeſt et illi, qui tempore promulgationis legis recentioris poenam conſtitutam nondum luit.

§. 19. Quatenus vero ex actu prohibito iura priuata exoriuntur, eatenus legum, quae valuerunt actus tempore, habenda ratio.

§. 20. Si dubium eſt, vtrum delictum fuerit ante legis recentioris promulgationem commiſſum, an poſt eam; in definienda poena ſecundum legem decidendum mitiorem.

§. 21. Caeterum in diiudicandis controuerſiis ſingulis leges omnium communes legibus prouincialibus, leges prouinciales ſtatutis, ſtatuta denique aliis iuribus rite quaeſitis poſtponuntur.

§. 22. Reipublicae leges ciues obligant omnes ſine ſtatus, ordinis et ſexus diſcrimine. Quem leges obligent. In genere.

§. 23. Qualitates perſonales, et iura hominis diiudicantur ex legibus fori domicilii, vbi quis animo habitat, ſedem fixam ibi habendi.

Source : BIU Cujas

§. 24. Solus ex iurisdictionis finibus discessus, ex quo non satis certe apparet animus, in alio loco sedem fixam s. domicilium constituendi, non immutat iura et obligationes personales eius, qui discessit.

§. 25. Dum quis sedem fixam nullam habet, iura et obligationes eius personales diiudicantur ex legibus loci originis.

§. 26. Si locus originis sit ignotus, aut extra terras regias situs, praecepta obtinent iuris communis, aut loci, quo praesens commoratur, leges singulares; prout his vel illis actus ab ipso susceptus sustineri conuenientius potest.

§. 27. Si quis domicilium duplex habet, facultas eius agendi diiudicatur ex illius fori legibus, quibus negotium optime sustinetur.

Qua res mobiles.

§. 28. Bona hominis mobilia, nulla eiusdem domicilii praesentis ratione habita, diiudicantur ex eius fori competentis ordinarii legibus. (§. 23.)

§. 29. Si duplici foro est subiectus, loci, quo res est, iura praeualent.

§. 30. Quod si vero in eiusmodi casu (§. 29.) bona mobilia, tempore actus ad ea pertinentis loco sint tertio, eius loci applicandae leges, quae proxime ad ius commune terrarum Borussicarum accedunt.

§. 31. Bona mobilia eius, qui sedem fixam nullam habet, diiudicantur ex legibus loci, quo praesens commoratur, at status tamen eius personalis ratione habita.

Qua res immobiles.

§. 32. Quod ad bona immobilia attinet, leges valent fori, cui res immobilis subiecta, domini personae ratione nulla habita.

Qua formam actuum s. actionum.

§. 33. Leges prouinciales et statuta, quibus actus solennitas definitur externa, vim tantum habent in

Source : BIU Cujas

iis actibus, qui in foro, cui lex data, peraguntur; et quidem a perſonis huic foro ſubiectis.

§. 34. Subditi etiam aliorum imperantium (peregrini ſ. extranei) in terris Boruſſicis commorantes, aut negotia curantes ex principiis antecedentibus diiudicandi. Ratione peregrinorum.

§. 35. At peregrinus tamen, in terris Boruſſicis de rebus, quae ibi ſunt, pacta contrahens, ratione facultatis agendi iis iudicatur legibus, quibus actus optime ſuſtinetur.

§. 36. Imperantium exterorum legatis et reſidentibus, ac perſonis ad eorum comitatum et famulitium pertinentibus, immunitates reſeruantur ipſis conceſſae ſecundum ius gentium et conuentiones cum eorum principibus factas.

§. 37. Vaſalli indigenae et ſubditi, a principe extero literis creditiuis imperante conſentiente inſtructi, in actibus priuatis legibus Boruſſicis manent ſubiecti.

§. 38. Legati literis creditiuis inſtructi, ad aulas exteras ab imperante miſſi, iudicantur legibus fori Boruſſici eius, cui, antequam legationis munus ſuſciperent, ob domicilium tempore poſtremo fuerunt ſubiecti.

§. 39. Qui vero ſi ſint alienigenae, in terris regiis in ius vocati diiudicantur ſecundum praecepta iuris Boruſſici communis.

§. 40. Quem leges ex altera parte obſtringunt obligationibus, eidem et ex parte altera praeſidio ſuo proſunt.

§. 41. Subditi igitur peregrini ſ. extranei in curandis negotiis licitis omnibus tamdiu fruuntur in terris Boruſſicis ciuium iuribus, quam diu legum praeſidio ſe indignos non reddunt.

Source : BIU Cujas

§. 42. Iura rerumpublicarum (ſ. ſtatuum) aliarum diuerſa, nondum ab hac regula faciunt exceptionem.

De iure retorſionis.

§. 43. Si autem respublica alîa in detrimentum peregrinorum in genere, aut ſubditorum Boruſſicorum in ſpecie, leges ferat oneroſas, aut ſciens toleret abuſus in ſubditorum Boruſſicorum detrimentum, ius retorſionis (talionis) locum habet.

§. 44. Iudices inferiores absque ſuperiorum conſenſu expreſſo retorſionem decernere nunquam poſſunt.

§. 45. At contra, et peregrini retorſionis iuri ſubducere ſe non poſſunt, cedendo iura ſua ſubditis Boruſſicis aut aliis, commodis maioribus gaudentibus.

Legum interpretatio.

§. 46. In decidendis cauſis controuerſis iudici legibus ſenſum non alium ſubiicere licet, niſi eum, qui clare apparet, ex verbis et eorum contextu, ad rem litigioſam relatis, aut ex proxima legis ratione indubitata.

§. 47. Iudicem, cui verus legis ſenſus videtur dubius, absque partium denominatione commiſſioni legislatoriae dubia ſua indicare oportet, eiusque diiudicationem petere.

§. 48. Iudex commiſſionem legislatoriam conſulens, huius quidem deciſionem in ſententia ſua, de hac cauſa ferenda, pro baſi accipere tenetur, partibus vero contra ſententiam latam ſalua manent remedia conſueta.

§. 49. Iudicem, qui legem non inuenit, quae ad decidendum caſum litigioſum valeat, pro optima quidem, qua callet, ſcientia atque peritia decidere oportet ſecundum codicis legum principia generalia, et conſtitutiones in caſibus ſimilibus extantes;

Source : BIU Cujas

§. 50. At ſimul eum oportet hunc, quem inueniſſe putat, legum defectum iuſtitiae praeſidi ſummo indicare.

§. 51. Quo defectu indicato ſi anſa detur legis nouae poſtea ferendae; ea tamen ad actus iam antea valide perfectos nihil valet.

§. 52. Si quaeſtio eſt de lege, ſtatuto aut priuilegio prouinciali; conſilium, cui iuſtitiae cura eſt demandata (*Juſtiz-Departement*), antequam res commiſſioni legislatoriae proponitur, collegiorum prouincialium arbitrium de ea expetat.

§. 53. Vbi lex nulla prouincialis, aut alia conſtitutio ſingularis nulla extat, ſemper valent praecepta codicis legum communium.

§. 54. Priuilegia et immunitates conceſſae in caſu dubio ita ſunt interpretandae, vt tertio quam minimo ſint detrimento.

§. 55. Caeterum priuilegia et immunitates conceſſae ita ſunt interpretandae, vt beneficus concedentis finis propoſitus efficiatur, neque irritus fiat.

§. 56. Priuilegia atque immunitates pacto oneroſo acquiſitae ſecundum regulas de pactis interpretandae et diiudicandae.

§. 57. Praeterea eiusmodi leges et conſtitutiones ſingulares omnes ſic ſunt interpretandae, vt iuris communis praeceptis et fini reipublicae primario quam maxime conueniant.

§. 58. Caeterum, ſi caſus ſit dubius, magis reſpiciendum eſt ad priuilegii ſenſum verbalem, quam ad conceſſionis primae rationes mouentes, (cauſas impulſiuas) in priuilegio memoratas.

Source : BIU Cujas

Abrogatio legis.

§. 59. Leges vim habent, vſque donec a legislatore expreſſe abrogantur.

§. 60. Vti conſuetudinibus, Iurisconſultorum opinionibus, iudicum ſententiis, aut conſtitutionibus, in caſibus ſingularibus editis, leges nouae non poſſunt introduci, ita nec leges iam latae ea ratione poſſunt abrogari.

§. 61. Statuta et leges prouinciales non abrogantur legibus communibus nouis, niſi in his abrogationis illarum expreſſe facta ſit mentio.

§. 62. In abrogandis ſtatutis ſpecialibus, legibus prouincialibus, et priuilegiis illi, quorum proxime intereſt, legitime audiantur, neceſſe eſt.

§. 63. Priuilegia perſonae certae conceſſa priuilegiati morte extinguuntur.

§. 64. At contra, iura et priuilegia, rei inhaerentia, ad quemque poſſeſſorem transeunt, niſi leges aut conceſſionis inſtrumenta, aliud expreſſe ſtatuant.

§. 65. Si vnus poſſeſſor aut alius eſt incapax exercendi iuris rei inhaerentis, hoc ius quieſcit, donec impedimenta legalia ſunt remota.

§. 66. Priuilegium aut ius, perſonae cum re coniunctae (rei nexae) conceſſum, ſeiunctione poſſeſſoris et rei extinguitur.

§. 67. Priuilegia, non niſi ad certum tempus conceſſa, tempore elapſo extinguuntur.

§. 68. Priuilegium non niſi ſub conditione definita expreſſe conceſſum exerceri nequit, niſi adimpleatur iſta conditio.

§. 69. Ceſſant et priuilegia ad certum finem conceſſa, ſi finis plane non, vel in poſterum non amplius poteſt effici.

Source : BIU Cujas

§. 70. Priuilegia, ſi vel pacto oneroſo ſint acquiſita, respublica poteſt delere, at non niſi vrgente ſalute publica, et non ſine priuilegiati indemnitate ſufficiente.

§. 71. Indemnitas ipſa definiri non poteſt, niſi pacto, aut iudicis ſententia.

§. 72. Qui priuilegii conceſſi abuſus grauis in reipublicae aut conciuium detrimentum iudicis ſententia conuincitur, iure ſuo priuatur merito, neque eius indemnitatem petere poteſt.

II. Principia iuris generalia. Relatio reipublicae ad ciues.

§. 73. Omne reipublicae membrum ad ſalutem et ſecuritatem reipublicae promouendam pro ordine et viribus obligatur.

§. 74. Membrorum reipublicae iura et commoda ſingularia, colliſione vera exorta, ſunt poſtponenda iuribus et obligationibus, ſaluti publicae promouendae inſeruientibus.

§. 75. At contra, respublica indemnem praeſtare tenetur eum, qui in rei publicae ſalutem iuribus atque commodis ſuis ſingularibus (particularibus) renuntiare cogitur.

§. 76. Omnis reipublicae (ſtatus) ciuis huius praeſidium perſonae ſuae et bonis ferendum iure poſtulat.

§. 77. At contra, nemini licet, ius ſuum per ſe ipſum (vi propria) perſequi.

§. 78. Iuris ſui per ſe ipſum (vi propria) facta perſecutio in eo tantum caſu poteſt excuſari, ſi reipublicae auxilium ad auertendum damnum irreparabile nimis ſero eſſet venturum.

§. 79. Controuerſiarum obuenientium deciſio, aeque ac poenae conſtituendae, ſunt committendae foro, cui quisque reipublicae ciuis legibus eſt ſubiectus.

Source : BIU Cujas

§. 80. Quin et cauſae imperantis et eius ſubditorum in foro ordinario ſecundum legum praecepta ſunt cognoſcendae et decidendae.

§. 81. Defenſionem contra hoſtes exteros respublica (ſtatus) a ſola imperantis diſpoſitione expectat.

Fontes iuris.

§. 82. Hominis iura oriuntur ex natitiuitate, ex ordine, et actibus vel euentibus, quibus leges definitum tribuerunt effectum.

§. 83. Hominum iura communia nituntur libertate naturali, ſalutem ſuam quaerendi et promouendi, absque laeſione iurium alterius.

§. 84. Iura et obligationes ciuium ſingulares (particulares) ex perſonali pendent ratione, quae intercedit cuique cum alio et cum republica ipſa.

§. 85. Iura et obligationes, ex factis aut euentibus oriundae, legibus ſolis definiuntur.

§. 86. Iura, quae legibus non innituntur, imperfecta vocantur, et neque actionem, neque exceptionem iudicialem fundant.

§. 87. Actiones nec legibus naturalibus nec poſitiuis prohibitae vocantur licitae.

Exercitium iuris.

§. 88. Quatenus quis ius habet, eatenus ei eſt facultas, exercendi iuris, limitibus eius obſeruatis legitimis.

§. 89. Cui leges ius tribuunt, ei et concedunt media, ſine quibus ius exerceri nequit.

§. 90. Qui iure gaudet, ei facultas eſt, percipiendi commoda omnia, quae iuris vſu legitimo comparare ſibi poteſt.

§. 91. Ius ad maiora aut plura, ſemper in ſe continet ius ad minora aut pauciora eiusdem generis.

§. 92. Ex iure alterius obligatio ſequitur alterius, ad ea praeſtanda vel patienda, quae ad ius exercendum ſunt neceſſaria.

Source : BIU Cujas

§. 93. Qui impedit alium, quo minus iure suo vtatur, is eum laedit, et damnum omne ac detrimentum, inde ortum, huic reparare tenetur.

§. 94. Qui vero legibus conuenienter iure suo vtitur, ad resarciendum damnum ea occasione ortum non obligatur.

§. 95. Si ius alterius iuris exercitio alterius obstat, ius minus cedat maiori. Collisio.

§. 96. Deficientibus singularibus legum praescriptis, is, qui exercendo iure suo commodum quaerit, postponatur illi, qui tantum cogitat de damno auertendo.

§. 97. Si iura quae colliduntur, eiusdem sunt qualitatis, vtrumque eorum, quibus ius competit, de iure suo tantum oportet cedere, quantum sufficit, ad conseruandum iuris vtriusque exercitium.

§. 98. Res ipsa inter disceptantes manet in statu, quo hactenus fuit, donec iudex collisionis casum decidendo definiat.

§. 99. Iura personae certae, aut certis eius qualitatibus non adstricta, ab alio in alium possunt transferri. Cessio s. translatio iurium.

§. 100. Qui in alium ius suum transfert, commoda simul omnia, cum iure coniuncta, transferre in eum voluisse praesumitur.

§. 101. At nemo plura, quam ipse possidet, iura in alium potest transferre.

§. 102. Iura, personae soli inhaerentia morte eius extinguuntur. Iuris amissio.

§. 103. Iura vero, quae pleno (libero) dominio adnumerantur, possessoris morte transeunt ad alios secundum propiorem legum definitionem.

Source : BIU Cujas

§. 104. Iura ordini ſ. dignitati ſoli inhaerentia a poſſeſſore propria auctoritate in alium transferri nequeunt, et cum dignitate ſ. ordine amittuntur.

§. 105. Iuri ſuo renuntiare voluiſſe nemo praeſumitur.

§. 106. Voluntatis igitur declaratio, qua quis iuri renuntiat, aut ius in alium transfert, perſpicua et certa ſit, neceſſe eſt.

§. 107. Ius tamen ſecundum legum definitionem propiorem etiam per non-vſum aut abuſum poteſt extingui.

§. 108. Ius dependens a iure aut re alia exiſtente vel ſubſiſtente, ſimul amittitur cum iure aut re, quibus nititur.

Source : BIU Cujas

PARS PRIMA.

TITVLVS PRIMVS.

De perſonis, earumque iuribus generatim.

§. 1. Homo, quatenus certis in ſocietate ciuili fruitur iuribus, appellatur perſona. Perſona.

§. 2. Societas ciuilis conſtat ex ſocietatibus et ordinibus minoribus pluribus, natura aut lege, aut vtrisque ſimul coniunctis. Iura perſonarum.

§. 3. Coniunctio (nexus) inter coniuges, atque inter parentes et liberos ſocietatem conſtituit domeſticam, proprie ſic dictam.

§. 4. At vero famulitium ſocietati quoque domeſticae adnumeratur.

§. 5. Origine a communibus ſtirpis auctoribus familiae rationes fundantur.

§. 6. Perſonae omnes, quibus reſpectu generis, (ortus), vitae generis, cui deſtinatae, aut negotii primarii in ſocietate ciuili iura paria ſunt conceſſa, ordinem quendam reipublicae (ſtatus) conſtituunt.

§. 7. Cuiusuis ordinis membra, qua talia, ſingulatim conſiderata, habent certa iura et officia.

§. 8. Alia iis eatenus tantum competunt, quatenus membra plura ſocietatem ſingularem conſtituunt.

§. 9. Iura et officia diuerſarum reipublicae ſocietatum ex relatione ad ſe inuicem et ad reipublicae (ſtatus) principem propius definiuntur.

§. 10. Iura hominibus communia infantibus etiam nondum natis competunt, iam inde ab eorum conceptionis tempore. Iura nondum natorum,

Source : BIU Cujas

§. 11. Infantibus iam natis prospicere obligato eadem sunt officia in embryones, s. infantes in vtero matris adhuc conditos.

§. 12. Iura ciuilia, quae infanti nascituro competerent, si conceptionis tempore iam fuisset editus, eidem, si viuus prodeat ex vtero materno, salua reseruantur.

§. 13. Partum fuisse viuum editum, hic iam pro certo habendum, si testes non suspecti, dum partus edebatur praesentes, clamorem eius clare audierunt.

geminorum, §. 14. Infantes duo aut plures, eodem partu viui editi, iisdem plane in regula gaudent iuribus.

§. 15. Sin vero primogenito iura competant praecipua, accurate est eruendum temporis momentum, quo mater alium post alium peperit.

§. 16. Quod si satis certo fieri nequeat, fors decidit de primogeniturae iuribus.

prodigiorum, §. 17. Partus humana forma et figura destituti iura familiae et ciuis vindicare sibi nequeunt.

§. 18. Eiusmodi monstra si viuunt, secundum §. 11. sunt alenda et, quantum fieri potest, seruanda.

hermaphroditorum. §. 19. Hermaphroditis editis, parentes definiunt, cui sexui sint educandi.

§. 20. At nihilominus eiusmodi homini, anno peracto decimo octauo, electio est integra, ad quem sexum referre se velit.

§. 21. Qua electione facta eius iura in posterum diiudicantur.

§. 22. Si autem a sexu eius, qui hermaphroditus putatur, tertii iura pendeant, hic tertius postulare potest, vt de sexu artis periti cognoscant.

§. 23. Iudicium artis peritorum decidit sexum, licet hermaphroditi eiusque parentum electioni aduersetur.

Discrimen sexus, §. 24. Iura sexus vtriusque sunt paria, quatenus legibus singularibus aut legitimis voluntatis declarationibus nihil aliud fuit definitum.

§. 25.

Source : BIU Cujas

§. 25. Si de iuribus hominum, reſpectu aetatis, agitur, infantes dicuntur, qui annum ſeptimum, et impuberes, qui decimum quartum nondum exceſſerunt. aetatis,

§. 26. Minores ſine diſcrimine loci, originis et ordinis ſunt, qui annum aetatis viceſimum quartum nondum ſunt egreſſi.

§. 27. Furioſi et infani vocantur, qui intellectus et ſanae rationis vſu plane ſunt deſtituti. animi facultatum.

§. 28. Quibus deeſt facultas, actuum ſuorum effectus reputandi, mentis imbecillis eſſe dicuntur.

§. 29. Infani et furioſi intuitu iurium, quae ab aetatis diſcrimine pendent, infantibus aequiparantur, at, qui mentis ſunt imbecillis, impuberibus.

§. 30. Prodigi dicuntur, qui ſumtibus temerariis et inutilibus, aut negligentia improba opes profundunt, aut aere alieno ſe obruunt.

§. 31. Prodigi, ſententia iudicis tales, minoribus aequiparantur.

§. 32. Qui ob maiorennitatem nondum adimpletam, aut ob animi defectum, rebus ſuis praeeſſe ipſi nequeunt (§. 25-31.), ſub ſingulari ſunt reipublicae auctoritate et cura. Tutores ſ. curatores et pupilli.

§. 33. Cui respublica eiusmodi perſonarum negotia curanda demandauit, tutor vocatur ſ. curator.

§. 34. Qui vixit, eius mors eſt probanda, ſi de rebus et iuribus eius iam acquiſitis, tanquam mortui, debeat diſponi. Vita et mors.

§. 35. Ad mortem probandam ſufficit, ſi de eius, qui graue vulnus in bello accepit, vita et domicilio intra annum poſt pacem celebratam nemo eſt certior factus.

§. 36. Idem locum habet, ſi de vita et domicilio nauigantis, naui, in qua vectus fuit, ſubmerſa, triennio poſt nihil innotuit.

Source : BIU Cujas

§. 37. Quibus casibus exceptis, qui vixit, et cuius mors probari nequit, praeterlapsis tantum terminis legibus definitis ex iudicis sententia pro mortuo potest declarari. (Part. II. Tit. XVIII. Sect. VIII.)

§. 38. Si autem de eo agitur, an quis eo tempore, quo hereditas aut aliud commodum ipsi delata, adhuc vixerit, is, de cuius vita et morte explorari nihil potest, annos tantum septuaginta confeciſſe praesumitur.

§. 39. Si duo aut plures vitam in communi periculo aut occasione alia vno eodemque tempore ita amiserunt, vt cognosci nequeat, quis prior mortuus sit, statuendum est, neutrum fuisse superstitem s. prouixisse.

Parentes et liberi.

§. 40. Si de familiae rationibus agitur, parentes et liberi appellantur lineae ascendentis et descendentis cognati, sine discrimine gradus.

§. 41. Dum parentes et liberi gradus primi viuunt, ea appellatione aui et nepotes in regula non continentur.

Consanguinei.

§. 42. A communibus stirpis auctoribus procreati vocantur consanguinei.

Affinitas.

§. 43. Coniunctio s. connexio ex nuptiis inter coniugem alterum et coniugis alterius consanguineos exorta, vocatur affinitas.

Coniunctiones non germanae.

§. 44. Coniunctiones non germanae ex legis sensu subsistunt tantum inter coniugem alterum et coniugis alterius liberos, ex matrimonio alio susceptos.

§. 45. Cognationis gradus determinantur ad generationum numerum, quo personae cognatae duae ad communem originem referuntur.

Source : BIU Cujas

TITVLVS SECVNDVS.

De rebus, earumque iuribus in genere.

§. 1. Res in genere ex legis ſenſu dicitur omne id, quod iuris vel obligationis obiectum eſſe poteſt. Quid ſit res.

§. 2. Actus quoque hominum, et eorum iura, quatenus conſtituunt iuris alius obiectum, in generali rerum appellatione continentur.

§. 3. In ſenſu ſtrictiori res tantum dicitur id, quod aut natura ſua, aut ex hominum conuentione ita per ſe conſtat, vt obiectum iuris permanentis eſſe poſſit.

§. 4. Ad ſubſtantiam rei pertinent partes et qualitates rei omnes, ſine quibus res non poteſt eſſe id, quod debet repraeſentare, aut non praeſtat vſum, ad quem eſt deſtinata. Rei ſubſtantia.

§. 5. Quamdiu itaque, commutatione aut permutatione ſingularum rei partium, neque res ipſa extincta, neque praecipuus eius vſus eſt commutatus, tamdiu in eius ſubſtantia nulla eſt facta commutatio.

§. 6. Prout res ſine ſubſtantiae detrimento de loco in locum transferri poteſt, aut minus; pro mobili habetur, vel immobili. Res mobiles et immobiles.

§. 7. Iura pro rebus habentur mobilibus.

§. 8. Quod ſi vero iuris exercendi facultas cum rei immobilis poſſeſſione eſt coniuncta, ius eſt habendum pro re immobili.

§. 9. Alias ius tum tantum rei immobilis habet naturam, ſi ea legibus ſingularibus expreſſe illi fuerit tributa.

Source : BIU Cujas

Res familiaris mobiliaris.

§. 10. Sub voce rei familiaris mobiliaris, (ſ. ſubſtantiae mobilis, ſ. fortunae aut rerum, quae moueri poſſunt, *Mobiliarvermögen*), veniunt res omnes mobiles, quatenus non pertinent ad rem immobilem, tanquam pertinentiae. (§. 42.)

Res familiaris numerata.

§. 11. Pro re familiari numerata, (ſ. in paratis, *baarem Vermögen*) habetur pecunia tantum ſignata et cuſa, et pecunia chartacea (*gemünzte Papier*); exceptis tamen numis raris et memorialibus.

§. 12. Chartae in quemuis detentorem ſonantes, e. g. notae menſae feneraticiae publicae (*Banknoten*), literae pignoraticiae (*Pfandbriefe*), literae, quibus cauetur de pecunia ſocietati credita, (*Aktien*) etc. ſiue vſuras praeſtent, ſiue minus, vti alia debiti inſtrumenta, rei familiari praecipuae ſ. ſubſtantiae capitali (*Capitalsvermögen*) adnumerantur.

Effecta.

§. 13. Vox effecta (*Effecten*) in ſe continet res omnes mobiles; pecunia tamen numerata et re familiari praecipua (ſubſtantia capitali) excepta.

Supellex ſ. apparatus.

§. 14. Res mobiles ad vſum commodum aut ad domum vel habitationem exornandam deſtinatae, vocantur ſupellex ſ. apparatus (*Möbeln*).

§. 15. Supellex domeſtica (*Hausrath*) complectitur res omnes mobiles, in eiusmodi locis ad vſum incolarum communem deſtinatas.

Vtenſilia.

§. 16. Res mobiles, ad exercendum negotium aut quaeſtum in domo vel extra eam deſtinatae, vtenſilium nomine (*Geräthſchaften*) continentur.

Res ſe mouentes.

§. 17. Rebus ſe mouentibus intelliguntur animalia, vſum praeſtantia.

Res mobiles (*Mobilien.*)

§. 18. Appellatio generalis rerum mobilium (*Mobilien*) complectitur apparatus, ſupellectilem domeſticam, et vtenſilia.

Metallum nobile.

§. 19. Vox: nobile metallum non ſignificat, niſi aurum et argentum rude.

Source : BIU Cujas

§. 20. Verba: aurum et argentum, complectuntur aurum atque argentum rude et factum, non vero signatum s. cusum. Aurum et argentum.

§. 21. Gemmae (*Juwelen*) etiam complectuntur et margaritas, et alios lapides pretiosos, qui splendoris causa gestantur. Gemmae.

§. 22. Ad ornatum et mundum (*Schmuck und Geschmeide*, pretiosa et cleinodia) referuntur gemmae genuinae et adulterinae, ornamenta quoque ex auro et argento confecta, aut iis obducta. Ornatus et mundus.

§. 23. Ornamentum in vestitu dicitur omne id, quod praeter ornatum et mundum in vestitu ad ornandam personam gestatur, neque tamen pars est vestimenti. Ornamenta in vestitu. (*Putz*)

§. 24. Ad vestimenta (ad vestiarium *Garderobe*), pertinent omnia vestium genera, lintea corporis ad personae vsum destinata (s. mundilia, *Leibwäsche*), et textilia et lintea ad formam iam diffecta. *Garderobe.*

§. 25. Textile album aut linteum (*Weisszeug oder Wäsche*) complectitur omne, quod ex linteo confectum; inprimis lintea ad vestitum, lectum et mensam destinata. Textile album et linteum.

§. 26. Reticula denticulata et limbi angulati (*Spitzen und Kanten*) non ad alba textilia aut lintea pertinent, sed ad ornamenta in vestitu.

§. 27. Carpentum s. rheda cum equis (*Equipage*) significat currum et equos cum instrumentis ad eos pertinentibus, ad proprietarii commoditatem destinatis. Carpentum cum equis. (*Equipage*)

§. 28. Equi equitatorii et instrumenta equitatoria carpenti (s. curruum) cum equis appellatione subintelligi non solent.

§. 29. At vero vox *Equipage* de militibus vsurpata complectitur omnia, quae ad armandum militem atque ornandum, et in pace et in bello, ex militiae institutis requiruntur.

Source : BIU Cujas

§. 30. Ratione perſonarum, quae quidem ad militiam non pertinent, at muneris aut officiorum peragendorum cauſa equis equitatoriis carere non poſſunt; vox *Equipage* et equos iſtos complectitur cum inſtrumentis ad eos pertinentibus.

Res ſingulares.

§. 31. Quatenus res per ſe iuris obiectum eſt, res ſingularis habetur, et per ſe ſubſiſtens.

Vniuerſitas ſ. complexus rerum et iurium.

§. 32. Res ſingulares plures, quae nomine communi inſigniri ſolent, complexum rerum conſtituunt, et ſimul ſumtae, tanquam vniuerſum ſingulare, conſiderantur.

§. 33. Complexus etiam rerum ſingularium et iurium omnium, vni homini propriarum, tanquam vniuerſum ſingulare poteſt conſiderari.

§. 34. Vniuerſitas (complexus) rerum et iurium defuncti ſubſtantia eius vocatur derelicta. (bona hereditaria.)

§. 35. Reſpectu eius, qui eiusmodi complexum accipit, vocatur hereditas (ſucceſſio).

§. 36. Iura et onera vniuerſitatis participant res ſingulae omnes vniuerſum conſtituentes, et poſtea accreſcentes vel adiunctae (illatae).

§. 37. Res vero ſingularis, rerum et naturae ordine aut negotiorum indole ab vniuerſitate (complexu) ſeiuncta, vniuerſitatis iura et onera participare ceſſat.

§. 38. Rerum ſingularium acceſſione aut ſeiunctione reſpectu vniuerſitatis iura et obligationes non commutantur.

§. 39. Iura quoque et onera ſingularia rei ſingularis nondum extinguuntur ſola actione vnilaterali, qua res vniuerſitati adiuncta eſt.

§. 40. Iura, certo tantum ordini inhaerentia, complexui rerum et iurium in ſenſu legis non adnumerantur.

Source : BIU Cujas

§. 41. Res vocatur indiuidua, ſi vel natura vel leges partium eius ſeiunctioni obſtant. Res diuidua et indiuidua, ſ. diuiſibilis et indiuiſibilis.

§. 42. Res, quae per ſe quidem ſubſiſtere poteſt, at cum alia tamen re perpetuo fuit coniuncta, vocatur res ad aliam rem pertinens, (pertinentia). Pertinentiae.

§. 43. Res immobiles, rei immobili alii natura iunctae, cum hac vnam tantum conſtituunt ſubſtantiam.

§. 44. At contra, pertinentiarum naturam induunt res et mobiles et immobiles, quae hominis actu aut determinatione alii adduntur complexui.

§. 45. Acceſſiones etiam mobiles naturales et incrementa rei pertinentiae eius tantum tamdiu ſunt habendae, quamdiu ab ea, vi iuris vtendi ordinarii, non ſunt ſeiunctae.

§. 46. Res ſecundaria ſ. acceſſoria, ſine qua res principalis vſum ſuum praeſtare nequit, vel ſine expreſſa declaratione pertinentia habetur.

§. 47. Quidquid ad pertinentias, idem et pertinet ad rem principalem.

§. 48. Pertinentiae praedii ruſtici in regula habentur res ibi inuentae omnes, quae ad agrum colendum et ad rem pecuariam adhibentur. Pertinentiae praedii ruſtici.

§. 49. Pertinentiis praedii accenſetur etiam fundi fructuum copia, quae ad oeconomiam exercendam requiritur, vſque dum eiusmodi fructus ex praedio ipſo naturali rerum ordine de nouo percipi poſſunt.

§. 50. Agri quoque inuentarium, qua ſtercus, qua aratrorum genera, qua fementum, pertinet ad praedii ruſtici pertinentias.

§. 51. Omnis quoque et naturalis et artificialis ſtercoris copia.

§. 52. Omnia, quae in praedio ſunt, armenta et iumenta ad oeconomiam exercendam deſtinata, et omne pecus vtilitati inſeruiens cum vtenſilibus ad vtraque pertinentibus ſunt fundi pertinentiae.

Source : BIU Cujas

§. 53. Ille tantum pullus (nouellus animalium fetus) praedii pertinentiis adnumeratur, qui ad explendum inuentarium requiritur.

§. 54. Praedii pertinentia non eſt pecus maius et minus, quod ad vendendum tantum aut in familiae vſum ſaginatur.

§. 55. Piſces in piſcina propagandi aut creſcendi cauſa expoſiti piſcinae pertinentiae habentur.

§. 56. At contra, piſces in ichthyotropheo (piſcium ſeruaculo) huc non referuntur.

§. 57. Generatim animalia, quae tantum ad familiae vel perſonae vſum, aut in poſſeſſoris oblectationem aluntur, praedii pertinentiis non continentur.

§. 58. Gallinae, anſeres, anates, columbae, meleagrides ſ. gallinae indicae praedii pertinentiis accenſentur.

§. 59. Rara volatilium genera ad pertinentias non niſi in tantum pertinent, in quantum vulgarium generum numerus pro portione non adeſt.

§. 60. Quatenus res ſupra dictae omnes in praedio quidem, at non domini fundi ſunt, ſed tertii propriae; non induunt naturam pertinentiarum.

§. 61. Quae de praedii ruſtici pertinentiis dicta, eadem quoque valent de praedii vrbani re pecuaria et agraria.

§. 62. Pro fundi pertinentiis habendae delineationes, (*Riſſe*) chartae, documenta et ſcripta alia, quae fundo accuratius cognoſcendo aut iuribus eius confirmandis inſeruiunt.

§. 63. Si vero eiusmodi documenta ad alia obiecta ſimul pertineant, rem principalem accipiens contentus eſſe debet locis extractis et exemplis fide probata deſcriptis. (copiis vidimatis)

ſiluae, §. 64. Vtenſilia ſaltuaria (foreſtalia) ſunt ſiluae pertinentiae.

Source : BIU Cujas

§. 65. Ligna caesa pertinentiis siluae, per se considerata, non adnumerantur.

§. 66. Si autem de praedio agitur, ad quod silua pertinet, ad praedii pertinentias refertur ea lignorum caesorum pars, quae ad oeconomiam exercendam requiritur, vsque ad tempus, quo alia ligna more consueto caeduntur.

§. 67. Ad ius venandi pertinent omnia, quae adsunt, retia, panni, aliaque eiusmodi instrumenta venatoria, exceptis telis s. armis iaculatoriis, canibus et equis venaticis, et rebus aliis ad solum venantis vsum destinatis. iuris venandi,

§. 68. Ad ius cereuisiam et vinum adustum coquendi pertinent, quae sunt in officina cereuisiaria et cellario, trullae, ollae, ahena s. lebetes, vasa et vtensilia alia. iuris cereuisiam et vinum adustum coquendi,

§. 69. Si vero ius illud ipsum consideratur tanquam domus aut fundi pertinentia; praedii pertinentiarum naturam assumunt omnia ad vsum huius iuris destinata vtensilia, quae in isto loco inueniuntur.

§. 70. Vineae pertinentiis adiudicanda sunt admicula in vsum vineae exstructa omnia, et prela cum vtensilibus ad ea pertinentibus, vtensilia etiam et vasa, vineae colendae, vuis colligendis et musto seruando inseruientia; at non vtensilia atque vasa ad conseruandum vinum comparata. vineae,

§. 71. Si cauponae ius cum fundo, cui inhaeret, simul debeat tradi, ad illud pertinent cauponae vtensilia, quae in caupona sunt et cella, omnia. cauponae,

§. 72. Dolia et vasa, ad cellae vsum perpetuum destinata, quouis in casu tanquam cellae pertinentiae considerantur. cellae,

§. 73. Ad hortum pertinent omnia, quae horto colendo, vtendo, et ornando inseruiunt, vtensilia, vasa, machinae et apparatus, et aedificia. horti,

Source : BIU Cujas

§. 74. In primis huc referuntur mali araufionenſes ſ. medicae, et flores cum ſtatuis et tabulis pictis ſub dio exſtructis.

aedificii, §. 75. Pertinentiae aedificiorum ex diuerſis, quibus haec deſtinata ſunt, finibus ſunt diiudicandae.

§. 76. Ad domum habitationi deſtinatam pertinent omnia, ſine quibus neque immigrare in eam, neque plene habitare in ea poſſumus.

§. 77. Apparatus, ſupellex domeſtica et vtenſilia ad domum neceſſario non pertinent.

§. 78. Pertinentiis tamen accenſentur, ſi non poſſunt auferri ſine aedificii detrimento et damno.

§. 79. Vtenſilia contra ex domus deſtinatione ad quaeſtum certum exercendum comparata, pro domus pertinentiis habenda.

§. 80. Res mobilis, quae infodiendo, infundendo, aut aedificando, vel caementarii vel fabri lignarii opera, cum aedificio cohaeret, ad huius pertinentias deſtinata praeſumitur.

§. 81. Quae tamen praeſumtio ceſſat, ſi ex qualitate eiusmodi rei propria apparet, rem iſtam non fuiſſe comparatam ad vſum aedificii, ſed poſſeſſoris, aut alius rei mobilis ad aedificium non pertinentis.

§. 82. Aedificii pertinentiae ſunt ferae affixae, earumque claues, non vero ferae obiectae.

§. 83. Tapetia affixa, et opera cancellata parietibus iuncta, (*Jalouſien*) et valuae feneſtrarum, et tintinnabula aedi affixa, et verua automata, et aſſes camini omnes, cenſendi ſunt pertinentiae.

§. 84. Idem valet de fornacibus vel mobilibus, earumque oſtiolis, et de domus ſcalis, et iis, quibus ad tabulatum ſupremum aſcendunt, et de inſtrumentis ad incendia reſtinguenda deſtinatis.

Source : BIU Cujas

§. 85. Scrinia veſtiaria et librorum repoſitoria, licet parieti immiſſa fuerint vel adiuncta, in caſu dubio pertinentiae non habentur.

§. 86. Scrinia et ſpondae muro immiſſae pertinentiae cenſentur.

§. 87. Tabernae domui adſtructae et cum hac vnius eiusdemque adhuc domini, pro parte domus habentur.

§. 88. Materia, ad domum reficiendam, exornandam et amplificandam deſtinata, ſi iam in area eſt aedificatoria, pertinentiis eius eſt adnumeranda.

§. 89. Neque minus aedificii collapſi aut deſtructi materia, quae adhuc adeſt.

§. 90. Ad diuerſorium pertinent lecti et vtenſilia omnia, ad excipiendum et curandum hoſpites et eorum iuga deſtinata. diuerſorii,

§. 91. Nauis pertinentiae habeantur ancorae, mali, funes et inſtrumenta alia omnia, quae ad eius vſum deſtinata in ea inueniuntur, atque tormenta; at non tela aut arma alia, multo minus apparatus bellici, aut res ad belli vſum pertinentes. nauis,

§. 92. Ad molendinum pertinet, praeter vtenſilia molaria, materia lignea et ferrea, ad reficiendum molendinum deſtinata. molendini,

§. 93. Pertinentiis fabricae accenſentur tantum vtenſilia, ad negotium exercendum deſtinata, at non materiae copia, neque materia, quae opere conficiendo conſumitur, multo minus opera iam confecta. fabricae,

§. 94. Ad pharmacopolium contra, praeter vtenſilia et vaſa, pertinent quoque merces, in iſtis inuentae. pharmacopolii,

§. 95. Tabernae pertinentiis adiudicantur quidem menſae, merciumque receptacula, at non, quae adeſt, mercium copia. tabernae,

Source : BIU Cujas

bibliothecae et musei rerum naturalium,

§. 96. Bibliothecae etiam adnumerantur repositoria et scrinia, in quibus sunt libri.

§. 97. Ad rerum naturalium et artis operum museum referuntur quoque repositoria, iis disponendis et collocandis destinata.

§. 98. Statuae et res aliae, quae praeter repositoria tantum ad exornandum conclaue erant destinatae, non sunt bibliothecae aut rerum naturalium musei pertinentiae.

§. 99. At contra, globi terrestres et caelestes, tabulae geographicae, delineationes, figurae aeri incisae, siue ligatae sint, siue illigatae, bibliothecae adnumerantur.

§. 100. Figurae autem aeri incisae, marginibus cinctae, ad bibliothecam non pertinent.

animalium singulorum,

§. 101. Ad animalia singula pertinent tantum vtensilia ad ea custodienda necessaria, non quae alias ad eorum vsum vel ornatum sunt destinata.

De ornatu et mundo.

§. 102. Ad ornatum et mundum pertinent quoque inuolucra, s. thecae, ad eos asseruandos vnice destinatae.

Inuentarium.

§. 103. Complexus pertinentiarum mobilium, ad rem pertinentium, earum vocatur inuentarium.

§. 104. Inuentarium in genere est designatio rerum omnium, ad vniuersitatem quandam s. complexum rerum pertinentium.

Principia de pertinentiis.

§. 105. Pertinentiae, quoad rei principali sunt iunctae, huius iurium omnium sunt participes.

§. 106. Quorum quidem iurium participes manent pertinentiae, licet ob causam praetereuntem de re principali ad tempus fuerint seiunctae.

§. 107. Cum re principali ius in pertinentias, eas quoque, quae de re principali ad tempus tantum fuerunt seiunctae, ad nouum possessorem transit.

Source : BIU Cujas

§. 108. Res quae alias natura sunt pertinentiae; non sunt pertinentiae, simulac non domini rei principalis, sed tertii sunt propriae. (§. 60.)

§. 109. Vtilitate rei intelligitur vsus omnis, qui exinde iure esse alicui potest. Vtilitas.

§. 110. Fructus et emolumenta vocantur commoda omnia, quae res, salua sua substantia, praebere detentori potest. Fructus.

§. 111. Vtilitas, quam res praestare possessori potest, pretium eius constituit. Pretium vulgare.

§. 112. Vtilitas, quam res possessori cuiuis praestare potest, commune eius pretium constituit.

§. 113. Iucunditates et commoditates, quae possessori cuiuis sunt in pretio, et quarum adeo haberi solet ratio, communi pretio adnumerantur.

§. 114. Extraordinarium rei pretium oritur ex computatione vtilitatis, quam res in certis tantum determinationibus et relationibus potest praebere. Pretium extraordinarium.

§. 115. Pretium affectionis constituitur qualitatibus et relationibus rei mere casualibus, propter quas ex possessoris opinione haec res rebus eiusdem generis aliis omnibus praeferenda. Pretium affectionis.

§. 116. In casibus omnibus, nisi legibus aliud expresse praescribatur, lite exorta pretium rei constituitur aestimatione rerum peritorum, iureiurando obligatorum. Pretii aestimatio.

§. 117. In rebus aestumandis in regula communis tantum rei pretii habetur ratio.

§. 118. Extraordinarii rei pretii, vti pretii affectionis, in iis tantum casibus habetur ratio, vbi leges expresse consentiunt.

§. 119. Inaestimabiles vocantur res, quarum pretium relatione et proportione nulla ad res alias, quae sunt in commercio, potest aestimari. Res inaestimabiles.

§. 120. Res, quae sine earum deletione et iactura vsum solitum praebere non possunt, consumtibiles vocantur. Res consumtibiles et non consumtibiles.

Source : BIU Cujas

§. 121. Si res conſumtibiles alicui in vſum conceduntur, res generis et bonitatis eiusdem reſtituuntur.

Iura perſonalia.

§. 122. Iura et obligationes perſonales ſunt, quae certis tantum perſonis competunt, aut quibus certae tantum perſonae ſunt obſtrictae, nulla rei poſſeſſionis ratione habita.

§. 123. Ius perſonale continet ius petendi ab obligato, vt aliquid det, praeſtet, permittat aut omittat.

§. 124. Quatenus eiusmodi ius perſonale ad rem definitam dandam aut praeſtandam ſpectat, *ius ad rem* vocatur.

Iura realia.

§. 125. Ius eſt *reale*, ſi eius exercendi facultas coniuncta eſt cum re, nulla certae alicuius perſonae ratione habita.

§. 126. Ea quoque iura vocantur *realia*, quorum obiectum res eſt, nulla perſonae, eam detinentis, ratione habita.

§. 127. Eiusmodi iura, quae, quod ad obiectum attinet, realia ſunt, vocantur *iura in re*.

§. 128. Iura intuitu ſubiecti, cui competunt, realia, eſſe poſſunt intuitu obiecti mere perſonalia, aut ſimul iura in re.

§. 129. Neque minus iura, quae intuitu obiecti ſunt realia, reſpectu ſubiecti, cui competunt, referri poſſunt ad mere perſonalia, aut ad iura etiam realia.

§. 130. Si in legibus agitur de iuribus realibus ſine vllo additamento, iis ſubintelliguntur iura intuitu obiecti realia, aut iura in re.

Modus acquirendi et titulus.

§. 131. Actus aut factum, quo quis ius in re acquirit, dicitur modus acquirendi.

§. 132. Cauſa legalis, qua actus ſeu factum eam habet vim, vt ius inde poſſit acquiri, titulus vocatur.

§. 133. Acquiſitio iuris in rebus alterius ratione acquirentis ius antecedens ad rem praeſupponit.

Source : BIU Cujas

§. 134. Hoc ius perſonale, ex quo, accedente modo acquirendi, ius in re oritur, vocatur titulus iuris huius realis.

§. 135. Si illi, cui ius perſonale ad rem competit, poſſeſſio rei ratione (fundamento) huius iuris conceditur, exinde ius reale in re exoritur. Principia iuris realis.

§. 136. Iura, cum rei, quae horum iurium eſt obiectum, poſſeſſione non coniuncta, iuris realis naturam tum tantum habent, ſi lege ſingulari ea fuerit iis attributa. (Tit. XX. §. 8.)

§. 137. Iura realia in re ab eo, cui competunt, poſſunt exerceri contra quemuis, in cuius detentionem, poſſeſſionem aut dominium res venit, quoad ius ipſum permanet.

§. 138. Ratione tantum rerum mobilium mutationes in perſona poſſeſſoris rei obligatae mutare poſſunt ius in re, ſub circumſtantiis legibus propius determinatis. (Tit. XV. §. 42. ſeqq.)

§. 139. Mutationes quoque in eius, cui ius competit, perſona, mutationem in iure reali tum tantum producunt, ſi iis mutatur aut extinguitur ius ad rem.

§. 140. Ius reale in re ad confirmandum tantum ius perſonale conſtitutum, hoc extincto ſimul amittitur.

§. 141. At contra, eiusmodi ius reale poteſt deleri, non eo ſimul extincto iure perſonali.

Source : BIU Cujas

TITVLVS TERTIVS.

De actionibus et iuribus inde profluentibus ſ. oriundis.

De actionibus, earumque effectibus (confectariis) in genere.

§. 1. Si ex actionibus iura oriri debeant, actiones liberae ſint neceſſe eſt.

§. 2. Actiones tantum liberae externae legibus poſſunt determinari.

§. 3. Vbi facultas libere agendi in totum deficit, ibi nulla obligatio ex legibus locum habet.

§. 4. Effectus, (conſectaria) qui ex actione in et per ſe conſiderata ſecundum naturalem rerum ordinem oriri ſolent, vocantur immediati.

§. 5. Mediati vocantur, qui tantum ex nexu actionis cum alio euentu ab illa diuerſo, aut ex nexu cum qualitate non ordinaria ſunt orti.

§. 6. Effectus (conſectaria) mediati, qui praeuideri non potuerunt, habentur caſuales.

De actionum imputatione.

§. 7. In quantum actio eſt libera, in tantum effectus eius immediati ſemper imputantur agenti.

§. 8. Hoc etiam valet de effectibus mediatis, in quantum agens eos praeuidit.

§. 9. Quo maior eſt obligatio, adhibendi attentionem et rei peritiam in agendo, eo maior etiam eſt obligatio, ad effectus actionis poſſibiles attendendi.

§. 10. Hinc de effectibus (conſectariis) mediatis, quos adhibita diligentia ac peritia debita agens praeuidere potuit, rationem debet reddere.

§. 11. At contra, actionis effectus (conſectaria) mere caſuales non imputantur agenti.

§. 12.

Source : BIU Cujas

§. 12. Agens tamen de conſectariis omnibus, quae perficere agendo intendebat, ſine diſcrimine reſpondere debet, etiamſi caſu tantum ortis.

§. 13. Et actionis legibus improbatae conſectaria mere caſualia eatenus imputantur, quatenus caſus ex ſola hac actione nocuit.

§. 14. Gradus imputationis tam in mediatis quam immediatis actionis conſectariis determinatur libertatis gradu agentis.

§. 15. Contra leges agere voluiſſe, nemo praeſumitur.

§. 16. Quilibet autem in negotiis ciuilibus omnem diligentiam adhibere debet, vt in agendo legibus conuenienter agat.

§. 17. Non adhibita debita in agendo diligentia contra leges agens *culpam* committit.

§. 18. Culpa, quae vitari potuit absque ſingulari aut praecipua attentione, vtendo tantum iis animi facultatibus, quibus quilibet homo praeditus eſſe ſolet, *culpa lata* nominatur.

§. 19. Culpae latae effectus, quod damnum reſarciendum attinet, aeque imputantur, ac doli effectus.

§. 20. *Culpa leuis* eſt, quae adhibita communi attentione vitari potuiſſet.

§. 21. Et de culpa leui reſpondendum.

§. 22. Culpa leuiſſima ea eſt, quae ab eo tantum, qui praecipuis animi facultatibus eſt praeditus, vel ſingulari rei aut negotii peritia, vel adhibita attentione ſingulari, et non communi, vitari potuiſſet.

§. 23. Ille tantum, quem leges ſpeciatim obligant, vt facultates animi praecipuas, vel ſingularem artis peritiam, vel attentionem, communi maiorem, in agendo adhibeat, de culpa leuiſſima tenetur.

§. 24. In imputandis actionibus liberis qualitatem perſonae eiusque ingenii vim leges non reſpiciunt.

Source : BIU Cujas

§. 25. In delictis tantum et pactis, quae singularem inter pacisentes fiduciam praesupponunt, imputationis gradus ex eiusmodi qualitatibus agentis personalibus determinatis definitur.

Principia generalia de iuribus actionum.

§. 26. Nemo alterum ad aliquid faciendum cogere, aut eius in agendo libertatem coërcere potest, cui ius singulare ad ea non competit.

§. 27. Nemo etiam cogere potest alterum ad aliquid omittendum ob eam solam rationem, quod agens sibimet ipsi noceat.

§. 28. Tum autem exceptio adest, si quis ad officium in semet ipsum legibus praescriptum violandum sit paratus, et reipublicae auxilium non satis cito adsit.

§. 29. Cui ex natura, lege, aut vi officii in republica ius singulare competit ad actiones alterius dirigendas, ille et alterum vi impedire potest, quo minus sibimet ipsi noceat.

Effectus actuum iuridicorum.

§. 30. Per liberas actiones iura acquiri, in alios transferri, et tolli possunt.

§. 31. Hoc fit praesertim per validas mentis declarationes. (Tit. IV.)

§. 32. Ex actionibus, quae non sunt mentis declarationes, atque ex omissionibus, iura ciuilia et obligationes eatenus tantum oriuntur, quatenus iis lege iunguntur.

§. 33. Agens de obligationibus omnibus ex actione sua profluentibus tenetur.

§. 34. Hinc obligatus est ad peragenda omnia, quibus omissis ipsa actio fieret illicita. (Tit. XIII. Sect. II. III.

§. 35. Obligationes quidem, non autem iura, ex actionibus illicitis agens consequitur.

§. 36. Inter consortes actionis legibus reprobatae, nec iura, nec obligationes ex ea oriuntur.

§. 37. Secus; si expresse in legibus indemnitas inter consortes constituta est. (Part. II. Tit. I. Sect. XI).

Source : BIU Cujas

§. 38. Quilibet obligationes aut per leges ipſi iunctas, aut voluntarie in ſe ſuſceptas adimplere tenetur.

§. 39. Qui obligationi ſuae non ſatisfacit, in regula ius habentem in totum indemnem praeſtare debet. (Tit. VI. §. 9.)

§. 40. Ob neglectam formam legibus ſtatutam actus tum demum eſt nullus, ſi lex huius formae obſeruationem ad actionis validitatem expreſſe requirit. Forma actuum.

§. 41. In caſu dubio forma actionis praeſumitur tantum praeſcripta in maiorem eius certitudinem et probationem.

§. 42. An actus ſ. actio valida ſit et iuſta, ex eo tempore diiudicandum, quo eſt peracta.

§. 43. Actus ſeu actio, ab initio ex deficiente forma legali nulla, tractu ſ. ſucceſſu temporis conualeſcere nunquam poteſt.

§. 44. Si tamen in forma legibus praeſcripta actio reiteratur, ab eo tantum tempore, quo hoc factum, valet.

§. 45. Dies ex lege incipit a media nocte, et parte noctis ſequentis media finitur. De tempore in actionibus aut actubus.

§. 46. Acquiſitione iuris ad certum diem adſtricta, ius illud, ſimulac dies initium cepit, acquiſitum ſ. pro acquiſito habetur.

§. 47. Si autem obligatio die certo adimplenda, per totum diem, qualibet eius parte, poteſt adimpleri.

§. 48. Sin obligationis praeſtatio ad eiusmodi diem eſt adſtricta, quo ſecundum ordinationes politiae vniuerſales, aut obligati principia religionis impleri nequit, tum obligatus in regula, obligationi die ſequente ſatisfacere debet. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VIII.)

§. 49. Tempore per verba: *annus et dies*, determinato, annus et triginta dies ſubintelliguntur.

Source : BIU Cujas

TITVLVS QVARTVS.

De voluntatis declarationibus.

Requisita voluntatis declarationis validae.

§. 1. Voluntatis declaratio est significatio eius, quod ex declarantis animo fieri debeat, aut non fieri.

§. 2. Quae voluntatis declaratio si effectus producere debeat legitimos, ius de ea re ita disponendi declaranti competat, necesse est.

§. 3. Declarans facultate, sana ratione et deliberatione agendi, gaudeat.

§. 4. Voluntatis declaratio libera sit, seria, certa et definita.

Obiecta eius.

§. 5. Res quaeuis et facta, in quae ius potest acquiri et in alium transferri, obiecta voluntatis declarationis esse possunt.

§. 6. Ad facta perficienda legibus prohibita voluntatis declaratione nemo potest obligari, vel ius perficiendi acquirere.

§. 7. Neque ad facta decoro atque honesto contraria.

§. 8. Voluntatis declaratio, quae ad celandum factum legibus prohibitum, aut ad indemnitatem vel praemium delinquentis tendit, est nulla.

§. 9. Conscientiae libertas nulla voluntatis declaratione coërceri potest.

§. 10. Promissiones, quibus mas, vsque dum annos triginta, et femina, vsque dum annos viginti et quinque transegerit, ad caelibatum obligari debet, sunt nullae.

Source : BIU Cujas

§. 11. Nemo quoque voluntatis declaratione obligatur, qua se in viduitate esse permansurum pollicetur.

§. 12. Iam vero si caelibatus necessarium status cuiusdam requisitum habetur, obligatio tam diu non extinguitur, quamdiu quis status s. ordinis huius legibus est addictus.

§. 13. Ad seruitutem vel captiuitatem priuatam nemo ex voluntate declarata obligari potest.

§. 14. Quatenus res non est in commercio, eatenus obiectum declarationis voluntatis esse nequit.

§. 15. Non natura solum aut lege, sed etiam legitimis constitutionibus priuatis res commercio eximi possunt.

§. 16. Eiusmodi priuata constitutio quemuis obligat, quem obligandi ius constituenti competebat.

§. 17. Neque tertio, cui eiusmodi constitutio priuata innotuit, eam violare licet.

§. 18. Sola promulgatio publica non sufficit ad probandum, eiusmodi constitutionem ad alterius notitiam peruenisse.

§. 19. Neminem contra excusat ignorantia constitutionis libro hypothecario inscriptae.

§. 20. Omnes infantum annum septimum nondum egressorum voluntatis declarationes sunt nullae. Facultas personalis.

§. 21. Voluntatis declarationes impuberum, qui annum quartum decimum nondum excesserunt, eatenus tantum valent, quatenus ipsis profunt.

§. 22. Si vero ad emolumentum percipiendum, quod minor s. minorennis ex voluntate declarata capere potest, simul officia sint peragenda et onera ferenda; haec declaratio legitimis destituitur effectibus, nisi eorum, quibus subest, accedat auctoritas. (Tit. V. §. 11. 12. 13.)

§. 23. Furiosi et infani aequiparantur infantibus, annum septimum nondum egressis. (§. 20.)

Source : BIU Cujas

§. 24. Quoad perſonis, eiusmodi morbi impetu interdum oppreſſis, curator non eſt conſtitutus; tempore, quo intellectu et ſana ratione gaudebant, non morbi tempore, voluntatem declaraſſe praeſumuntur.

§. 25. Subſiſtente vero cura, praetextus, declarationem interualli dilucidi tempore eſſe factam, nulla eſt habenda ratio.

§. 26. De voluntatis declarationibus mente captorum, eadem, quae de minorum declarationibus dicta, (§. 21. 22.) ſunt obſeruanda.

§. 27. Licet mente captus nondum ſub cura fuerit conſtitutus, is tamen doloſe egiſſe praeſumitur, qui per voluntatis declarationem cum illius damno rem ſuam cupit augere.

§. 28. Perſonae, quas ſumma ebrietas intellectus vſu priuauit, ebrietatis tempore inſanis ſunt aequiparandae. (§. 23.)

§. 29. Idem eſt iuris de iis, qui terrore, metu, iracundia, aut aliis vehementibus animi perturbationibus in eum ſtatum venerant, quo ſanae rationis et intellectus vſu non gaudebant.

§. 30. Affectus et ebrietas ad huncce gradum proceſſiſſe, non praeſumitur. (§. 91.)

Voluntatis libertas.

§. 31. Voluntas declarata, vi phyſica extorta, effectus legitimos nullos producit.

§. 32. Idem valet de iis voluntatis declarationibus, ad quas quis detractis alimentis, et medicamentis denegatis, et illatis corporis doloribus eſt impulſus.

§. 33. Minae quoque pernicioſae, vitae, valetudinis, libertatis et bonae famae eripiendae, quamlibet exinde ſubſecutam voluntatis declarationem reddunt inualidam.

§. 34. Minae iudicantur pernicioſae, ſi minas exſequendi poteſtas minanti vel per ſe eſt, vel ex eius tantum opinione, cui minatus eſt, eſſe videtur.

Source : BIU Cujas

§. 35. Minae, ſe quendam delicti in iudicio iure aut iniuria eſſe accuſaturum, in regula quamlibet inde ſecutam voluntatis declarationem efficiunt inualidam.

§. 36. Minae, quae immediate vitam, valetudinem, libertatem et famam bonam non attingunt, a iudice ex natura mali, quod quis minatur, et relatione huius mali ad voluntatis declaratae obiectum caute et prudenter ſunt diiudicandae, vt inde definiri poſſit, an exinde voluntatis ſignificatio re vera fuerit extorta.

§. 37. In definiendo minarum momento ad voluntatem eius, cui minamur, ſimul conſtitutionis corporis et animi eiusdem ratio eſt habenda.

§. 38. Si quis, ſe iure ſuo legitime eſſe vſurum, minatur, nullius vis ſit hisce minis reus, ſ. hisce minis nulla vis ineſt.

§. 39. Hinc voluntatis declaratio, ex alterius declaratione, ſe ius ſuum in iudicio eſſe perſecuturum, ſecuta, nunquam coacta habetur.

§. 40. Verba minacia, de ſubtrahendis commodis, quae minans alteri quidem deſtinauerat, ſed nondum percipienda conceſſerat, voluntatem declaratam eius, cui alter minatus eſt, non reddunt inualidam.

§. 41. Praetextus, reuerentiam et pietatem ſ. reſpectum voluntatis declarationis fuiſſe cauſam, non habenda ratio.

§. 42. Voluntas coacte declarata tum quoque eſt inualida, ſi efflagitatio aut vis non ab eo, cui exacta declaratio commodo eſſe debet, ſed a tertio fuerit illata.

§. 43. Voluntatis declaratio, cui periculum imminens non niſi anſam dedit, non infirmatur ſ. eneruatur.

§. 44. Si vero periculi metus declarantem facultate, libertate vtendi et deliberatione, plane priuauit, principia ſunt obſeruanda, §. 28. et ſqq. deſinita.

BIBLIOTHEQUE CUJAS PARIS

Source : BIU Cujas

§. 45. Voluntatis declarationem alias legitimam ob vim illatam impugnaturus, quam primum iudicis fuit copia ſ. quam primum iudicem adire potuit, intra octo dies inde ab illo tempore, vim illatam denuntiare in iudicio debet.

§. 46. Haecce praeuia ſ. praecedens denuntiatio, ſi modo momenta, ad rem pertinentia, argumentis probandi ſimul adductis, in ſe contineat, in quouis iudicio fieri legitime poteſt.

§. 47. Caeterum ex denuntiantis arbitrio dependet, an voluntatis declaratae vanitatem contra illum, qui vim intulit, in iudicio probare; an actionem, cuius fundamentum in voluntate declarata conſiſtit, expectare; an mediis in ordinatione proceſſus praeſcriptis, ad conſeruanda probandi argumenta, vti velit.

§. 48. Sin vero vis illata ita fuerit comparata, vt, illa in iudicio delata, inquiſitio criminalis poſſit inſtitui, iudicem, apud quem delata vis eſt, illum iudicem patrium ſ. loci, in cuius iudicio inquiſitio eſt inſtituenda, certiorem de re facere oportet, vt, quae proceſſum conſtituendum concernunt, ordinentur.

§. 49. Praeuia denuntiatione ſecundum §phum 45. non facta, ille, qui ſe vi fuiſſe coactum aſſerit, ius ſe ad rem iureiurando probandam offerendi amittit, et exceptio oppoſita aliis argumentis abſolute eſt probanda.

§. 50. Denuntiatione omiſſa, coniectura ſ. praeſumtio legitima huic exceptioni obſtans ita corroboratur, vt ad ſupplendum haud abſolutum probationis argumentum, quo ad diluendam praeſumtionem quis fuerit vſus, iuramentum ſuppletorium ſ. corroboratorium non permittatur.

§. 51. Mortuo declarante, ante quam ſecundum §. 45. praeuia denuntiatio deferri poterat, heredibus eius integrum eſt, intra tres menſes a tempore, quo

Source : BIU Cujas

coacta voluntatis declaratio ipsis innotuerat, vim istam denuntiare cum eius effectu.

§. 52. Voluntatis declaratio, ex qua iura et obligationes nascantur, esse debet seria. Seria voluntas.

§. 53. Qui de rebus, officium et quaestum concernentibus, voluntatem declarauit, illi obstat legitima praesumtio, voluntatem serio, nec ioci causa fuisse declaratam.

§. 54. Idem valet de declaratione facta secundum certam formam legibus praescriptam.

§. 55. In genere veritas exceptionis, voluntatem ostentatione tantum aut ioco esse declaratam, ex causis annexis s. circumstantiis perspicue et clare elucere debet.

§. 56. Qui alterum ad apparatus oneroſos adornandos et facta perficienda, ioco indigno s. incongruo, consulto et data opera induxit, indemnem eum praestare debet.

§. 57. Voluntatis declaratio certa censetur et definita, si declarantis intentio, iuris acquirendi, transferendi aut tollendi, verbis aliisue signis apertis exprimitur. Voluntas certa.

§. 58. Facta s. actus, ex quibus agentis intentio colligi certe potest, pro tacitis voluntatis declarationibus habentur. Tacita voluntatis declaratio.

§. 59. Tacitae voluntatis declarationes ratione valoris expressis aequiparantur.

§. 60. In iis vero negotiis, in quibus ex legis dispositione declaratio expressa est necessaria, tacita nullius est valoris.

§. 61. Merum silentium tum demum pro voluntate declarata habetur, si is tacet, qui declarare voluntatem et poterat, et ex lege debebat.

§. 62. Qui legitimo iudicis praecepto s. mandato ad voluntatem declarandam prouocatus, pertinaciter eam recusat, eius declaratio a iudice secundum praecepti s. mandati praeiudicium suppletur.

Source : BIU Cujas

Voluntatis declaratio praesumta.

§. 63. Si agentis intentio, ex circumstantiis tantum est praesumenda, legitima voluntatis declaratio adest nulla.

§. 64. Iam vero si legibus fuerit sancitum, quid ex eiusmodi factis sit colligendum, intentio agentis secundum hanc legitimam praesumtionem tamdiu est diiudicanda, donec alia voluntatis eius declaratio perspicue apparet.

Voluntatis declaratae interpretatio.

§. 65. Sensus cuiusuis expressae declarationis voluntatis, ex communi verborum signorumque vsu est intelligendus.

§. 66. Sensus communis (s. significatio consueta) secundum tempus, quo voluntas est declarata, diiudicatur.

§. 67. Si vsus loquendi pro personae qualitate est diuersus, ad personam declarantem est respiciendum.

§. 68. Sin vero quis per alium voluntatem suam declarauerit, huius loquendi vsus est spectandus, nisi verbis ab ipso mandante praescriptis fuerit vsus.

§. 69. Si vero pro ratione obiecti termini technici et formulae dicendi adhiberi solent, voluntatis declaratae sensus ex vsu harum formularum consueto explicandus.

§. 70. Si in voluntatis declaratione intentio aperte sit expressa, loci dubii secundum hanc intentionem sunt interpretandi.

§. 71. Si declarans voluntatem alia occasione distincte illustrauerit, obscuritas dubiae declarationis ex declaratione expressa illustranda.

§. 72. Si prioris declaratae voluntatis per posteriorem mutandae ratio luculenter apparet, aliter res se habet.

§. 73. Voluntatis declarationes indeterminatae secundum rationes in legibus praescriptas sunt explicandae.

Source : BIU Cujas

§. 74. Quaelibet tamen voluntatis declaratio in casu dubio ita est intelligenda, ne omnibus destituatur effectibus.

§. 75. Error in negotii essentialibus aut re principali, de qua quis voluntatem declarat, commissus declarationem reddit inualidam. Error.

§. 76. Idem valet, si error in persona, ad quam secundum declaratam voluntatem ius promanare debet, fuerit commissus; simulac ex circumstantiis elucet, eam declarationem voluntatis, sine isto errore non fuisse subsecuturam.

§. 77. Error in personae et rei qualitatibus expresse definitis admissus voluntatis declarationem quoque reddit inualidam.

§. 78. Omnibus in casibus, §. 75. 76. et 77. expositis, voluntas declarata manet inualida, licet declarans euitare errorem potuisset.

§. 79. At si culpa sua lata aut leui in errorem est inductus, et si alter declarantis errorem ignorauit, declarans ad damnum culpa sua ortum resarciendum obligatur.

§. 80. Commisso ab vtraque parte errore, qui euitari poterat, ex neutra parte ad indemnitatem agi potest.

§. 81. Eodem modo error in ea personae aut rei indole et iis virtutibus, quae ineesse illi plerumque praesumuntur, commissus voluntatem declaratam reddit inualidam.

§. 82. Secus, si errantis lata vel leuis culpa errori ansam dedit.

§. 83. Eadem quoque est ratio, si error in aliis qualitatibus aut circumstantiis est commissus.

§. 84. Nullis vero in negotiis ille, qui errori scienter et data opera ansam dedit, ius sibi inde acquirere potest. Dolus.

§. 85. Quaelibet potius voluntatis declaratio, cui dolus ansam dedit, deceptum non obligat.

Source : BIU Cujas

§. 86. Neque ſolum ad deceptum, ſed et ad alios, qui ex eiusmodi errore damnum ſentiunt, indemnes praeſtandos decipiens tenetur.

§. 87. Si dolus voluntatis declarationi non quidem anſam dedit, declarans tamen in errorem data opera eſt inductus, ex ſola erroris natura colligitur, an et quatenus declaratio inde facta ſecundum principia §. 75-83. ſubſiſtere poſſit, an minus.

§. 88. Licet vero exinde ratione negotii principalis voluntatis declaratio ſubſiſtat, declarans tamen ob damnum ex errore ortum a decipiente indemnis eſt praeſtandus.

§. 89. Si tertius declarantem ſine vlla eius opera, in cuius fauorem declaratio facta, circumuenerit, ex erroris, in quem declarans eſt inductus, natura quoque colligitur, vtrum ex voluntate declarata ſua, ratione negotii principalis, obligatione teneatur, an liberetur. (§. 75-83.)

§. 90. Reſpectu damni, ad quod reſarciendum decipiens parti vtrique tenetur, regulae §. 86-88. obſeruentur.

§. 91. Cui quidem non eſt alterum decipiendi animus, qui eum potu tamen aut concitandis animi perturbationibus vehementibus eo deducit, vt facta eorumque effectus rite diiudicare nequeat, ex declarationibus in eo ſtatu factis ius acquirere nequit.

§. 92. Ex rationibus §. 91. adductis legitimam alias voluntatis ſuae declarationem impugnaturum intra octo dies, a declarationis tempore, ſecundum cautiones in §. 46. laudatas in iudicio denuntiare oportet.

§. 93. Qua denuntiatione omiſſa, iſto temporis interuallo praeterlapſo, huius exceptionis oppoſitae non amplius habetur ratio.

Forma declarandae voluntatis.

§. 94. Quatenus leges cuidam declarationum voluntatis generi certam et definitam formam non de-

Source : BIU Cujas

derunt, eatenus quaeuis declaratio, cui requiſita §. 2. 3. et 4. non deſunt, valorem habet.

§. 95. Eiusmodi forma in legibus expreſſe definita, omnes regulae applicentur, quae ratione formae legitimorum actuum ſunt praeſcriptae. (Tit. III. §. 40. ſqq.)

§. 96. Merae, etſi per ſe validae, declarationes voluntatis, iuri acquirendo, transferendo aut tollendo in regula non ſolae ſufficiunt. Effectus.

§. 97. Quae ad voluntatis declarationem accedere debeant, vt omnes legitimos effectus pariat, ſecundum varia eius genera in legibus expreſſe ſunt ſancita.

§. 98. Vt voluntatis declarationes, ad quas quis a lege aut iudice praeceptis legitimis eſt prouocatus, effectibus gaudeant, nil quod accedat requiritur.

§. 99. Quatenus quis de re disponere, eatenus quoque voluntatis declarationi conditiones addere poteſt. Conditiones.

§. 100. Voluntatis declaratio eſt conditionata, ſi ius, quod exinde enaſcitur, ab euentu et caſu dependet, qui accidere debet, aut non accidere.

§. 101. Conditio ita adiecta, vt ea exiſtente ius demum plenarie acquiratur, vocatur ſuſpenſiua. a) Suſpenſiua.

§. 102. Cui ex conditione ſuſpenſiua ius competit, euentus exiſtentiam expectare debet, priusquam ius poteſt exercere.

§. 103. Interea conditionatim obligato, pendente conditione, nihil agere licet aut moliri, quod ius alteri deſtinatum interuertat.

§. 104. Si conditio ab euentus incerti exiſtentia ſ. a caſu fortuitu dependet, neque illi, cui ius inde enaſcitur, neque obligato, et neutri quidem ſub iuris iactura, aliquid facere licet, quod euentus exiſtentiam ſ. eiusmodi caſum producat, aut impediat.

§. 105. Conditio, ſi a libero facto eius, qui ius inde acquirit, aut tertii facto dependet, et obligatus

Source : BIU Cujas

ſi data opera impedit, quo minus conditio exiſtat, re ſpectu eius pro impleta habetur.

§. 106. Eadem eſt ratio, ſi obligatus dolo aliisue mediis illicitis cauſa eſt capiendi conſilii, quo conditio cadit ad irritum.

§. 107. Secus, ſi obligatus mediis licitis ad efficiendum illud conſilium eſt vſus; tum enim illi, cui ius competit, non obligatur, ſ. reſpondere non tenetur.

§. 108. Suſpenſiua conditione ita comparata, vt ab arbitrio plane indeterminato declarantis, aut eius, qui voluntatis declaratione eſt obligandus, dependeat, declaratio omnibus legitimis effectibus caret.

§. 109. Si vero certus at eiusmodi euentus, cuius exiſtentia aut non exiſtentia a libera declarantis aut obligati voluntate dependet, conditio eſt adiuncta; ille, in cuius fauorem conditio vergit adiecta, obligatum impedire nequit, quo minus de obiecto declarationis pro arbitrio disponat, dum euentus non accidit.

§. 110. Eiusmodi diſpoſitione ſi conditionatim obligatus ſe ipſum facultatis, euentu ex poſt accidente, declarationis adimplendae reddit incapacem, illi, cui ius competit, et qui reſpectu huius iuris aliquid dedit, aut praeſtitit, ad omne damnum datum reſarciendum tenetur.

§. 111. Si, euentu exiſtente, ſatisfieri adhuc declarationi poteſt, is, cui ius inde competit, illud plenarie acquiſiuit.

§. 112. Quin etiam conditio de tertii commodo promouendo indiſtincte eſt adimplenda.

§. 113. Qui tertius ſi commodum ſentire nolit, aut ſi ipſe impediat, quo minus illud percipiat, ille, cui ſub conditione ius competit, inde fauorem nullum ſentit.

b) Reſolutiua.

§. 114. Conditio ita adiecta, vt, exiſtente illa, voluntatis declaratae diſſoluatur effectus, conditionis reſolutiuae nomine venit.

Source : BIU Cujas

§. 115. Ius ex conditione resolutiua competens, quo temporis momento ea existit, amittitur.

§. 116. Si vero ex circumstantiis appareat, ius, existente conditione, iam inde a concessionis tempore tanquam inualidum considerandum fuisse, fructus quoque percepti sunt restituendi.

§. 117. Resolutiua conditione a casu dependente, regula §. 104. locum inuenit.

§. 118. Si conditio a libera eius voluntate dependet, qui ea existente commodum percipere debet, alter ius sub conditione resolutiua concessum ex eo tempore amittit, quo alter iure suo vtitur.

§. 119. Si conditio in illius, qui ea existente ius amittere debet, aut tertii facto libero est posita; et si ille, qui ius illud tunc acquirit, dolo aliisue mediis illicitis ansam dedit capiendo consilio, quo conditio resolutiua vere existit; respectu huius conditio non exstitisse censetur.

§. 120. Si is, cui iura aut commoda sub ista conditione, vt viduus maneat s. vt vidualem statum non immutet, sunt concessa, ad secunda transeat vota, ad fructus perceptos restituendos nunquam tenetur.

§. 121. At declaranti licet, iuris sub conditione resolutiua concedendi cautionem statim tempore concessionis praestandam petere.

§. 122. Quod si fuerit omissum, ille, cui ius concessum est, ad cautionem praestandam cogi in eo tantum casu potest, si grauis timendi causa adest, vt existente conditione resolutiua obligationi de re aut iure restituendo satisfacere possit.

§. 123. Quae cautio tam diu perdurat, quamdiu resolutiua conditio existere potest.

§. 124. Iuribus aut commodis, quae aestimari nequeunt, sub conditione resolutiua concessis, in iis casibus, in quibus alias cautio est praestanda, obli-

Source : BIU Cujas

gatio poenae conuentionalis luendae in cautionis locum ſuccedit.

§. 125. Quae quidem poena a iudice ex circumſtantiis eſt determinanda; et ille, cui ius eſt conceſſum, quoad conditio reſolutiua exiſtere poteſt, ſatisdare illi tenetur.

c) Poſſibiles et impoſſibiles.

§. 126. Voluntatis declaratio non eſt conditionata, ſi ad euentum refertur, qui neceſſario ex rerum natura et ordine naturali exiſtere debet.

§. 127. Si ius ita eſt conceſſum, vt eiusmodi naturalis euentus accidere debeat, clauſula haec adiecta, pro temporis definitione ſ. determinatione habetur.

§. 128. Si vero ius ad non exiſtentiam euentus talis neceſſarii refertur, voluntatis declaratio eſt nulla.

§. 129. Si euentus neque per rerum naturam et ordinem, neque ob ſingulares qualitates et relationes eius, cui conditio eſt dicta, exiſtere poteſt, conditio ipſa dicitur impoſſibilis.

§. 130. Conditione impoſſibili ita adiecta, vt ad exiſtentiam peruenire non debeat, voluntatis declaratio pro non conditionata habetur.

§. 131. Conditione impoſſibili vero ita adiecta, vt ad exiſtentiam peruenire debeat, tota declaratio voluntatis nullius eſt valoris.

§. 132. Quod idem obtinet, ſi adiectae ſunt conditiones, quarum ſenſus, et modus, quo adimpleri debeant, nullo modo poteſt intelligi.

d) Inutiles.

§. 133. Conditiones, ex quarum expletione nulla vtilitas colligi poteſt, tamen ſunt adimplendae, quoad declarans viuit, et in adimplenda conditione perſeuerat.

§. 134. Declarans, ſi diem obiit ſupremum, conditionis fine, quem ſpectabat, non expreſſo, ille, cui ſub conditione ius competit, a iudice conditionis remiſſionem petere poteſt.

§. 135.

Source : BIU Cujas

§. 135. Iudex vero omnes, quorum intereſt, legitime audiat, et non, niſi cognita omnibus ex partibus abſoluta conditionis inutilitate, eius adimplementum remittat.

§. 136. Quidquid obiectum voluntatis declarationis eſſe nequit, (§. 7-14.) tanquam conditio nemini poteſt iniungi. e) Illicitae.

§. 137. Vtrum eiusmodi conditiones voluntatem declaratam infirment, an pro non adiectis ſint habendae, pro variis voluntatis declarationum generibus ſpeciatim in legibus ſancitum. (Tit. V. §. 227. Tit. XII. §. 63.)

§. 138. Quid iis in caſibus iuris ſit, in quibus viduitas eſt conditio dicta, ſupra iam monitum eſt. (§. 120.)

§. 139. Adiectis conditionibus licitis pluribus, quarum vna eſt adimplenda aut altera, illi, cui ſunt dictae conditiones ſ. impoſitae, in regula competit optio, quam adimplere velit. f) De pluribus adiectis conditionibus.

§. 140. Res quoque ante actae, tanquam conditio, adiici poſſunt. g) De conditionibus, res ante geſtas concernentibus.

§. 141. Quo in caſu, iuris ſub ea conditione conceſſi poſſeſſio non poteſt peti, antequam euentus praeteriti, pro conditione poſiti, (ſ. rei ante geſtae pro conditione poſitae) exiſtentia clare probata eſt.

§. 142. At, niſi voluntatis declaratio aliud expreſſe conſtituat, legitimi eius effectus ad illud retrahuntur tempus, quo voluntatis declaratio *effectus* habitura fuiſſet, ſi fuiſſet *inconditionata*.

§. 143. Res ante geſta pro conditione reſolutiua (ſ. reſoluibili) adiecta, ius inde conceſſum, probata geſtae rei exiſtentia, pro inualido ab initio habetur.

§. 144. Qui vero declarantem in errorem de euentus ſeu rei geſtae exiſtentia aut natura induxit, ex ſubſecuta declaratione nullum percipere commodum poteſt.

Source: BIU Cujas

Rationes mouentes.

§. 145. In voluntatis declaratione ſi euentus aut factum vel tanquam iam factum vel adhuc futurum modo praeſupponitur, euentus hic vel factum pro ratione tantum mouente habendus.

§. 146. Quae quidem ratio mouens adducta in primis intentionis dubiae interpretationi tantum inſeruit.

§. 147. Quod ſi igitur ſit intentio clara, voluntatis declaratio ipſa eo non infirmatur, quod ratio mouens adducta non eſt vera.

§. 148. Si voluntatem declarans rationem mouentem non veram errore ductus habuit pro vera, is, qui errori iſti de induſtria anſam dedit, nullum inde percipere commodum poteſt.

§. 149. Quo caſu excepto in voluntatis declarationibus, ex quibus iura mutua et obligationes mutuae naſcuntur, error in ratione mouente commiſſus nunquam erranti tribuit ius, a declaratione recedendi.

§. 150. At contra voluntatis declarationes, ex quibus ille tantum, in cuius fauorem ſunt factae, commodum eſſet percepturus, inualidae ſunt, ſimulac apparet, rationem mouentem erroneam expreſſe adductam voluntatis declaratae fuiſſe vnicam cauſam.

Deſcriptiones.

§. 151. Quod de rationibus mouentibus falſis eſt praeceptum, idem quoque valet de falſis deſcriptionibus.

Finis.

§. 152. Si ex voluntatis declaratae ſententia, aut ex cauſis annexis ſ. circumſtantiis elucet, declarantem in eo, quod alteri faciendum aut omittendum iniunxit, alterius commodum intendiſſe, eiusmodi determinatio pro fine magis, quam pro conditione eſt habenda.

§. 153. Si quid expreſſe certum ad finem eſt conceſſum, ille, cui ius inde competit, ſtatim, niſi declaratio contrarium perſpicue contineat, ius conceſſum exercere poteſt, eoque vti.

§. 154. At fine non adimpleto, ius illud amittit.

Source : BIU Cujas

§. 155. Quod ad finem, omnia locum habent, quae de conditione reſolutiua §. 114. ſeqq. ſunt dicta.

§. 156. Certo tempore ad illum finem implendum non definito, ius conceſſum nequit reuocari, quoad finis adimpleri adhuc poteſt.

§. 157. Voluntatis inter viuos declaratae finis praeſcriptus ſecundum declarationem omnino eſt adimplendus.

§. 158. Secus, ſi ille, cui fauor inde enaſcitur, adimplere finem aut nequeat, aut nolit.

§. 159. At vero ſi finis ſimili quo ſecundum declarationem effectus ſit, et ſi declarans ſciens per annum integrum de eo nihil monens quieuerit, heredes eius impugnare adimplendi modum non poſſunt.

§. 160. Quatenus ratione declarationis mortis cauſa factae finis praeſcriptus abſolute, aut ſimili quo, et vel ante declarantis mortem, vel poſt eam ſit efficiendus, legibus ſpecialibus ſancitum. (Tit. XII. §. 505. ſeqq.)

§. 161. Omnibus in caſibus, quibus ius ipſum, quod obiectum eſt declarationis, ad heredes poteſt tranſire; iidem et ratione obligationis, conditionis aut finis adimplendi teſtatoris iura acquirunt.

§. 162. Quod ſi conditio aut finis perſonae eius adhaereat, qui inde ius conſequitur, hoc ante implementum mortuo, effectu deſtituitur declaratio.

§. 163. Tempus incertum voluntatis declarationi adiectum, quo ius aut enaſci debet, aut exſtingui, conditioni ſuſpenſiuae aut reſolutiuae aequiparatur. Tempus.

§. 164. Certo tempore ita adiecto, vt eo praeterlapſo iuris exercitium initium capiat, illum, cui ius competit, tempus quidem expectare oportet;

Source : BIU Cujas

§. 165. Ius tamen ipsum pro plene acquisito censendum, adeoque, nisi sit mere personale, ad eius heredes transit.

§. 166. Eo temporis interuallo obligatus nihil agere debet aut moliri, quod ius alterius imminuere possit, vel interuertere.

§. 167. Certo temporis spatio ita adiecto, vt inde appareat, quamdiu duret ius voluntatis declaratione conceſſum, eo tempore praeterlapso ius ipsum ceſſat.

§. 168. Cui ius eo modo ad certum tantum tempus est conceſſum, huic intra illud tempus in damnum alterius, ad quem, tempore peracto, ius peruenit, nihil moliri licet.

§. 169. In vtroque casu (§. 164. 167.) ille, qui, certo tempore praeterlapso, rem reſtituere debet, ad fructus inde perceptos reſtituendos non tenetur.

TITVLVS QVINTVS.

De pactis et conuentionibus.

Definitio pacti.

§. 1. Pactum est consensus mutuus ad acquirendum ius, vel alienandum.

§. 2. Declaratio nos velle ius in alterum transferre; aut obligationem, qua ipsi adstringimur, suscipere, vocatur promissio.

§. 3. Sola declaratio, nos aliquid esse facturos, sub promissionis nomine nondum venit.

§. 4. Ad pacti perfectionem tanquam essentiale requiritur legitima acceptatio. (§. 78. seqq.)

§. 5. Sola vota, tanquam promissiones mere vnilaterales, secundum leges ciuiles nullam producunt obligationem.

Source : BIU Cujas

§. 6. Si teſtator votum incepit ſoluere, heredem ad illud adimplendum ſ. ſoluendum adſtringere voluiſſe, praeſumitur.

§. 7. Ab vtraque parte ſuſceptis obligationibus mutuis pactum oneroſum vocatur. Diviſio.

§. 8. Conuentio appellatur benefica, qua altera tantum pars in alterius fauorem ad aliquid dandum, praeſtandum, patiendum aut omittendum obligatur.

§. 9. Quatenus quis legitime voluntatem ſuam poteſt declarare, eatenus pactis quoque ſe obligare poteſt. Qualitas perſonalis ad pacis-cendum.

§. 10. Pacta, quibus perſonae incapaces obligari debent, contrahenda ſunt auctoritate tutorum vel conſenſu curatorum, a lege vel iudice ipſis conſtitutorum. (Tit. IV. §. 20—26.)

§. 11. Si perſona ex ſua voluntatis declaratione commodum tantum percipiendi capax, ex pacto inito onera ſimul ſuſcipere debet, totius pacti valor ex tutorum approbatione dependet.

§. 12. Quoad tutor aut curator voluntatem non declarauit, altera pars a pacto recedere non poteſt.

§. 13. Huic tamen quouis tempore licet, tutori temporis terminum conſtituere, intra quem auctoritatem interponere aut recuſare debeat.

§. 14. Minores et prodigi, quod facultatem paciſcendi ſ. poteſtatem conuentiones ineundi attinet, impuberibus aequiparantur.

§. 15. Prodigi paciſcendi incapacitas ab hora meridiana iſtius diei initium capit, quo publici iuris eſt factum nouellarum publicarum folium, cui huius rei declaratio iudicis auctoritate primum eſt inſerta.

§. 16. Qui vero notitiam habuit, quendam prodigalitatis in iudicio eſſe accuſatum, ex pacto, ante publicam promulgationem cum ipſo inito ius quaeſitum non conſequitur.

Source : BIU Cujas

§. 17. Haec prodigi incapacitas, pacifcendo fe obligandi, vsque ad horam meridianam eius diei, qua cura tollitur, fe extendit.

§. 18. Minorum incapacitas, pacta onerofa ineundi, prima luce eius diei, qua maiorennes facti, exftinguitur.

§. 19. Facultas earum perfonarum, quae quidem aetatis tempus legibus definitum nondum attigerunt, annum tamen vicefimum excefferunt, itidem earum, quibus aetatis venia data, loco fuo definita eft.

§. 20. Pupilli, qui tutoris curatorisue confenfu propriam et feparatam oeconomiam inftituerunt, fine tutoris curatorisue etiam confenfu iis pactis obligantur, quae ad propriam iftam oeconomiam exercendam immediate fpectant.

§. 21. Pupilli, qui accedente tutoris curatorisue auctoritate certo vitae generi et negotio fe deftinarunt, pacta omnia ad tangendam metam optatam neceffaria inire poffunt.

§. 22. De pactis liberorum, qui patriae fubfunt poteftati, et vxorum, loco fuo diftinctius disponitur. (P. II. Tit. I. et II.)

§. 23. Feminae marito non iunctae, nifi leges prouinciales exceptiones conftituant, quod pacta attinet, maribus aequiparantur.

§. 24. Caeci, muti et furdi, quatenus voluntatem diftincte et certe declarare poffunt, eatenus pacifcendi pollent facultate.

§. 25. Iidem autem, conftitutis ipfis curatoribus, ratione facultatis pacifcendi, iuribus mente captorum gaudent.

§. 26. Quatenus, et fub quibus legibus et requifitis corpora et vniuerfitates pactis obligari poffunt, fecundum conftitutiones earum fundamentales a republica approbatas diiudicandum.

Source : BIU Cujas

§. 27. Quae si nihil constituant, ad leges recurrendum ob varia corporum vniuersitatumque genera latas.

§. 28. Quae si peculiare quid et singulare non sanciant, praecepta de corporum vniuersitatumque obligatione praescripta communia sunt obseruanda. (Pars II. Tit. VI.)

§. 29. Aeraria publica obligari non possunt, nisi collegii praepositi consensus accesserit.

§. 30. Si ex aerarii constitutionibus immediata principis auctoritas requiritur, collegium praepositum eum, qui cum aerario pacisci velit, ante paciscendum, vel in paciscendo ea de re certiorem facere debet, nisi ad damnum resarciendum teneri velit.

§. 31. Qui paciscitur, alterius qualitates, quae ad paciscendi facultatem faciunt, accurate indagare debet.

§. 32. Sola igitur ignorantia, partem alteram incapacem fuisse, parti alteri nunquam prodesse debet.

§. 33. Qui vero, instituta percontatione accurata a paciscendi incapaci inductus est ad paciscendum, ex bonis illius petere indemnitatem potest.

§. 34. Qui cum persona paciscitur, quae annum decimum octauum nondum expleuit, minorrennitatis ignorantia tueri et excusare se nequit.

§. 35. Atque idem valet de eo, qui incapacem pro mero ipsius asserto, vel iuramento confirmato, capacem iudicauit.

§. 36. Qui incapacitatis suae conscius alterum ad pactum ineundum induxit, tanquam fraudator puniendus. (Pars II. Tit. XX. Sect. XIV.)

§. 37. Pactum ob alterius incapacitatem non obligans, sublata incapacitate, per subsequentem ratihabitionem eatenus tantum obligandi vim consequitur, quatenus haec ratihabitio pro nouo pacto legitimo potest haberi.

Source : BIU Cujas

§. 38. Quod quidem pactum nouum tum demum ad primi negotii initium retrotrahitur, si expresse ita fuerit conuentum.

II. Pactorum obiecta.

§. 39. De rebus omnibus licet pacisci, quae declarationis voluntatis legitimae obiecta esse possunt. (Tit. IV. §. 5 — 19.)

a) Pacta de factis.

§. 40. Conuentiones, quibus quis tertii factum promittit, eum tantum obligant ad omnem operam collocandam et ad efficiendum, vt factum promissum praestetur.

§. 41. Omni opera, vt factum praestetur, frustra adhibita, neque alter ad satisfaciendum, sua ex parte, pacto obligatur.

§. 42. Quin potius, quae eiusmodi pacti respectu dederit aut praestiterit, ipsi restituenda sunt, aut si hoc fieri nequeat, alio modo ipsi est satisfaciendum.

§. 43. Promittens si nullam adhibuit operam, vt factum promissum praestetur, alteri ad resarciendum damnum omne ex hac omissione ortum tenetur.

§. 44. Idem valet, si promittentis culpa magna aut media causa fuit, ne promissum factum praestaretur.

§. 45. Si ex pacto patet, promittentem non solum operam suam collocandam, verum etiam exitum praestandum in se suscepisse, facto non praestito, alteri ad absolutam adstringitur satisfactionem.

b) De rebus tertii.

§. 46. Si vtraque pars expresse de re aliena aut iure alieno pactum iniit, praesumendum est, alteram partem se tantum obligare voluisse ad efficiendum, vt tertius factum in alterius fauorem secundum pactum praestet.

§. 47. Quae contrahentium intentio si secundum pacti naturam sententiamque et circumstantias praesumi nequit, eiusmodi pactum effectibus legitimis est destitutum.

§. 48. Vterque tamen alteri restituat, quod respectu eiusmodi conuentionis datum aut praestitum.

Source : BIU Cujas

§. 49. Si rem promittens alienam, ad succeſſum praeſtandum expreſſe ſe obligauit, praeceptum §. 45. locum inuenit.

§. 50. Quodſi in pacto de re aut iure alieno factum illicitum ab vtraque parte fuerit fundamento, lucrum ab vna alteraue parte iam perceptum ad fiſcum redundat.

c) De factis impoſſibilibus.

§. 51. Pacta, quibus quis obligari debet ad facienda vel praeſtanda abſolute impoſſibilia, inania ſunt atque vana; ſ. conuentiones, per quas quis obligari debet ad actus aut praeſtationes abſolute impoſſibiles, nullae ſunt.

§. 52. Idem valet de impoſſibilitate conditionata ſ. hypothetica, quae pacti initi tempore vtrique parti vel nota erat, vel incognita.

§. 53. Impoſſibilitas conditionata ſi ei tantum erat cognita, qui ad efficiendum vel praeſtandum factum impoſſibile ſe obligauit, hic alteri parti ad plenam damni reparationem tenetur.

§. 54. Si is modo, cui factum aut praeſtatio promittebatur, ſciebat, promittentem eam non poſſe efficere, pactum quidem obligandi vim non habet;

§. 55. At ſi is, qui ſibi promitti ſciebat impoſſibile, promittenti reſpectu pacti iam quid dederit aut praeſtiterit, negotium pro donatione habendum.

§. 56. Omnibus vero in caſibus pactum valet, ſi vni parti aut alteri optio data, vt pro impoſſibili aliud petat, aut praeſtet.

§. 57. Atque idem obſeruandum, ſi impoſſibilitas conditionata, quae aderat in pacifcendo, ceſſat intra tempus ad praeſtandum definitum.

d) De rebus commercio exemtis.

§. 58. Conuentiones de rebus commercio exemtis valent, quatenus impedimentum poteſt remoueri.

§. 59. Implementum tamen remoto demum impedimento poteſt peti.

§. 60. Fruſtra elapſo tempore ad remouendum hocce impedimentum ſtato, pactum eo ipſo vim amittit.

Source : BIU Cujas

§. 61. Temporis ſpatio nullo praefixo, petente vna parte aut altera, a iudice pro re ſ. circumſtantiis tempus conſtituatur.

§. 62. A facto tertii ſi dependet impedimenti remotio, et alter contrahentium ſi factum efficiendum ſpopondit, praecepta §. 40 — 45. locum inueniunt.

§. 63. Si neuter ad remouendum impedimentum ſpeciatim ſe obligauit, ad remouendum illud obligatur is, cui ſoli cognita erat impedimenti exiſtentia.

§. 64. Impedimenti exiſtentia contrahenti vtrique ſi fuerit cognita, de remouendo impedimento eum curare oportet, qui ob vitium in perſona ſua paciſci de eiusmodi re non poterat.

§. 65. Quodſi vero quaeſtio hac ratione dirimi nequeat, in pactis mere lucratiuis curare de obſtaculo tollendo obligatur, qui lucrum quaerit inde percipiendum.

§. 66. In pactis autem oneroſis vtraque pars aequali obligatione adſtringitur.

§. 67. Si data omni opera, tolli obſtaculum nequit, omnia hic locum ſibi vindicant, quae §. 52 — 57. in eum caſum praeſcripta ſunt, ſi de faciendo aut praeſtando conditionatim impoſſibili facta eſt conuentio.

e) De factis illicitis.

§. 68. Vt pacta de factis impoſſibilibus, ita et de factis illicitis nihil valent.

§. 69. Si vero legis factum prohibentis diſpenſatio impetrari poteſt, de huiusmodi factis idem valet, quod de pactis de rebus commercio exemtis §. 58 — 67. praeceptum eſt.

f) De pactis inutilibus.

§. 70. Pacta, quorum implementum nemini commodum aut vtilitatem affert, parte onerata petente, a iudice ſunt reſcindenda.

g) De pactis indeterminatis.

§. 71. Pacta, quorum obiectum determinari nullo modo poteſt, aut quorum determinatio aut implementum mero obligati arbitrio eſt relictum, vim obligandi non habent. (§. 235 — 240.)

Source : BIU Cujas

§. 72. Indeterminate susceptae obligationis determinatio si tertii iudicio relicta est, pactum valet, si tertius sententiam suam pronuntiauit.

§. 73. At tertius hic ad pronuntiandam sententiam inuitus cogi nequit.

§. 74. Commoda quoque tertii obiectum pacti esse possunt. *h*) Pacta de commodis tertii.

§. 75. Tertius vero ipse ex eiusmodi pacto, in quo contrahendo neque mediate, neque immediate voluntatem suam declarauit, tum demum ius acquirit quaesitum, si ad pactum accessit consentientibus pacisentibus.

§. 76. Eo vsque haec conuentio, quae in eius vtilitatem vergit, consentientibus, qui contraxerunt, mutari potest, vel plane tolli.

§. 77. Iam vero si tertius fuerit rogatus, vt accedat, contrahentes huius declarationem de acceptatione expectent necesse est.

§. 78. Quidquid generatim ad legitimam voluntatis declarationem pertinet, ad legitimam quoque promissi acceptationem requiritur. III. De acceptatione.

§. 79. Acceptatione promissionis legitima pactum perficitur.

§. 80. Temporis itaque momentum, quo acceptatio legitime est declarata, tempus quoque determinat pacti perfecti.

§. 81. Facta, quae promissionis acceptationem supponunt, acceptationi expressae aequiparantur.

§. 82. Si, quod altera pars petit aut postulat, ab altera parte est concessum, petentis aut postulantis expressa acceptatio non requiritur.

§. 83. Acceptatione nemo plus iuris consequitur, quam quod ab altero est oblatum.

§. 84. Ad pacti perfectionem acceptatio pura et illimitata requiritur.

Source : BIU Cujas

§. 85. Acceptatio ſub conditione facta, aut certis limitibus circumſcripta, promiſſori poenitendi ſ. oblationem retrahendi facultatem concedit.

§. 86. Pacta non ſolum perſonaliter, aut per mandatarios, ſed etiam per literas poſſunt contrahi.

§. 87. Quatenus alicui ius competit, alterius negotia ex ſenſu vere accepti aut praeſumti mandati expediendi, eatenus conditiones oblatas illius nomine poteſt accipere. (Tit. XIII. §. 120. ſeqq.)

§. 88. Quo caſu excepto, ſola tertii acceptatione is, cui promiſſio facta eſt, in regula ius nullum conſequitur. (Tit. XI. §. 1060.)

§. 89. Si vero, declarata acceptatione pactum verum inter promiſſorem et accipientem in tertii fauorem eſt contractum, locum inueniunt regulae §. 74—77.

Determinatio temporis acceptationis.

§. 90. Promiſſionis acceptatio vt promiſſorem obligandi vim habeat, idoneo tempore fiat neceſſe eſt.

§. 91. Determinato ab offerente ad declarandam de oblatione voluntatem certo temporis ſpatio, alteri vsque ad praeterlapſum illud temporis ſpatium acceptandi poteſtas ex iure competit.

§. 92. Offerens vero, licet tempus ad oblationem acceptandam alterius arbitrio reliquerit, cunctante altero nihilominus certum ſpatium ad acceptandum determinare poteſt.

§. 93. Deliberandi tempore expreſſe certum in finem conceſſo, temporis ſpatium ita determinetur neceſſe eſt, vt fini aſſequendo ſufficiat.

§. 94. Si in offerendo de acceptandi tempore plane nihil eſt conſtitutum, ſine mora, ipſo oblationis tempore declarandum eſt, an oblatio ore tenus facta acceptetur, nec ne.

§. 95. Oblatione inter perſonas vno eodemque loco commorantes per literas facta, acceptatio intra quatuor et viginti horarum ſpatium declaranda.

Source : BIU Cujas

§. 96. Oblatione vero inter abſentes per literas facta temporis ſpatium eſt attendendum, quo literae eum in locum, quo alter verſatur, curſu publico ordinario transferuntur.

§. 97. Curſu publico equeſtri aut vehiculari poſt acceptas literas proxime redeunte ad oblationem reſpondendum.

§. 98. Offerens tamen, ſi curſu primo publico reſponſum non ſit datum, ob caſus interuenientes ſecundum curſus publici, (ſ. immediate ſequentem poſtae) diem expectare debet.

§. 99. Si oblatio ſcripta nuntio non niſi hunc in finem miſſo facta eſt, offerens longiſſimum temporis ſpatium, intra quod nuntius non interiectis caſibus inſolitis redire poteſt, expectet.

§. 100. Nuntius ſi intra hoc temporis ſpatium non redierit, offerens alterum de eo certiorem facere, eique ſignificare debet, an oblatione adhuc obligari velit, nec ne.

§. 101. Oblatione corpori aut vniuerſitati facta, offerens eius declarationem expectet ad temporis ſpatium, quo opus eſt ad capeſſendum atque ipſi ſignificandum conſtitutioni congruum conſilium.

§. 102. Omnibus in caſibus, niſi aliud expreſſe fuerit definitum, praeſumitur, acceptationem eo tempore eſſe factam, quo acceptans ex ſua parte omnia peregerat, quae ad declarationem offerenti ſignificandam neceſſaria requiruntur.

§. 103. Praeterlapſis fruſtra, qui §. 90. ſqq. determinati ſunt, terminis declarationi de oblatione praefixis, offerenti poenitendi ſ. recedendi ius eſt.

§. 104. Eum autem, cui oblatio facta eſt, praeſentem confeſtim, abſentem vero curſu publico proximo, de reuocata oblatione certiorem faciat.

§. 105. Quo neglecto, ſi poſtea appareat, alterum acceptationem re vera tempore legitimo declaraſſe, huic omne damnum ex apparatibus ad adimplendum

Source : BIU Cujas

pactum hoc temporis interuallo exortum, reſarcire debet.

§. 106. Si poſt factam oblationem, ſed terminis, qui ſupra determinati ſunt, nondum praeterlapſis, vna alteraue pars vita defungatur, hoc deceſſu iura et obligationes, qua acceptationem, non mutantur.

107. Quae vero oblatio ſi expreſſe fauorem eius, cui eſt facta, concernit, heredibus eius et ſucceſſoribus nullum ius competit in acceptationem a teſtatore nondum factam.

§. 108. In iis caſibus, in quibus ob vnius vel alterius partis mortem a conuentione legitime facta ante expletionem recedere licet, morte ſimul ius acceptationis amittitur.

IV. Forma. §. 109. Ad pactum firmandum, praeter conſenſum mutuum, obſeruatio quoque formae a legibus ciuilibus praeſcriptae requiritur.

§. 110. Si vero, obſeruandam eſſe formam, lex ſub poenae tantum comminatione praecipit, pactum valet, licet forma fuerit neglecta.

1) Quibus ex legibus forma ſit diiudicanda. §. 111. Conuentionis forma ad loci leges, quo facta eſt conuentio, diiudicanda.

§. 112. Si pactum ad legis formam inter abſentes initum eſt, forma eius diiudicatur ex legibus loci, quo inſtrumentum datum.

§. 113. Si vero inter abſentes per literas, ſine legitimo inſtrumento facta conuentio, et ſi in contrahentium domiciliis diuerſae ſint formae legitimae, formae valor diiudicandus eſt ſecundum eius loci leges, quibus negotium ſubſiſtere optime poteſt.

§. 114. Eadem eſt ratio, ſi pactum pluribus locis, datum eſt, quorum iura, quod ad formam, varia.

§. 115. In negotiis omnibus, in quibus res immobiles earumque dominium, poſſeſſio, aut vſus conuentionis obiectum conſtituunt, quod ad formam obſeruandae ſunt leges loci, in quo res eſt ſita.

Source : BIU Cujas

§. 116. Pacta vi legis aut partium conuentione ſcriptura contrahenda ſubſcriptione demum vim et valorem accipiunt. 2) De pactis ſcriptis.

§. 117. In actibus omnibus, in quibus partes de pacto per ſcripturam contrahendo conuenerunt, praeſumitur, non tantum pacti probationem ſed eius quoque vim obligatoriam a conceptione ſcripta debere dependere.

§. 118. Autographum ſ. manu propria ſcriptum proiectum, pro perfecto pacto non habetur, niſi acceſſerit ſubſcriptio.

§. 119. Sigillum addere inſtrumento ſubſcripto et tradito non eſt neceſſe, licet in eo facta ſit ſigillorum mentio.

§. 120. Punctatio, ab vtraque parte ſubſcripta, ex qua conſenſus mutuus in conditionibus negotii eſſentialibus apparet, aeque valet ac contractus ſolemnis ſ. formalis. 3) De punctationibus.

§. 121. Ad implementum punctationis agi poteſt.

§. 122. Si ad iudicialem proclamationem ſ. publicationem, (Verlautbarung) confirmationem, aut conſignationem (ſ. ingroſſationem) in tabulas ſcriptura ſolemnis (expeditionem vocant), pacti neceſſaria eſt, a iudice ſecundum punctationis tenorem ea conſtitui poteſt.

§. 123. Pars altera ſi pertinaciter ſubſcriptionem recuſat, ſupplere eam iudex poteſt.

§. 124. Si fundus peregrinus pacti eſt obiectum, et ſi ſecundum loci leges ſolemnis ab vtraque parte ſubſcriptus requiritur contractus, pars, quae ſubſcriptionem pertinaciter recuſat, vi in iudiciis adhiberi ſolita, (ſeu vulgo dicta executione,) ad ſubſcribendum adſtringi poteſt.

§. 125. Si punctationi eſſentialia deſunt, aut ſi partes in ea conſtitutionem certarum conditionum ſecundariarum expreſſe ſibi reſeruarunt, eiusmodi

Source : BIU Cujas

punctatio pro eo, quod pacifcendi cauſa agitur, ſeu, pro tractatu vt vocant, habenda.

§. 126. Protocollum de ineundo pacto a iudicio aut iuſtitiae commiſſario (Iuſtizcommiſſario) confectum eandem habet cum punctatione vim.

4) De pactis ore prolatis ſecundariis.

§. 127. Conuentione per ſcripturam celebrata, omne, quod ad partium conditum ore prolatum ſpectat, non niſi ſecundum contractum ſcriptum diiudicari debet.

§. 128. Conuentionum ſecundariarum oppoſitarum, ore tantum prolatarum, ſine obiecti diſcrimine, nulla habetur ratio.

§. 129. Quin potius determinationes ſecundariae, quae modum, locum, aut tempus implementi, aut alios caſus obuenientes concernunt, quatenus in contractu determinatae non ſunt, a iudice ex ſolis legis praeceptis ſupplendae.

§. 130. Quidquid in contractu ita eſt ſcriptum, vt legi non poſſit, aut obſcure eſt expreſſum, neque ex contextu ſatis perſpicue apparet, alio modo certo eſt eruendum.

5) Quo in caſu pactum ex legibus ſcriptum eſſe debeat.

§. 131. Quoduis pactum, ſummam concernens thalerorum quinquaginta numorum argenteorum ſolidorum maioris monetae, ſ. monetae currentis craſſae argenteae, (vulgo vocant Courant) ſcriptura contrahi debet.

§. 132. Si conuentum de auro ſignato, ſ. cuſſo, thaleri tres numorum argenteorum ſolidorum maioris monetae, ſ. craſſae argenteae monetae, vni aureo numo, quinque thaleri cum quarta parte ſexti numo quinque thalerorum aureo aequiparantur.

Quatenus ſcriptura reſpectu aliarum voluntatis de-

§. 133. Et aliae voluntatis declarationes vnilaterales, quinquaginta thalerorum numerum excedentes, ſunt ſcriptura contrahendae, effectus earum ſi debeant in tempus futurum extendi.

§. 134.

Source : BIU Cujas

§. 134. Ad renunciationes et resignationes documenta requiruntur scripta; non vero ad probandum solutionem factam aut aliud obligationis alicuius implementum. declarationum sit necessaria.

§. 135. Conuentiones et declarationes de fundi iuribus, atque oneribus et officiis personalibus perpetuis semper scripturam postulant. Propiores determinationes. a) Qua iura.

§. 136. Praestationes, quae succesſiue debentur, (s. terminis praefinitis) quarum vel terminorum numerus non est determinatus, vel termini computati omnes quinquaginta thalerorum summam excedunt, contractum requirunt scriptum. b) Qua praestationes, quae succesſiue debentur.

§. 137. De mercedibus seruorum ancillarumque scriptura non requiritur. (P. II. Tit. V. Sect. I.)

§. 138. In pactis aleam continentibus incertum lucrum non attenditur, sed pignus seu promissum, quo certatur. c) Qua pacta aleae.

§. 139. Si vero ab vtraque parte negotium aleam continet, conuentio semper scriptis consignanda.

§. 140. Poenae conuentionales in putando non inferuntur summae siue pretio rei, de qua obligatio principalis pacta. d) Qua poenas conuentionales.

§. 141. Si vero poena conuentionalis summam quinquaginta thalerorum excedit, scriptura est necessaria.

§. 142. Inter absentes loco pacti scripti est literarum commercium, quatenus conditiones et consensus contrahentium mutuus exinde potest conspici. Quomodo pacta scripta literarum commercio contrahuntur.

§. 143. Si de illo negotio, de quo pactum est contractum, solemne instrumentum est necessarium, literarum commercium est punctationis loco. (§. 120.)

§. 144. Pacto literis consignato non opus est, si cui res custodiendae traduntur. (Tit. XVI. Sect. I.) Casus, in quibus non requiritur pactum scriptum.

§. 145. Nec si cauponibus, aurigis, et nautis ab iter facientibus res recipiendae committuntur, opus est scriptura.

Source : BIU Cujas

§. 146. Pacto de rebus mobilibus ab vtraque parte illico adimpleto, ad impugnandum negotium eo modo confectum, scripturae defectus opponi nequit.

§. 147. Et negotio eo modo confecto pars neutra potest agere ex fundamento conuentionum secundariarum obtentarum ore tenus pactarum.

§. 148. Conuentionibus initis de rebus mobilibus corporalibus, extra terras regias sitis in loco, quo pacta sine discrimine ore tenus valide contrahuntur, scripturae defectus nec in iudiciis nostris opponi potest.

§. 149. Emtionis venditionis de mercibus nundinalibus (*Mess- und Marktwaaren*) actus, a mercatoribus cum aliis personis inter mercatum et nundinas celebrati et statim adimpleti, aut mercatorum more in codicem accepti et expensi relati contractum scriptum non desiderant.

§. 150. Hoc casu excepto et eiusmodi emtionis venditionis actus scriptis consignandi, aut ab vtraque parte ore tenus indicandi iudicio mercatus aut nundinarum, ex ordinatione processus constituendo.

§. 151. Quid iuris sit de conuentionibus scriptis, quod ad negotia mercatoria, inter mercatores, inter vel extra mercatus et nundinas; suo loco sancitum. (P. II. Tit. VIII. S. VIII.)

§. 152. Subscriptio rationis de mercibus aut operis acceptis a debitore facta in casibus omnibus est loco conuentionis scriptae.

§. 153. Si tertius accedere velit ad pactum ab aliis contrahentibus confectum, quod ex legibus scriptum esse debet; et haec accessio scriptis declaranda.

§. 154. Pacti secundum leges scriptis consignati prorogationes ore tenus factae eatenus tantum valent, quatenus leges tacitam prorogationem eiusque terminos expresse admittunt. (Tit. XXI. Sect. II.)

Source : BIU Cujas

§. 155. In iis casibus, quibus leges pactum requirunt scriptum, ex pacto ore tenus tantum contracto et a neutra parte adhuc adimpleto actio non potest instituí. Effectus legitimi, si scriptura est omissa.

§. 156. Si vero alter contrahentium ab altero implementum iam plene aut ex parte accepit, is tenetur, vel ex parte sua pacto quoque satisfacere, vel acceptum restituere aut compensare.

§. 157. Restitutione electa, res ex pacto accepta in eodem, quo tradita est, statu restituenda.

§. 158. Ratione fructuum, et meliorationum seu impensarum, eo temporis interuallo factarum, possessori iniustificato est aequiparandus. (Tit. VII. §. 223. sqq.)

§. 159. Iam vero si rem acceptam in statu eodem, quo tempore fuit traditionis, restituere nequeat, nec pacto ore tenus inito satisfacere velit, pretium ore tenus constitutum restituere debet.

§. 160. Pretio autem nullo constituto, pretium, quo traditionis tempore res aestimabatur, eruendum et restituendum est.

§. 161. Si, qui pactum ore tenus contractum adimplere detrectat, ratione eius pacti, alteri quid dedit, id quidem repetere potest;

§. 162. At datam rem recipere eum oportet in eo statu, in quo fuit eo tempore, quo ipsius recusatio in alterius notitiam peruenit.

§. 163. Generatim contrahens, ad pactum ore tenus initum adimplendum paratus, respectu restitutionis alteri, quem poenitet, praestandae, iuribus bonae fidei possessoris gaudet omnibus. (Tit. VII. §. 188. seqq.)

§. 164. Si quid vni parti aut alteri ex conuentione ore tenus inita sic fuerit datum, vt deinde de summa detrahatur; alter, quem poenitet, a die solutionis acceptae, alter vero, ad satisfaciendum contractui paratus, a die poenitentiae annuntiatae vsuras legitimas praestare tenetur.

Source : BIU Cujas

§. 165. Pacti ore tenus initi obiectum principale ſi facta conſtituunt, iis in totum praeſtitis, ea ſatisfactio debetur, de qua coram conuentum eſt.

§. 166. Si obligatus factis ſ. actionibus ex parte tantum praeſtitis, facta ad perficiendum contractum reſtantia praeſtare recuſat, is, cui ius inde competit, de ſatisfactione ore tenus conſtituta tantum detrahere poteſt, quantum ſufficit praeſtandis factis reliquis.

§. 167. Si vero, cui ius eſt, factorum adhuc reſtantium praeſtationem acceptare recuſat, factorum iam praeſtitorum pretium ſecundum leges eruendum et ſoluendum.

§. 168. Caeterum ex pacto ore tenus tantum contracto ob implementum ab vna parte aut altera denegatum, ad indemnitatem, et ad id, quod intereſt, agi nequit.

Quid ſit iuris, ſi inſtrumentum non amplius adeſt.

§. 169. Inſtrumento pacti ſcripti amiſſo, ad ea eruenda, quae in inſtrumento erant ſcripta, admittuntur probandi argumenta omnia legibus approbata.

§. 170. Si alter contrahentium inſtrumenti iacturae aut deletionis anſam dederit de induſtria; ea quae alter in inſtrumento ſcripta fuiſſe defert, eo vsque pro veris habentur, donec clare probetur contrarium.

6) De pactis iudicialibus.

§. 171. Caeci, et muti ſurdique ſimul, pacta ſua, quae ſcripturam requirunt, in iudicio conficienda curare debent.

§. 172. Scribendi legendique imperiti, aut caſu quodam a ſcribendo impediti in negotiis, quae contractum ſcriptum requirunt, in iudicio aut coram iuſtitiae commiſſario eum conficere debent.

§. 173. Plebeii ruſtici ſcribendi legendique imperiti coram iudicio pagano ſ. villano, adhibito actuario iurato iudiciali, valide pacta contrahere poſſunt.

§. 174. Eiusmodi perſonarum pacta extraiudicialia, licet ſcripta, pactis ore tenus tantum contractis

Source : BIU Cujas

aequiparantur; nisi obseruata sit forma §. 171. 172. 173. praescripta.

§. 175. Si talis contrahens aduersariis s. protocollo aut contractui nomen propria manu subscribere nequit, locum subscriptioni destinatum crucibus signare, aut aliis signis manus solitis notare debet.

§. 176. Quorum signorum fidem iudex aut iustitiae commissarius testari debet hoc modo: contrahentem ipsum signa feciſſe, et cur iis subscriptionis loco fuerit vsus.

§. 177. Quae signa etiam si contrahens adiicere nequit, assistens ab eo electus nomine eius subscribere debet; quod factum esse, iudicem aut iustitiae commissarium attestari oportet.

§. 178. Quibus praeceptis (§. 175. 176. 177.) non obseruatis pacti quidem obligatio non infirmatur; sed iudex aut iustitiae commissarius de difficultatibus et sumtibus tenetur inde oriundis.

§. 179. Linguae, qua instrumentum scriptum est, expers aequiparatur illi, qui scribere nescit. (172.)

§. 180. Si iudex aut iustitiae commissarius eiusmodi contrahentis linguae fuerit ignarus, interpres iuratus adhibendus.

§. 181. Si vero partes de interprete non iurato inter se conuenerunt, id verbis expressis in protocollo notandum.

§. 182. Vna cum instrumento originali iudex aut iustitiae commissarius contrahenti linguae imperito instrumenti versionem ad subscribendum proponere debet. (§. 178.)

§. 183. Quod si versio cum originali non concordet, versio in linguae ignari valet fauorem.

§. 184. Quarum cautionum defectus (§. 180. 181. 182.) pactum, cuius firmitas alias probari potest, non quidem inualidum reddit, iudex vero de difficultatibus sumtibusque tenetur.

Source : BIU Cujas

V. De corroboratione pactorum.

1) Per ratihabitionem.

§. 185. Qui pactum ore tenus initum per scripturam aut protocollum ratihabuit, defectum scripturae opponere nequit, quatenus conuenta ex hac ratihabitione apparent.

§. 186. Pacti legitimi ratihabitione remouentur exceptiones, quae consensus liberi aut serii defectu nituntur.

§. 187. Quae tamen ratihabitio eo tempore subsecuta sit, necesse est, quo impedimentum, in contrahendo pacto obstans, erat sublatum.

§. 188. Atque tunc effectus illimitatae ratihabitionis ad tempus, quo pactum est initum, retrotrahitur.

§. 189. Actus, ex quibus cognitio plena pacti vna cum repetita approbatione tenoris vniuersi luculenter potest intelligi, tacitam producunt ratihabitionem.

§. 190. Deficiente pacti cognitione sufficiente, ratihabitio obligatoria non adest.

§. 191. Si vero ex actu apparet non pacti vniuersi, sed eius tantum partis approbatio; ratihabitionis effectus ad partes non approbatas nullo modo potest extendi.

§. 192. Quatenus vero pactum, ob contrahentis incapacitatem inualidum, ratihabitione subsecuta conualescat; §. 37. 38. est praeceptum.

2) Per renuntiationem exceptionum.

§. 193. Exceptionum renuntiatio in contractu verbis generalibus facta effectus legitimos non producit.

§. 194. Neque exceptionibus, quae pactum ab initio reddunt inualidum, in contractu renuntiari potest.

§. 195. Idem de exceptionibus, quae lege prohibitiua nituntur, locum habet.

§. 196. Exceptionibus, quae in tertii fauorem vergunt, contrahens in damnum eius renuntiare non potest.

Source : BIU Cujas

§. 197. Exceptiones aliae, quibus in contractu verbis expreſſis eſt renuntiatum, poſtea non amplius poſſunt opponi.

§. 198. Senſus autem et ſententia exceptionum in pacto ita debet eſſe expreſſa, vt renuntians perſpicue intelligere potuerit, quibus renuntiauerit.

§. 199. Confirmatione iurata pactum maiorem vim non accipit, ac legibus per ſe illi tribuitur. (P. II. Tit. XX. Sect. XIV.)

§. 200. Pactorum confirmatio iudicialis ſecundum iura communia neceſſaria non eſt. 3) Per iudicialem confirmationem.

§. 201. Quae vero ſi acceſſerit, praeſumtionem confirmat, pactum legitime eſſe initum.

§. 202. Confirmatio iudicialis ratihabitionem contrahentium iudicialem ſemper praeſupponit.

§. 203. Pacti in iudicio confirmati implementum differri nequit exceptionibus, illius firmitati et tenori oppoſitis, niſi ſint in continenti liquidae.

§. 204. Confirmatio iudicialis ſine tertii detrimento ſemper intelligitur.

§. 205. Arrha in ſpecie ſic dicta (*Draufgabe, Zatatek*) eſt omne id, quod datum in ſignum conuentionis initae. 4) Per arrham.

§. 206. Quidquid ita datum eſt, vt de ſuſceptae obligationis pretio conuento dein deducatur, vocatur arrha ſenſu latiori. (*Angeld, Zaliczanie*)

§. 207. Niſi leges aut pactum ipſum aliud expreſſe conſtituant, arrha in ſpecie ſic dicta (*Draufgabe*) ſimul pro arrha in ſenſu latiori (*Angeld*) habenda.

§. 208. Pro arrha in ſenſu latiori vero non eſt habendum, quod generis diuerſi eſt ab eo, ad quod praeſtandum ex contractu dans eſt obligatus.

§. 209. Quid de donis ſponſaliciis (ſ. ſponſalicia largitate) et arrha famulitia iuris ſit, ſuo loco eſt ſancitum. (P. II. Tit. I. Sect. II. Tit. V. Sect. I.)

Source : BIU Cujas

§. 210. Qui arrham accepit, ab obligatione fuscepta non liberatur, ſi eam reddit.

§. 211. Neque qui arrham dedit, arrhae iactura ab adimplendi pacti obligatione liberari poteſt.

Quid ſit iuris. *a*) Si arrha ſimul ſit multa poenitentialis.

§. 212. Si vero, expreſſa partium conuentione, ſub arrhae iactura aut reſtitutione a pacto recedere liceat, arrha in locum multae poenitentialis ſ. vadimonialis (*Wandelpön*) ſuccedit.

§. 213. Quo in caſu ſi dans recedit, accipiens arrham retinet; aliam vero damni reparationem poſtulare nequit.

§. 214. Accipiens ſi reſilit, dans arrhae reſtitutione ſatisfactionis loco contentus eſſe debet.

§. 215. Quodſi autem altera pars pactum adimplere iam incepit, tum, etiamſi arrha pro multa poenitentiali data ſit, neque is, qui ex parte pactum adimpleuit, neque is, qui adimplementum accepit, recedere poteſt, inuito altero.

§. 216. Omnibus in caſibus autem arrhae dominium cum omnibus effectibus ſtatim ad accipientem tranſit.

b) Si arrha non eſt multa poenitentialis.

§. 217. Si de vera agitur arrha, quae pro multa poenitentiali non data, tum, pacto accipientis culpa facto irrito, danti eſt optio: vtrum praeter reliquam illi competentem damni reſtitutionem, arrham ipſam, qualis iam eſt, recipere, an pretium velit petere, quod arrhae erat traditionis tempore.

§. 218. Si dantis culpa pactum non perficitur, arrham datam amittit.

§. 219. Arrhae tamen pretii in dantis commodum habenda ratio in damni reſtitutione, accipienti praeterea forſan praeſtanda.

§. 220. Si pactum ſine praecipua vnius aut alterius culpa reſcinditur, tunc arrha, qualis eſt, reddenda et recipienda.

Source : BIU Cujas

§. 221. Eadem eſt ratio, ſi pactum conſenſu diſſoluitur mutuo, aut ob defectum legitimorum requiſitorum ſubſiſtere nequit.

§. 222. Quibus in caſibus (§. 220. 221.) ſi arrha non amplius exiſtat, reſtituatur eius, quod fuit tempore acceptationis, pretium.

§. 223. Si defectus in omiſſa tantum ſcriptura conſiſtit, regulae §. 156. ſeqq. hic locum habent.

§. 224. Si quis a perſona, legibus ad paciscendum inhabili, arrham accepit, regula §. 217. in dantis fauorem eſt adhibenda.

§. 225. Vbi de reſtituenda arrha agitur, in pecunia aut alia re fungibili conſiſtente, naturalis arrhae reſtitutionis loco totidem eiusdem generis res, et eiusdem quantitatis et qualitatis reddendae.

VI. Secundariae conſtitutiones in pactis.

1) Conditio finis, ratio mouens.

§. 226. Contrahentes iura, quae ſibi inuicem concedunt, adiectis conditionibus, finibus, rationibus mouentibus, et alio modo in pactis tam primariis, quam ſecundariis, pro arbitrio definire, extendere latius et limitibus circumſcribere poſſunt. (Tit. IV. §. 99. ſqq.)

§. 227. Conditiones illicitae, quae ex legibus in voluntatis declarationibus in genere nullum locum obtinent, infirmant quoduis pactum, cui ſunt adiectae. (Tit. IV. §. 137. ſeqq.)

§. 228. Si vero non pactum ipſum primarium, ſed certa tantum determinatio ſecundaria, aut conditum, ad conditionem illicitam eſt adſtrictum, id tantum ſolum inde infirmatur.

§. 229. Pactum ſub ſingularibus conditionibus fuiſſe contractum in pactis quoque ore tenus contractis non praeſumitur.

2) Tempus.

§. 230. Tempore adimplementi in pacto non definito, determinatio iudicialis, orto dubio, locum habet.

§. 231. In quo tempore determinando iudicem oportet reſpicere ad partium intentionem veriſimilem in negotio celebrando; ad finem, in quem

Source : BIU Cujas

is, cui quid praeſtandum eſt, illud ſibi reſeruauit, et ad reliquas in pacto ineundo obuenientes circumſtantias.

§. 232. Nemo pacti oneroſi, ratione temporis indeterminate contracti implementum poſtulet, antequam ipſe et vult et poteſt pactum ex ſua parte implere.

§. 233. In pacto mere benefico indefinitum implementi tempus ab obligati arbitrio dependet, modo mora non euertat ius alteri conceſſum.

§. 234. In pacto, ad quod adimplendum ſingularis ſcientia aut artis peritia eſt neceſſaria, deficiens temporis determinatio a iudice ex artis et rerum peritorum iudicio ſupplenda.

§. 235. Si tempus implementi propinquum verbis indeterminatis fuerit ſignificatum, quouis peti tempore implementum poteſt.

§. 236. Si implementum verbis indeterminatis, quantum fieri poterit (*nach Möglichkeit*) in quantum occaſio obuenerit, (*nach Gelegenheit*) ſit promiſſum, neque obligatio per ſe ex pacto ſolo exoriatur, ſed obligationis fundamentum legitimum ante pactum iam exſtiterit; determinatio iudicialis ex ante laudatis regulis (§. 230—234.) locum inuenit, verborum dubiorum ratione nulla habita.

§. 237. Si vero obligatio per ſe ex pacto tantum oriatur, et in eo verbis eiusmodi indeterminatis implementum promiſſum ſit, adimplendi tempus ab obligati determinatione plane dependet.

§. 238. In quo vltimo, ſimulque eo in caſu, ſi tempus adimplendi obligati arbitrio expreſſe eſt commiſſum, actio ad implendum, obligato demum mortuo, poteſt inſtitui.

§. 239. Interea temporis obligatus nihil agat aut moliatur, quod eo tendit, vt implementum pacti fiat impoſſibile.

Source : BIU Cujas

§. 240. Pactum vero, quod pro obiecti natura poſt obligati obitum adimpleri non poteſt, vim amittit, ſi obligatus ante adimplementum e vita diſceſſerit.

§. 241. Ante temporis in pacto definiti decurſum, inuita vna parte aut altera, implementum neque peti, neque praeſtari debet.

§. 242. Qui pactum ſine alterius conſenſu ante tempus determinatum adimplet, vsque ad termini decurſum ſentit caſus omnes, qui rem afficiunt.

§. 243. Factum ante tempus praeſtitum non praeſtitum habetur, et tempore praefinito reiterandum, aut ſi hoc fieri nequeat, is, cui ius inde competit, indemnis praeſtandus.

§. 244. Quatenus vero is, cui ius competit, ex facto ante tempus praeſtito percepit commoda, ea ipſi detrahenda de adimplemento aut damni reſtitutione, quam poteſt petere.

§. 245. In genere is, cui ius competit, et qui adimplementum ſine reſeruatione accepit, exceptione, factum ante tempus eſſe praeſtitum, poſtea non amplius vti poteſt.

§. 246. Obligatus, qui ſponte ante termini decurſum adimplementum praeſtitit, illud ſub praetextu praeſtationis ante tempus factae repetere ſibi nequit.

§. 247. Loco, quo obligatio ex pacto praeſtetur, non definito, eiusmodi defectus, lite exorta, a iudice pro negotii natura et exinde aperte elucente contrahentium animo ſuppleatur. 3) Locus.

§. 248. Lis exorta ſi ſecundum hanc regulam dirimi nequeat, et ſi ex pacto aliquid dandum ſit, traditio eo loco fieri debet, quo is, qui ius conſecutus eſt, habitauit pacti initi tempore.

§. 249. In pactis mere beneficis, illi, cui ius competit, implementum non niſi in obligati ſede fixa petere licet.

Source : BIU Cujas

§. 250. Si de facto tantum praeſtando ſermo eſt, deficientibus aliis determinationibus, locus, vbi obligatus conuentionis initae tempore habitauit, pro loco implementi habetur.

§. 251. Pluribus locis ad implendum determinatis, in caſu dubio obligato eſt electio, vbi pactum adimplere velit.

VII. Pactorum interpretatio.

§. 252. Regulae, quae generatim ad voluntatis declarationes interpretandas ſunt praeſcriptae, in pactis quoque adhibentur. (Tit. IV. §. 65 — 74.)

§. 253. In caſibus dubiis id potius attendendum, quod obligatus promiſit, quam quod is, qui ius eſt conſecutus, acceptauit.

§. 254. Si tractatibus et declarationibus mutuis diuerſis pactum inter abſentes vere eſt contractum, at dubitationi locus eſt, ſecundum quam harum diuerſarum declarationum pactum proprie ſit contractum, eius declarationis habenda ratio, quae conſummandi pacti prima erat cauſa. (§. 79.)

§. 255. Si erui nequeat, quae prior fuerit declaratio, conſtituendum eſt, pactum fuiſſe conſummatum ſecundum minorem licitationem eius, de cuius obligatione dubitatio exiſtit.

§. 256. Contractu ſecundum pondus et menſuram inito, contrahentes praeſumuntur menſuram et pondus in animo habuiſſe, quibus loco traditionis vtuntur.

§. 257. Non expreſſa monetae ſpecie in praeſtatione pecuniaria, in caſu dubio vſitata intelligitur moneta loci, quo eſt praeſtanda ſolutio.

§. 258. In genere eſt accipiendum, eiusmodi pactum in argenteis numis melioris conditionis, (quos vocamus Courant,) ſ. in moneta argentea craſſa eſſe contractum.

§. 259. In iis tantum caſibus, quibus ſcriptura non opus, admittitur probatio, aliam monetae ſpeciem fuiſſe conſtitutam.

Source : BIU Cujas

§. 260. Si liberalitatis animus non aperte colligi potest, supponitur, neminem plura dare aut praestare voluisse, quam ipsi ab altera parte sunt restituta s. compensata.

§. 261. Si alter contrahentium omne periculum et damnum in se suscepit, casus quoque quam maxime insolitos in se suscepisse intelligitur.

§. 262. Si pactum posterius ad pactum prius refertur, censendum, contrahentes pactum prius in iis tantum mutare voluisse partibus, quae in posteriori clarius sunt definitae.

§. 263. Quae in pacto scripto obscure sunt expressa, secundum claram antecedentis delineationis (punctationis) sententiam sunt interpretanda.

§. 264. Determinationibus vero, quas continet punctatio, in contractu solemni scripto post celebrato clare mutatis, ea tantum valent, quae in contractu solemni reperiuntur.

§. 265. Determinationes in punctatione comprehensae in solemni contractu autem praetermissae, pro sublatis iudicantur.

§. 266. Si pactum secundum has regulas explicari nequeat, contra eum est interpretandum, qui in voluntate declaranda dubiis verbis et ambiguis vsus est.

§. 267. In primis vero interpretatio contra eum facienda, qui cupit commoda in pactis eius generis concedi non solita.

§. 268. Si reliquae omnes interpretandi regulae rem non efficiant, locus ambiguus ita est explicandus, vt obligatus minimum inde onus sentiat.

§. 269. Pacta mere benefica in casu dubio semper ad subleuandum obligatum interpretanda.

VIII. Pactorum adimplementum.

§. 270. In regula pacta ex omni parte sunt adimplenda.

Source : BIU Cujas

§. 271. Pacti implementum petentem probare oportet, se pacto sua ex parte satisfeciſſe, aut, quibus rationibus ad pactum adimplendum succeſſu demum temporis ſit obligatus.

§. 272. Quatenus is, qui ad implementum agit, interea de eo, quod ab ipſo praeſtandum eſt, cauere, aut id, quod ab eo dandum, in iudicio deponere debeat, ſecundum pacti ſententiam et reliquas rei aut perſonae circumſtantias eſt diiudicandum.

§. 273. Indiuiduum ſi eſt promiſſum, illius loco aliud obtrudi indiuiduum nequit.

§. 274. Si ex pluribus indiuiduis vnum tantum eſt promiſſum, obligato competit electio, quodnam dare velit.

§. 275. Si genus eſt promiſſum, res mediae ſpeciei et bonitatis debetur.

§. 276. Quem factum praeſtare oportet, is vi iudiciali ſecundum ordinis iudiciarii praecepta ad illud praeſtandum cogi poteſt.

Culpa. §. 277. Qui in implendo conuentionem culpam committit latam, in omnibus caſibus ad damnum reſarciendum tenetur.

§. 278. Si in vtrumque contrahentium redundant commoda immediate ex pacto percipienda, vterque alteri culpam leuem praeſtet.

§. 279. Si alter tantum ex conuentione ipſa omne commodum ſperat, de culpa vel leuiſſima reſpondebit.

§. 280. Qui ex conuentione nullam plane immediate ſperat vtilitatem, culpa lata ſolum tenetur.

§. 281. Qui factum ſuſcepit, quod ſingularem et extraordinariam rei aut artis peritiam requirit, in adimplenda obligatione leuiſſimam culpam praeſtare debet.

§. 282. Quatenus ab hisce regulis exceptiones locum habeant in pactis ſingulis, eſt loco ſuo diſpoſitum.

Source : BIU Cujas

§. 283. Contrahentibus quoque integrum eſt, de gradu culpae inuicem praeſtando, pacto conuenire.

§. 284. Quod de praeſtando gradu culpae in adimplendo pacto commiſſae iuris eſt, idem quoque valet, ſi alter contrahentium in pacto contrahendo ſua officia neglexit.

§. 285. Qui in contrahendo aut adimplendo pacto officia ſua data opera aut lata culpa neglexit, alteri omne id, quod intereſt, praeſtare debet. Intereſſe.

§. 286. Id, quod intereſt, complectitur omne damnum alteri inde exortum, quod alter ſuis in ipſum officiis non ſatisfecit.

§. 287. In definiendo eo, quod intereſt, ſ. Intereſſe, non ſolum eſt reſpiciendum ad damnum vere exortum, ſed etiam ad lucrum ob pactum non adimpletum ceſſans. (Tit. VI. §. 5. 6.)

§. 288. Si leuis ſit aut leuiſſima culpa, damnum modo vere datum eſt reſarciendum.

§. 289. Artis et rei periti autem et in eo caſu omne id, quod intereſt, praeſtare debent.

§. 290. Admonitus de commodis ſingularibus et inſolitis, ex facto in ſe ſuſcepto alteri oriundis, artis et rei perito aequiparatur in praeſtando, quod intereſt.

§. 291. Si quis factum, licet ad illud omittendum expreſſe fuerit obligatus, nihilominus perficit, alteri praeſtare tenetur omne id, quod intereſt.

§. 292. Id, quod intereſt, alteri contrahentium praeſtandum ab altero ob pactum non recte adimpletum, poena iam ante pacta poteſt praefiniri. Poena conuentionalis.

§. 293. Vbi eiusmodi poena eſt conſtituta, locum non habet petitio intereſſe maioris.

§. 294. Poena autem conſtituta in certum tantum genus damni, ex pacto non adimpleto oriundi; quod ad alia damni genera et caſus, leges obſeruandae.

§. 295. Si poena tantum erat in moram conſtituta, in implendo commiſſam, pars altera ad omne id,

Source : BIU Cujas

quod conuentione plane non impleta intereſt, non obſtante iſta determinatione, poteſt agere.

§. 296. At ſi poena in implementum plane omiſſum erat conſtituta, in iis caſibus, quibus pars tantum pacti non adimpleta, aut qua modum, tempus, vel locum implementi peccatum eſt, non poena, ſed id tantum praeſtandum, quod intereſt, quatenus poteſt probari.

§. 297. Ad poenas, quae corpus afficiant, libertatem adimant, aut bonam famam violent, nemo pactis poteſt obligari.

§. 298. Facto, quod pacti obiectum eſſe nequit, pro poena definito; conuentio, quod ad poenam, eſt nulla.

§. 299. Quantam in mutuo ſtatuere poenam liceat conuentionalem, idoneo loco eſt praeſcriptum. (Tit. XI. §. 825.)

§. 300. In pactis aliis de poena conſtituenda pro lubitu paciſci quidem licet;

§. 301. At ſi eiusmodi poena duplum excedit eius, quod intereſt, vere eruendi, vsque ad hoc duplum moderari poenae iudicem oportet.

§. 302. Sin vero id, quod intereſt, aeſtumari nequeat, poena conſtituta ſoluenda.

§. 303. Eadem eſt ratio, ſi poena eſt conſtituta ad cauendum delictum, ex quo alteri ſingulare damnum poſſet oriri.

§. 304. In caſum poenae non recte ſolutae, neque aliam poenam conuentionalem determinare, neque vſuras paciſci licet.

§. 305. Niſi aliud ſigillatim fuerit conuentum, ſtatim ſoluenda eſt poena, ſimulac obligatus morae accuſari poteſt.

§. 306. Poena iam commerita per pacti implementum ſubſequens declinari nequit.

§. 307. Quodſi vero alter implementum ſubſequens in totum aut ex parte ſine reſeruatione accepit, ad luendam poenam conuentionalem agere nequit.

§. 308.

Source : BIU Cujas

§. 308. Conſtituta, quae tertio cedat, poena conuentionalis, ab hoc peti nequit, priusquam contrahens, in cuius ſecuritatem eſt conſtituta, ad eam ſoluendam agit.

§. 309. Hinc tertius ipſe ad poenam conuentionalem ſoluendam, licet eam acceptauerit, agere nunquam poteſt.

§. 310. Quibuscunque in caſibus ad pactum adimplendum agi nequit, in iis omnibus nec petitio poenae conuentionalis locum obtinet.

§. 311. Contra poenae ſolutio ab implendi pacti obligatione non liberat.

§. 312. Si vero ſigillatim fuerit conuentum, vt poenae ſolutione ab obligatione alter liberetur, poena pro multa poenitentiali eſt habenda.

§. 313. Pro multa etiam poenitentiali habenda eſt ea poena, qua intereſſe alterius definitur in caſum eum, ſi pactum plane reſcindatur; niſi aliud ex conuentione appareat.

§. 314. Multa poenitentiali conſtituta, obligato competit electio; vtrum pactum adimplere, an poenam ſoluere malit?

§. 315. Qui pactum adimplere incepit, altero inuito, reſilire nequit, etiamſi poenam luere velit.

§. 316. Qui ſcripto declarauit, ſe implementi loco multam pacti poenitentialem eſſe ſoluturum, inuito altero, ad adimplendum pactum offerre ſe amplius nequit.

§. 317. Euictionis quoque praeſtatio pertinet ad pacti implementum. Euictionis praeſtatio.

§. 318. In omnibus pactis oneroſis, niſi leges ſingulares aut expreſſae partium conuentiones aliud conſtituant, alter alteri euictionem praeſtare debet, vt re data ſecundum naturam et ſenſum pacti vti poſſit.

§. 319. Qualitatum, quae rei ineſſe praeſumi ſolent, et in pacto expreſſe ſunt definitae, euictionem praeſtare debet. a) Ob deficientes rei qualitates generatim.

Source : BIU Cujas

§. 320. Si dantis culpa accipiens re data ſecundum naturam et ſenſum pacti vti non poſſit, hic indemnis ab illo eſt praeſtandus. (§. 285—291.)

§. 321. Si impoſſibilitas, re ita vtendi, propria, licet leuiſſima, accipientis culpa ſit exorta, a dante damni reparationem petere nequit.

§. 322. Idem in regula locum habet, ſi impoſſibilitas, re iam tradita, mero caſu aut vi, quae remoueri non poterat, aut potentia maiori eſt exorta. (Tit. XXI.)

b) Ob iura tertii.

§. 323. Ob iura, quae tertio in rem, ex pacto datam, competunt, dans ſecundum §. 320. euictionem praeſtare debet, quatenus inde accipiens impeditur, quo minus re ſecundum naturam et ſenſum pacti vtatur.

§. 324. Determinationes de his propiores in diuerſis pactorum generibus.

c) Ob deficientes in qualitates pactas.

§. 325. Deficientibus rei qualitatibus in conuentione expreſſe pactis accipienti ad earum euictionem agendi ius eſt.

§. 326. Quam ſi dans praeſtare nequeat, accipienti a pacto recedere licet.

§. 327. Res vero tunc in ſtatu, quo eam accepit, eſt reddenda.

§. 328. Quod ſi non poſſit, aut nolit, contractus valet, atque dans ad ſatisfaciendum accipienti non niſi in tantum tenetur, quanti res ob qualitates deficientes minoris aeſtumatur.

d) Ob deficientes qualitates, quae rei ineſſe praeſumi ſolent.

§. 329. Deficientibus iis qualitatibus, quae rei ineſſe praeſumi ſolent, principia tituli quarti §. 81. 82. locum obtinent.

§. 330. Rem igitur, vitio viſibili laborantem, absque proteſtatione accipienti, neque reſilire a pacto, neque ſatisfactionem petere licet.

§. 331. Si vitium inuiſibile, locum obtinent omnia, quae §. 325—328. praeſcripta ſunt de defectu, eiusmodi qualitatis, cuius praeſtatio expreſſe erat promiſſa.

Source : BIU Cujas

§. 332. Rei vitium acceptationis tempore iam adfuiſſe ſi non appareat, poſt illud tempus exortum eſſe praeſumitur.

§. 333. Onerum, quae rei eiusdem generis inhaerere ſolent, in regula euictio non locum obtinet. *e*) Ob onera, quae rei inhaerent.

§. 334. At ſi immunitate a certo onere expreſſe pacta appareat, rem nihilominus eo eſſe grauatam, praecepta valent omnia, (§. 325-328.) in eum caſum praeſcripta, ſi qualitas deficit, quae praeſtanda expreſſe eſt promiſſa.

§. 335. Si vero res onere, quod rei eiusmodi generis ineſſe non ſolet, eſt grauata, locum habent principia de defectu qualitatis, quae praeſumi ſolet, in §. 329. 330. 331. praeſcripta.

§. 336. Determinationes de his propiores in diuerſis pactorum generibus.

§. 337. Omnibus in caſibus, quibus accipiens rem ob vitium reddit, intuitu fructuum perceptorum, meliorationum, deteriorationum et reliquorum omnium pro bonae fidei poſſeſſore eſt habendus. (Tit. VII. §. 188. ſeqq.)

§. 338. Attamen, qui rem ita accepit, cum alterius damno locupletior fieri nequit.

§. 339. Pacto de rerum vniuerſitate inito, ob ſingularum rerum vitium ab illo recedere non licet. *f*) Ratione vniuerſitatis ſ. complexus rerum.

§. 340. Si vero vna particula aut alia vniuerſitatis tam ſit vitioſa, vt huius rei vſus, ex pacto debitus, plane impediatur, ad damnum reſarciendum agi poteſt.

§. 341. Singularum particularum vitia ſi eius ſint generis, vt iis totius vniuerſitatis ſ. complexus vſus, ex pacto ſperatus, euertatur, accipiens a pacto reſilire poteſt.

Source : BIU Cujas

§. 342. Contractu de rebus quidem pluribus simul, sed non expresse, tanquam de vniuersitate, inito, intuitu particularum singularum praecepta supra dicta §. 317. seqq. locum obtinent.

Tempus, intra quod euictionis praestatio peti debeat.

§. 343. Iura, accipienti ob vitia naturalia, quae rem ipsam afficiunt, competentia, ab eo exercenda sunt, si praedia sint rustica, intra annos tres; si vrbana, intra annum vnum; at si res mobiles, intra menses sex, post rem acceptam.

§. 344. Ob defectus vero eos, qui non rem ipsam, sed externas tantum qualitates, iura aut onera rei afficiunt, accipiens iure suo vti debet, si praedia sint rustica, intra annum; si vrbana, intra menses sex; et si res mobiles, intra menses tres a tempore defectus cogniti.

§. 345. Quibus terminis, actione contra dantem in iudicio instituta nulla, praeterlapsis, accipiens ius suum perdit.

Euictionis praestatio in pactis aleam continentibus.

§. 346. Quatenus euentus incertus futurus pacti obiectum constituit, laesionis exceptio, ob vitiosam qualitatem rei futurae, locum non inuenit.

§. 347. Si vero certa qualitas expresse sit pacta, ea est euincenda aut praestanda.

§. 348. Euictionis praestationi partes in genere valide possunt renuntiare.

Rescissio pactorum. 1) Ob dolum.

§. 349. Omnis dolus, quo quis ad contractum ineundum est adductus, ab eodem recedendi ius decepto tribuit.

§. 350. At vero et pacto potest stare, et tantum agere ad resarciendum damnum dolo datum.

§. 351. Quo electo, decipiens ei interesse omne praestare debet. (§. 286. 287.)

§. 352. Si vero a pacto recedit, decipiens omnia, quae pacti ratione sunt data, aut praestita, et fructus inde perceptos restituere debet.

Source : BIU Cujas

§. 353. De meliorationibus, deteriorationibus et quae ſunt reliqua, decipiens pro malae fidei poſſeſſore habetur. (Tit. VII. §. 222. ſeqq.)

§. 354. Deceptus vero ea, quae pacti ratione ipſi data ſunt, eo tantum in ſtatu reddit, quo tempore reſtitutionis deprehenduntur.

§. 355. In quibus reſtituendis bonae fidei poſſeſſoris omnibus gaudet iuribus officiisque adſtringitur. (Tit. VIII. §. 188. ſeqq.)

§. 356. At deceptus tamen de iis, quae pacti ratione accepit, aut quibus fructus fuit, decipienti in tantum eſt obligatus, in quantum ea in vtilitatem ſuam conuertit.

§. 357. Sin ab vtroque doloſe fuerit actum, pactum conſiſtit, et neutri ius eſt conueniendi alterum de damno refarciendo.

§. 358. Si dolus quidem non cauſam dedit pacto, at ſi alter tamen ab altero doloſe inductus eſt in eiusmodi errorem, qui voluntatis declarationem plane infirmat, (Tit. IV. §. 75. ſeqq.) praecepta §. 349-359. quoque locum habent.

§. 359. At contra, ſi error, in quem deceptus inductus eſt, non ita ſit comparatus, vt inde voluntatis declaratio de negotio principali infirmari poſſit, decipiens nihilominus ad plenam indemnitatem praeſtandam eſt obligatus. (§. 286. 287.)

§. 360. Si promiſſor alteri, quod eſt promiſſum, culpa ſua praeſtare nequit, ad id, quod intereſt, pro gradu culpae commiſſae tenetur. (§. 277. ſeqq.) a) Ob implementi impoſſibilitatem.

§. 361. Si vero altera pars in cauſa eſt, vt promiſſum ſeruare non poſſit, promiſſor ab obligatione liberatur, atque damni reparationem petere poteſt.

§. 362. Si vterque impoſſibilitatis exortae intuitu in eodem culpae gradu verſatur, vterque alteri, damnum immediate inde oriundum refarcire debet.

§. 363. De damno mediate emergente alter alterum conuenire nequit.

Source : BIU Cujas

§. 364. Pacti initi implendi impossibilitate, aut casu, aut vi, quae remoueri non poterat, et potentia maiori exorta, pactum sublatum habetur.

§. 365. Quo in casu, quae ab altero in expectationem mutui adimplementi data aut praestita sunt, vterque reddere aut satisfactionem praestare debet.

§. 366. Tunc, qui reddit, pro bonae habetur fidei possessore.

§. 367. Neutra tamen pars hoc casu locupletior cum damno alterius fieri debet.

§. 368. Hinc rem restituens alteri, compensare tantum debet, quantum inde in suam vtilitatem conuertit.

§. 369. Si non ipsum quidem pacti adimplementum, at definitus tamen adimplementi modus est impossibilis, et si haec impossibilitas obligati culpa, vel casu, illius personam afficiente, est exorta; illi, cui ius competit, alium implendi modum eligere licet.

§. 370. Si definitus adimplendi modus eius, cui ius competit, culpa, aut casu, qui personae eius accidit, locum habere nequit; electio alius adimplendi modi obligato competit.

§. 371. In vtroque casu alter, qui in causa est, vt implementum modo definito fieri non possit, alterum ob damnum ex hac mutatione ortum, indemnem praestare debet.

§. 372. At neutra pars facta mutatione cum alterius damno comparare sibi potest commodum, quod non perceptura fuisset, pacto modo definito impleto.

§. 373. Impossibilitate modi adimplendi, pacto definiti, mero casu exorta, locum obtinent praecepta §. 364—368. in casum, si implementum est impossibile, in genere praescripta.

§. 374. Implendi modus si per causas obuenientes non impossibilis, sed impletu tantum difficilior est factus, obligatus inde ab obligatione liberari nequit.

Source : BIU Cujas

§. 375. Si per mutationem circumſtantiarum fortuitam definitus adimplendi modus cum periculo, quod praeuideri non poterat, eſt coniunctus, is, cui ius competit, periculum in ſe recipere debet, ſi pactum velit modo definito impleri.

§. 376. Obligatus vero ad pactum definito modo implendum cogi nequit, ſi inde probabile vitae, valetudinis aut libertatis periculum ipſi immineat.

§. 377. Excepto verae impoſſibilitatis caſu, ob mutatas rei circumſtantias implementum pacti in regula nequit recuſari. 3) Ob mutatas rei circumſtantias ſ. ob clauſulam rebus ſic ſtantibus.

§. 378. Quod ſi vero facta eiusmodi mutatione, non praeuiſa, effici nequeat finis expreſſe declaratus, aut ex natura negotii apparens, vtrique parti propoſitus, vtrique a pacto nondum adimpleto recedere licet.

§. 379. Quo in caſu altera pars tum demum ab altera eatenus poteſt damni reparationem petere, quatenus circumſtantiarum mutatio ex huius facto libero eſt exorta.

§. 380. Si circumſtantiarum mutatione alterius tantum partis finis expreſſe declaratus aut per ſe intellectus ſit irritus, huic quidem a pacto reſilire licet;

§. 381. At, ſi mutatio perſonae ſuae acciderit, alterum plane indemnem praeſtare debet.

§. 382. Si mutatio in alterius perſona eſt facta, in regula neutra pars poteſt damni reſtitutionem petere.

§. 383. Attamen, qui a pacto reſilit, alterum, ſi mutatae eius conditionis auctor ipſe fuit, indemnem praeſtare tenetur.

§. 384. Contra recedens damni reparationem poſtulare poteſt, ſi alter mutationis in perſona ſua cauſa fuit facto ſuo libero.

Source : BIU Cujas

4) Ob mutuum dissensum.

§. 385. Pactum iam initum at nondum adimpletum dissolui potest dissensu mutuo.

§. 386. Pacto a neutra parte adimpleto, licet nihil sequatur, nisi vtriusque partis declaratio consensus a pacto recedendi; declaratio ore prolata sufficit.

§. 387. Abolitio tamen accedat instrumenti de pacto scriptis consignati.

§. 388. Si pactum ab vna parte iam fuerit adimpletum, aut si consensui de pacto dissoluendo adiiciantur conditiones vel conuentiones secundariae; pacti etiam dissolutio eatenus scriptis declaranda, quatenus ad ineundum pactum scriptura erat necessaria.

§. 389. Quatenus pactum in iudicio celebratum; eatenus et in iudicio resoluendum.

§. 390. Pacto in essentialibus ab vtraque parte iam adimpleto, consensus de resoluendo pacto mutuus pro noua conuentione est habendus.

§. 391. Dum tertius, in cuius fauorem initum est pactum, pacto ipse non accessit, consensus eius ad pactum dissoluendum non requiritur. (§. 75. seqq.)

§. 392. Qui vi officii, negotiorum tertii expediendorum, pacto legitime contracto ius verum huic tertio iam acquisiuit, is consensu suo de dissoluendo pacto ius illud adimere tertio nequit.

5) Ob defectum implementi ab altera parte.

§. 393. Implementum pacti ab altera parte recusatum, aut non rite praestitum, alteri in regula ius recedendi a pacto nondum tribuit;

§. 394. Quin potius nil ei licet, nisi vt alterum ad promissum implendum et damni reparationem, quae legibus ipsi competit, praestandam per iudicem impellat.

§. 395. Si partes de obligationis in pacto susceptae proprio sensu, et hic quam late pateat, inter se dissentiunt, lis a iudice dirimenda, et implementum ad iudicis sententiam praestandum et accipiendum.

Source : BIU Cujas

§. 396. Si pacti ſententia luculenter apparente alter obligationum ſuſceptarum implementum ea de cauſa recuſat, quod alter obligationes ſuas non rite adimpleuerit, aut ſic adimplere non poſſit, recuſationis cauſa in iudicio eſt cognoſcenda.

§. 397. Qua per ſententiam, vires rei iudicatae nactam, improbata, illi, qui ad pactum adimplendum egit, competit electio: vtrum pactum adhuc adimpleri, et reparatione damni ex irrita recuſatione orti contentus eſſe, an plane a pacto recedere malit.

§. 398. Si recedit, is, qui obligationes pacto ſuſceptas ſine cauſa legitima adimplere recuſauit, praeter reparationem damni, recuſatione dati, ſuſcipere in ſe debet onera malae fidei poſſeſſoris omnia, in reſtituenda re, pacti ratione iam accepta.

§. 399. Si autem ad implendum pactum prouocati recuſatio per ſententiam, vires rei iudicatae nactam, idonea iudicatur; a recuſante dependet, vtrum implementum modo a iudice definito praeſtare, an a pacto plane reſilire velit.

§. 400. Si a pacto recedit, in reſtituenda re, pacti ratione iam accepta, omnibus bonae fidei poſſeſſoris iuribus gaudet.

§. 401. Caeterum neutra pars ad damnum reſarciendum agere poteſt.

§. 402. Si cauſae, ob quas obligationes ſuas ad pacti ſenſum literalem adimplere contrahentium alter recuſat, ex parte idoneae, ex parte minus idoneae iudicantur, in regula pars neutra a pacto recedere poteſt.

§. 403. Iudici tamen, ſi ex difficultatibus de pacto implendo exortis intellexerit, alteri parti culpam latiorem imputari poſſe, permiſſum eſt, vt alteri ius recedendi reſeruet.

§. 404. Si in cognoſcenda recuſationis veritate aut falſitate inſtantiae primae ſententia contra recuſantem

Source : BIU Cujas

eſt lata, alter, cognitionem inſtantiarum reliquarum declinaturus, a pacto recedere ſtatim poteſt.

§. 405. Quo autem in caſu reparationem ſingularem petere nequit, et recuſans in reſtituenda re, ratione pacti accepta, bonae fidei poſſeſſoris obligationes tantum praeſtat.

§. 406. Sententia inſtantiae primae in fauorem recuſantis lata, hic, ſi vlteriorem inſtantiarum reliquarum cognitionem expectare nolit, a pacto recedere poteſt.

§. 407. At alteri tamen non ſolum rem ratione pacti iam acceptam reddere, ſed etiam fructus omnes inde perceptos reſtituere debet; et non, niſi quod ad meliorationes et deteriorationes, bonae fidei poſſeſſoris iura habet.

§. 408. In pactis, quorum obiectum praecipuum facta ſunt, is, qui afferit, alterum pacti implementum pacto non conuenienter praeſtitiſſe, neque ſic praeſtare poſſe, ſtatim, ſuo periculo, a pacto quidem recedere poteſt;

§. 409. Sed alteri ad omne damnum reſarciendum tenetur, ſi ex cognitione iudiciali appareat, haud idoneam fuiſſe exceptionem.

§. 410. Cognita vero exceptione fundata, alter praeter ſubſequendam pacti diſſolutionem alteri, recedenti, omne damnum reſarcire debet, ex factis pacto contrariis vſque ad momentum temporis poenitentiae declaratae re vera ortum.

§. 411. De compenſandis factis, ratione pacti iam praeſtitis, praecepta §. 166. 167. locum obtinent, prout praeſtans pacti diſſoluendi auctor fuit, an minus.

§. 412. Quae in locatione conductione operis et operarum iuris ſint, ſuo loco definita. (Tit. XI. Sect. VIII.)

§. 413. Quatenus praecepta ſupra (§. 396 ſeqq.) data in negotiis mercatoriis locum inueniant, infra propius definietur. (Pars II. Tit. VIII.)

Source : BIU Cujas

§. 414. Remiſſione, transactione et aliis eiusmodi mediis generalibus obligationes mutandi aut extinguendi, diſſoluuntur etiam obligationes ex pactis enatae. (Tit. XVI.) 6) Remiſſione, transactione et ſ. p.

§. 415. Iura et obligationes ex pactis vnius aut alterius contrahentis morte in regula non mutantur, ſed ad heredes (ſucceſſores) transeunt. 7) Morte.

§. 416. Si vero obiectum pacti erat factum, cui perficiendo ſingulares obligati facultates et relationes opus erant, hoc ante implementum mortuo, pactum pro ſublato habetur.

§. 417. Quae vero obligatus ratione facti ſuſcepti accepit, heredes eius reſtituere tenentur.

§. 418. Si obligatus implementum ſua culpa diſtulit, is, cui ius competit, damni, ex pacti reſolutione orti, reparationem ex hereditate relicta (ſ. bonis derelictis) petere poteſt.

§. 419. Si obligatus, cuius obligatio ex factis pluribus conſtabat compoſitis, ante obitum adimplementum ex parte re vera praeſtitit, reliquum pacti implementum eius morte quidem ceſſat;

§. 420. Heredes autem (aut ſucceſſores) ob praeſtitam iam implementi partem aequam petere poſſunt compenſationem.

§. 421. Quae quidem compenſatio in regula determinanda eſt ad proportionem eius, quod pro tota praeſtatione erat promiſſum.

§. 422. Si vero appareat, hoc determinandi modo illum, cui ius competebat, verum damnum eſſe paſſurum; obligati heredes contenti eſſe debent compenſatione ad proportionem lucri, ex defuncti facto illi, cui ius competebat, orti.

§. 423. Si ſub pacti oneroſi conditionibus defuncto, reſpectu qualitatum eius perſonalium et fiduciae in iis poſitae ſingularis, certa commoda, in eiusmodi generis negotiis alias inſolita, ſunt conceſſa; eo mortuo, fiduciae huius perſonalis ratione

Source : BIU Cujas

ceſſante heredes aut deſiſtere a commodis, aut alteri cauere tenentur, ſe pacto non minus, quam a defuncto erat expectandum, eſſe ſatisfacturos.

x. De pactis correalibus.

1) Si plures obligantur,

§. 424. Si perſonae plures tertio in vno eodemque pacto ſe obligarunt, niſi de contrario expreſſe fuerit conuentum, in ſolidum illi, cui ius competit, implementum praeſtare tenentur.

§. 425. Si correi plures debendi ex pacto in ſolidum contracto eo modo teneri nolunt, in pacto ipſo id verbis dilucidis declarandum.

§. 426. Si in ipſo pacto ſigillatim fuerit definitum, quid et quantum obligatorum quisque ad obligationem ſusceptam conferre debeat, in eo ſubſiſtendum.

§. 427. Quod ſi ea determinatione deficiente ex pacto nihilominus clare appareat, obligatos plures non in ſolidum teneri, modus et quantum, a quouis praeſtanda, diiudicanda ſunt ex fine, quo quisque motus obligationis ſuſceptae partem in ſe ſuſcepit; prout hic finis ex negotii natura et ſtatu eius perſonali ſeu quaeſtu colligitur.

§. 428. Si lis exorta nec eo modo dirimi poſſit, cenſendum eſt, omnes ſimul obligatos ei, cui ius competit, pro rata, ſeu ex aequis partibus teneri.

§. 429. Omnibus in caſibus, in quibus plures ſimul obligati ei, cui ius competit, pro rata tantum obligantur, (§. 425-428.) huic ius non eſt, de vnius rata alterum conueniendi.

§. 430. Si vero plures ſimul obligati illi, cui ius competit, in ſolidum tenentur, hic quemlibet ex iis, de toto conuenire poteſt.

§. 431. Conuentus quidem ſocios ſuos ad defenſionem communem aut praeſtationem obligationis ſusceptae prouocare poteſt;

§. 432. Qua tamen prouocatione is, cui ius competit, impediri nequit, quo minus petitionem perſequatur.

Source : BIU Cujas

§. 433. Licet ille, cui ius eſt, vnum aut omnes in ſolidum obligatos pro rata tantum conuenerit, illi tamen recedere, et vnum ex iis de toto conuenire licet.

§. 434. Poteſt quoque ob ſolutionem, quae ab vno obligato ex toto aut ex parte praeſtari nequit, reliquorum quemlibet conuenire, donec ei in totum fuerit ſatisfactum.

§. 435. Quidquid reſpectu rei aut facti debiti ab obligatorum vno eſt datum vel praeſtitum, id omnibus reliquis prodeſt.

§. 436. Si petitio illius, cui ius competit, in omnes debendi correos inde eſt deminuta, hoc imminutionis auctori et contra reliquos debendi correos prodeſt.

§. 437. Si debendi correorum vnus transactione, ſententia, aut alio modo immunitatem a debito ſibi tantum acquiſiuerit, reliqui contra eum, cui obligantur, exinde ſe tueri nequeunt.

§. 438. Factum vnius debendi correi reliquorum iura deminuere nequit.

§. 439. Hinc quoque debendi correorum vnus conſenſu ſuo illius, cui omnes tenentur, iura, in certum tempus adſtricta, vltra tempus definitum in regula poteſt extendere reſpectu quidem ſui, non vero obligatorum reliquorum, in detrimentum eorum. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VIII.)

§. 440. Simulac tamen is, cui plures ſimul ſunt obligati, contra vnum debendi correorum egit, et contra reliquos agendi ius ei manet integrum.

§. 441. Tempore ad implendum pactum, petente *vno* debendi correorum, prorogato, terminus hic *omnibus* prodeſt.

§. 442. At mera indulgentia in vnum obligatum reliquis eandem indulgentiam petendi ius non tribuit.

§. 443. Quatenus debendi correorum vnus, qui obligationi, cui omnes adſtricti, ſatisfecit, correos reliquos conuenire poſſit, ex pacti inter eos contracti ſententia eſt diiudicandum.

Source : BIU Cujas

§. 444. Deficiente eiusmodi pacto, obligatio inter eos subsistens diiudicanda est ex singularibus inter eos obuersantibus relationibus respectu negotii suscepti, aut lucri inde percepti.

§. 445. Si ea ratione decidi nequeat, omnes debendi correi inter se pro rata tenentur.

§. 446. Si vnus aut plures debendi correorum sint paciscendi incapaces, eorum ratam reliqui in se suscipere debent.

§. 447. Si vnus aut plures debendi correorum ei, qui obligationi in totum satisfecit, ratam soluere nequeant; haec rata deficiens ab omnibus debendi correis praestanda, et quidem non excepto eo, qui soluit obligationem.

§. 448. Praeter ea debendi correus de eo, quod ab vno debendi correorum postulare potest, socios reliquos, deficiente singulari conuentione, conuenire nequit.

§. 449. Si vero debendi correorum vnus in eum statum peruenerit, ex quo verisimiliter potest colligi, vt pactum postea adimplere nequeat, reliqui ad cautionem de rata praestandam agere possunt.

2) Si plures adsunt correi credendi s. iuris compotes.

§. 450. Si quis in vno eodemque pacto pluribus personis ad vnam eandemque rem aut praestationem se obligauit, credendi correi ius omnibus commune in regula tantum communiter exercere possunt.

§. 451. At nemo tamen credendi correorum s. iuris compotum factis suis aut renuntiatione reliquorum iura potest deminuere.

§. 452. Si obligatus vni ex credendi correis s. iuris compotibus ratam suam rei diuiduae aut summae dedit, intuitu reliquorum credendi correorum in eius locum succedit.

§. 453. Iura plurium iuris compotum s. credendi correorum inter se ex principiis de condominio sunt diiudicanda. (Tit. XVII.)

Source : BIU Cujas

TITVLVS SEXTVS.

De officiis et iuribus, quae ex factis illicitis oriuntur.

§. 1. *Damnum* eſt quaeuis deminutio ſ. deterioratio conditionis hominis, intuitu corporis, libertatis, bonae famae, aut patrimonii ſ. rei familiaris. Definitiones.

§. 2. Quod detrimentum ſi committendo aut omittendo immediate et proxime datur, damnum ipſum vocatur *immediatum.*

§. 3. Quod detrimentum ſi quidem committendo, aut omittendo oritur, at ſic tamen, vt euentus alius ab actione diuerſus, aut inſolita perſonae vel rei qualitas ad damnum dandum accedere debeat, ſub damni mediati nomine venit.

§. 4. Damnum, cuius ortus ex actione commiſſa aut omiſſa praeuideri omnino non poterat, vocatur *caſuale.*

§. 5. Commoda, quae quis percepturus fuiſſet, ſi quid non commiſſum fuiſſet aut omiſſum, ad *lucrum ceſſans* referuntur.

§. 6. At in definiendo lucro ceſſante nonniſi eorum ratio habetur commodorum, quae vel ex rerum natura et negotiorum vitae civilis ordine, vel ob certa iam ante praeparata et adhibita media atque ſubſidia rationi convenienter poterant ſperari.

§. 7. Ad plenam ſatisfactionem pertinet reparatio damni omnis et lucri ceſſantis reſtitutio.

§. 8. Qui ſine iure damnum alicui infert, illum violat et laedit.

Source : BIU Cujas

§. 9. Omiſſio officii abſoluti ſ. coactiui violationi aut laeſioni aequiparatur.

Principia de damno reſarciendo. Generatim.

§. 10. Qui alterum data opera ſ. dolo et culpa lata laedit, plenam damni reparationem praeſtare debet.

§. 11. Ad ſatisfactionem eandem et ille eſt obligatus, qui officium alteri debitum dolo aut culpa lata non praeſtat, eoque damnum illi infert.

§. 12. Qui vero culpa tantum leui alterum committendo aut omittendo laedit, damnum tantum verum inde exortum reſarcire tenetur.

§. 13. Attamen laedens et id lucrum ceſſans praeſtare debet, quod laeſus ex ſolito vſu eius rei, qua eſt laeſus, percepturus fuiſſet, ſi laeſio non exſtitiſſet.

§. 14. Quo in caſu lucrum ceſſans eſt compenſandum, etiamſi damnum illatum verum ſit inaeſtumabile.

§. 15. In caſibus, vbi etiam culpa leuiſſima eſt praeſtanda (Tit. III, §. 22. 23.) laedens tantum tenetur ad reſarciendum damnum, ex hac culpa immediate datum.

§. 16. Damnum ex facto ortum caſuale tum demum eſt reſarciendum, ſi factum ipſum contra legem prohibitoriam ſit commiſſum; aut ſi agens leges non obſeruando ſemet ipſum in eum ſtatum redegerit, qui facti huius committendi anſam dedit.

§. 17. Quae de damnis, quae pactis data ſunt, obſeruanda ſint, in titulo antecedente definiuntur. (Tit. V. §. 277 ſeqq.)

Quatenus laeſi culpa laedentem a damni praeſtatione liberet?

§. 18. A reparatione damni immediati dolo aut culpa magna ſ. lata illati, laedens, licet laeſi culpa acceſſerit, non liberatur.

§. 19. At contra damnum mediatum et lucrum ceſſans non eſt praeſtandum, ſi laeſus ipſe in auertendo damno culpam latam commiſit.

§. 20. Eiusmodi culpa laeſi lata eum damni reparatione omni priuat, ſi damnum ex leui tantum laedentis culpa aut leuiſſima eſt ortum.

§. 21.

Source : BIU Cujas

§. 21. Reparatio damni mediati et lucri ceſſantis, ex culpa leui aut leuiſſima orti, iam ceſſat, ſi laeſus, attentione et diligentia media adhibita, damnum auertere potuiſſet.

§. 22. Si duo aut plures ſe inuicem laedunt, quisque alteri damnum datum reparare debet pro gradu culpae, quae ei imputari poteſt. De laeſionibus mutuis.

§. 23. Si correi facti illiciti in eo perpetrando ſibi inuicem damnum intulerunt, quisque damnum ſuum ferre debet.

§. 24. Alterius culpa aliquem eſſe laeſum, non praeſumitur. Praeſumtiones legitimae de damno in laeſionibus illato.

§. 25. At contra verſatum in perpetrando facto illicito valet praeſumtio, damnum hac occaſione exortum ſua culpa eſſe datum.

§. 26. Praeprimis ille, qui politiae legem, ad damnum auertendum latam, negligit, omne damnum, quod legis obſeruatione euitari potuiſſet, aeque praeſtare tenetur, ac ſi ex eius facto immediate eſſet ortum.

§. 27. Damni lucrique ceſſantis reparatio ex laedentis re familiari eſt praeſtanda. (§. 42. 56.) Vnde reparatio praeſtanda.

§. 28. Obligatio ad damnum reſarciendum quoque tranſit ad laedentis heredes. Obligatio heredum.

§. 29. Plures, qui damnum dolo aut culpa lata intulerunt, in ſolidum obligantur. De pluribus damni auctoribus.

§. 30. Laeſus tum contra laedentes iisdem gaudet iuribus, quae in pactis ei, cui plures coniunctim ſunt obligati, aduerſus hos plures competunt. (Tit. V. §. 430 ſeqq.)

§. 31. Plures ſi damnum ex leui et leuiſſima culpa tantum intulerunt, quisque propriam culpam praeſtat.

§. 32. In ſolidum tamen tenentur, ſi erui nequit, quam damni partem quisque propria ſua culpa dederit.

§. 33. In caſibus omnibus, vbi vnus ex correis pluribus damnum ex culpa ortum omne, aut ſaltem

Source : BIU Cujas

maiorem eius partem reparauit, quam ex proportione, qua damni illati eſt particeps, debebat, reliquos de rata a quouis praeſtanda conuenire poteſt.

§. 34. Damnum vero a pluribus dolo ſi fuerit illatum, regreſſus inter eos locum non inuenit.

§. 35. At contra, quisque eorum ratam ſuam, laeſo praeſtandam, ſi hic omnes, qui damnum dederunt, pro rata conueniſſet, pro poena ſoluere debet loci aerario, pauperibus alendis deſtinato.

Quatenus reparatio damni locum non habeat.

§. 36. Qui iure ſuo legitime eſt vſus, ad damnum, quod alter inde ſentit, reſarciendum non tenetur.

§. 37. Quod tamen damnum reparare debet, ſi ex circumſtantiis clare appareat, eum ex modis iuris ſui exercendi pluribus eum modum, alteri nocitum, elegiſſe animo alterum laedendi.

1) Si laedens tantum ſuo vſus eſt iure.

§. 38. Qui facta periculoſa loco, publica auctoritate iis committendis deſtinato, et tempore licito peragit, damna tantum dolo aut culpa lata orta reparare debet.

2) Si factum periculoſum haud arbitrarium fuit.

§. 39. Damnum factis haud arbitrariis datum agenti imputari nequit.

§. 40. Qui vero ipſe in eum ſtatum ſe redegit, vt intellectus et ſanae rationis vſu ad tempus ſit priuatus, reſarcire etiam debet damnum, in hoc ſtatu haud arbitrarie datum.

3) Si laedens furioſus, mente captus aut infans eſt.

§. 41. Si furioſi, mente capti, aut infantes ſeptimum annum nondum egreſſi aliquem laedunt, nonniſi damni immediati reparatio ex eorum patrimonio ſeu peculio poteſt peti.

§. 42. Quae tamen damni reſtitutio ex harum perſonarum patrimonio ſeu peculio tum demum peti poteſt, ſi ex re familiari parentum vel eorum, quibus eiusmodi perſonarum cura demandata eſt, laeſo ſatisfieri nequit. (§. 57.)

§. 43. Atque etiam damnum ex ipſorum patrimonio eatenus tantum eſt reſtituendum, quatenus lae-

Source : BIU Cujas

denti eo non detrahuntur, quae ad ipsum alendum, et infanti, quae ad illum natalibus conuenienter educandum sunt necessaria.

§. 44. Si vero laesus eiusmodi personis propria culpa, licet leuissima, occasionem facti damnosi dederit, ex illarum re familiari restitutionem petere nequit.

§. 45. Qui iussum eius, cui obedire debet, peragit, in regula ad damnum restituendum non tenetur. 4) Si ex iussu praepositi agit.

§. 46. Secus, si factum iussum in legibus expresse fuerit prohibitum. (§. 48.)

§. 47. Qui ordinis vi aut officii praepositorum iussis sine restrictione morem gerere tenetur, ab eo postulari nequit, vt superiorum iussa, in officio data, examini suo subiiciat.

§. 48. Qui ex ignorantia iussum lege prohibitum expedit, ei regressus ad iubentem reseruatur.

§. 49. Fines iussi accepti egressus damnum inde ortum semper praestare debet.

§. 50. Qui alteri mandatum legibus non prohibitum dedit, ad reparandum damnum ab hoc in mandato expediendo datum, non tenetur. 5) Si damnum occasione mandati est datum.

§. 51. Si vero mandatum erat illicitum, ad damni reparationem, et mandans et mandatarius in solidum obligantur, (§. 30.) vel eo in casu, si mandatarius fines mandati excesserit.

§. 52. Si vero mandatum intuitu mandantis solius tantum, aut ratione mandatarii solius tantum illicitum fuerit, vterque suam tantum culpam praestat.

§. 53. Mandans, qui in eligendo mandatario haud idoneo in culpa lata versatur aut leui, damnum, ab hoc in expediendo mandato, vel licito, imperitia datum, eatenus resarcire tenetur, quatenus laedens ipse damnum reparare nequit.

§. 54. Laesus, qui ob damnum, praeter pacti casum illatum, intra tres annos, postquam damni existentia atque auctor ipsi innotuerunt, in iudicio agere neglexit, ius suum amisit. Quamdiu damni reparatio peti possit?

Source : BIU Cujas

§. 55. Triginta annis inde a damni illati tempore praeterlapsis, ad temporis momentum, quo quis notitiam est consecutus, non amplius attenditur.

De damno ab aliis illato, inprimis s. specialiter

§. 56. Qui alterius facti haud arbitrarii, quo is sibimet ipsi, aut tertio damnum intulit, dolo, culpa lata aut leui occasionem dedit, damnum inde exortum praestat.

§. 57. Eadem obligatione tenetur, qui curam insanorum, aut mente captorum, aut infantum septimum annum nondum egressorum, ipsi commissam, culpa lata aut leui negligit. (§. 41-44.)

§. 58. Qui factum illicitum peragi iubet, damnum inde ortum in primis praestat.

§. 59. Qui factum, quod impedire debuisset, et potuisset, sciens committi finit, eadem tenetur obligatione, quam qui iussit.

a seruis conductitiis,

§. 60. Damnum a seruis datum conductitiis dominus in regula praestare non tenetur.

§. 61. Qui vero sciens non impedit, quo minus famulitium alteri damnum inferat, famulitii facti illiciti particeps habetur. (§. 59.)

§. 62. Famulos, qui magna animi propensione ad perpetranda scelera grauia, aut magno insaniae vel melancholiae gradu, aut morbis contagiosis periculum facere aliis possunt, scienter recipiens aut non dimittens omne periculum praestat.

§. 63. Ad damnum resarciendum incendio, quod famulitium excitauit, datum tum quoque tenetur dominus, si famulitium, cuius temeritas in ignis et luminum accensorum vsu ei fuit cognita, nihilominus retinuit.

§. 64. Famulum imperitum ad negotium expediendum scienter eligens, damnum tertio famuli imperitia in expediendo negotio datum, reparare debet.

a sociis opificii mercenariis, tironibus.

§. 65. Intuitu sociorum opificii mercenariorum, tironumque magister iisdem, quibus famulitii dominus, tenetur obligationibus.

Source : BIU Cujas

§. 66. Qui sciens tolerat inquilinos in ignis et luminum vsu, in eiiciendo, effundendo, aut in occludenda domo temerarios et negligentes, omne damnum, ab iis eo modo datum, reparare tenetur. Inquilinis aut

§. 67. At in casibus omnibus supra dictis (§. 62-66) paterfamilias, magister, aut aedium dominus eatenus tantum obligantur, quatenus damnum ex laedentis bonis resarciri nequit.

§. 68. Simulac apparet, damnum a cuiusdam famulitio, sociis opificii mercenariis, tironibus aut inquilinis esse exortum, paterfamilias, magister aut aedium dominus, qui personam laedentis indicare nequit, ad damnum resarciendum laeso potissimum tenetur.

§. 69. Vtrum in casibus, §. 56-68. adductis, vbi quis damnum ab aliis datum praestare debet, damnum tantum immediatum, an mediatum etiam et lucrum cessans restituendum sit, ex culpae gradu et praeceptis §. 10-21. diiudicandum.

§. 70. Qui sine magistratus venia fera alit, aut alia animalia, quae natura sua hominibus aut animalibus oeconomiae vtilibus nocent, et in domibus aut agris ali non solent, ad damnum omne ab iis datum resarciendum obligatur. ab animalibus dato s. illato.

§. 71. Neque minus damnum reparare debet, qui impetrata magistratus venia iustam diligentiam in auertendo damno, ab eiusmodi animalibus metuendo, negligit.

§. 72. Qui animalia alit, natura sua non quidem nocentia, at oeconomiae tamen vrbanae aut rusticae non inseruientia, reparare debet damnum immediatum omne, ab iis vel sine propria culpa datum.

§. 73. Reliqua animalia natura sua non nocentia quod attinet, dominus respondet tantum de damno ex neglecta eorum cura (inspectione) oriundo.

Source : BIU Cujas

§. 74. Qui vero ſciens, animal praeter naturam generis ſui nocere, nihilominus negligit ea, quae ad auertenda damna ſunt neceſſaria, laeſo ad omne damnum plene reſarciendum tenetur.

§. 75. Qui animal natura innocuum, aut nocuum, quod ex magiſtratus venia alitur, irritat, aut propria imprudentia occaſionem dat damni ab eo inferendi, damni ipſi illati reparationem petere nequit.

§. 76. Ad reſarciendum vero damnum alteri inde datum tenetur, qui animal irritauit, aut imprudentia ſua damni auctor fuit.

§. 77. Dominus noxae auctor, et ille, qui animal irritauit, tanquam debendi correi tenentur. (§. 30. ſeq.)

§. 78. Si dominorum duorum animalia ſine vlla irritatione ſe laedunt, ille tantum tenetur, qui curam agendo animalis, quod nocuit, officium ſuum neglexit.

Quomodo damni reparatio ſit praeſtanda?

§. 79. Damno dato, quantum fieri poteſt, omnia in priſtinum ſtatum ſunt reſtituenda.

§. 80. Qua reſtitutione ſi laeſus ex toto indemnis praeſtari nequeat, laedens, quae reſtant, alio modo reſarcire tenetur.

§. 81. Idem obſeruandum eſt, ſi reſtitutio eſt impoſſibilis.

Si damnum rebus illatum;

§. 82. Rei in totum amiſſae, deſtructae aut inutilis factae, legale pretium omne laedens reſtituat.

§. 83. Pretio legibus non determinato; in rebus, quae negotiorum mercatoriorum aut nundinalium conſtituunt obiectum, aut quarum pretium in ſchedulis mercatoriis (*Preiscouranten*) eſt determinatum, illud rerum pretium eſt reſtituendum, quod tempore fuit damni illati.

§. 84. Aliarum rerum conditio et qualitates tempore iacturae probando eruuntur, et inde pretium ex rei peritorum arbitrio definitur.

§. 85. Damno dolo aut culpa lata dato, reſtituendum eſt ſummum, quod rei fuit, ſecundum determina-

Source : BIU Cujas

tiones supra dictas (§. 82. 83. 84.) pretium, per interuallum temporis a damno dato vsque ad actionem laedenti insinuatam.

§. 86. Quo in casu laedens et pretium extraordinarium, (s. singulare) praestare tenetur.

§. 87. Pretium affectionis tum demum praestatur, si dolo damnum est illatum.

§. 88. Damno culpa leui aut leuissima dato, commune tantum restituitur pretium, quod rei tempore damni illati fuit.

§. 89. Pretio rei ex damno tantum deminuto, pretium rei ante damnum datum secundum principia supra dicta eruendum, et cum pretio eius praesenti comparandum.

§. 90. Pretii deminutionem inde elucentem laedens restituere tenetur.

§. 91. Damno rei mobili dato, laeso competit electio: vtrum hac compensatione contentus esse, an re laesa laedenti cessa, ab hoc petere malit pretium, quod rei fuit, totum secundum §. 89. erutum.

§. 92. In casibus omnibus, vbi pretium, quod rei tunc temporis erat, secundum principia §. 83. 84. erui luculenter nequit, definiendum est a rei peritis pretium, quod fuit rebus eiusdem generis, et mediae qualitatis, tempore secundum supra dicta principia determinando.

§. 93. Damno culpa leui aut leuissima exorto, laesus restitutione pretii medii contentus esse debet.

§. 94. Damno autem dolo aut culpa lata dato, laesus ad pretium maius iureiurando affirmandum pro iudicis arbitrio admittendus.

§. 95. Quod tamen maius pretium definiti ab artis peritis pretii medii duplum nunquam excedat.

§. 96. Si vero de pretio affectionis agitur, proportionis pretii, a rei peritis determinati, ad pretium, a laeso dictum, nulla habetur ratio.

Source : BIU Cujas

§. 97. Quin potius iudicis arbitrium pretium, a laeso iure iurando probandum, determinet et moderetur, pro natura singulari circumstantiarum et rationum, quibus laesi innititur affectio.

Personis; 1) Interfectione.

§. 98. Qui sine iure hominem interficit, quouis in casu vxori superstiti et liberis interfecti impensas in curationem forte erogatas, atque in funus et vestimenta lugubria factas, restituere debet.

a) Si nex dolo malo illata, aut culpa lata;

§. 99. Praeter ea, qui dolo aut culpa lata alterum occidit, suppeditare debet occisi viduae, liberisque alimenta, ordini et natalibus conuenientia, liberosque ita educandos curare, vti a patre pro ipsius ordine et re familiari sperare poterant.

§. 100. Neque in hoc casu vlla est habenda ratio bonorum ab interfecto relictorum, et subsidii, viduae liberisque a republica aut ab aliis venientis.

§. 101. Qua obligatione laedens tam diu tenetur, quoad familia interfecti ea alimenta et eam sustentationem ab occiso adhuc superstite postulare posset.

§. 102. Si vero incidant circumstantiae, quae interfecti officio familiae ex propriis alendae finem essent imposituae, laedens etiam ab obligatione liberatur.

b) leui culpa;

§. 103. Si nex culpa leui illata, laedentem in tantum oportet alimenta necessaria, ordini conuenientia, interfecti viduae et liberis suppeditare, et hos conuenienter educandos curare, in quantum sumtus ad ea necessarii reditibus bonorum occisi et subsidiis reipublicae aut tertii sustentari nequeunt.

§. 104. Liberos quoque, quibus nondum est prospectum, deficientibus opibus idoneis sic dotet et exornet, vti ab interfecto ex legibus postulare iure potuissent.

§. 105. Obligatio liberos educandi et alendi in regula manet, donec vel ad maiorennitatem peruenerint, vel casus §. 102. iam ante id tempus incidat.

§. 106. At iis liberis, qui ob corporis infirmitatem aut animi debilitatem post maiorennitatem adimpletam alimenta sibi comparare nequeunt, laedens vsque

Source : BIU Cujas

ad mortem eorum aut sanitatem restitutam alimenta praestare debet.

§. 107. Interfecti viduae laedens alimenta praestare tenetur, vsque dum ad vota secunda transierit, aut in eum statum peruenerit, in quo eiusmodi sustentatione non amplius indigeat.

§. 108. In genere et eiusmodi laedentis officia in iisdem circumstantiis cessant, in quibus interfectus ipse, si adhuc viueret, ab iis foret liberatus.

§. 109. Quidquid in antecedentibus §. 99-108. in fauorem viduae interfecti eiusque liberorum est praeceptum, idem valet in personarum aliarum fauorem, quibus ius, legitima alimenta ab occiso postulandi, ex legum praeceptis competeret.

§. 110. Occisio si culpa tantum leuissima facta, occisi familia damni reparatione §. 98. definita contenta sit. c) culpa leuissima.

§. 111. Aliis laesionibus corporis, quibus laesus non est interfectus, in quouis casu ab hoc agi potest ad restituendas impensas in refectionem factas, 2) Aliis corporis laesionibus.

§. 112. Ob dolores perceptos rustici et ciues ordinis inferioris, dolo aut culpa lata laesi, pretium (pecuniam) dolorum aequum, (nostrates dicunt *billiges Schmerzengeld*,) petere possunt. Ob dolores perceptos.

§. 113. Cuius summa ex gradu dolorum perceptorum arbitrio iudicis, at ea ratione est definienda, vt neque sit minor dimidio impensarum in refectionem factarum, neque duplum earum excedat.

§. 114. Intuitu personarum ordinis superioris dolorum, laeso laesione datorum, ratio tantum habetur in definienda poena legitima.

§. 115. Si laesus laesione accepta eo venerit, vt officio suo fungi aut quaestum exercere solito more nequeat, laedens ea commoda laeso praestare tenetur, quorum vsu continuato hic laesione priuatur. Ob effectam incapacitatem officii aut quaestus continuandi.

§. 116. Si laesio dolo aut lata culpa est illata, laeso etiam compensanda sunt futura commoda, quorum per-

Source : BIU Cujas

ceptionem ex naturali et solito rerum ordine cum ratione expectare poterat.

§. 117. Si leuis culpa commissa, laedens damni reparationem tantum praestat pro ratione status, in quo laesus tempore laesionis re vera versabatur.

§. 118. Si culpa tantum leuissima adest, locum habet sola damni reparatio §. 111. definita.

§. 119. Simulac laesus, laesione non obstante, corporis aut ingenii viribus vtendo, quaestum consequitur, is de damni reparatione ex §. 115-117. praestanda computando deducendus.

§. 120. Si laesus laesione ipsi illata ad tempus tantum impeditur, quo minus quaestum exerceat, petere nihil potest, nisi operarum intermissionis pretium, (*Verſäumniſskoſten*, operarum carentiam.)

§. 121. Quod pretium ex principiis §. 115. definitis determinandum, ratione tamen habita temporis spatii, quo laesio accepta a negotiis peragendis laesum impediebat.

§. 122. Ex iisdem principiis et aequo respectu damni diuturni, ex laesione illata in laesi fortunam redundantis, iudicem compensationem determinare oportet, si laesus ad officium aut quaestum exercendum non plane quidem inhabilis redditus fuerit, at officii tamen aut quaestus instituti functio difficilior ipsi sit et sumtuosior.

Ob deformationem.

§. 123. Feminae innuptae corporis laesione ita deformatae, vt viro nubendi occasio difficilior sit, laedens ad dotandum tenetur.

§. 124. Quae dotatio, si deformitas dolo aut culpa lata exorta, iudicis arbitrio ita determinanda, vt laesa s. deformata spem habere possit, matrimonii ordini convenientis ineundi, et interea ex dotationis reditibus alimenta capiendi.

§. 125. Si laesio culpa leui est illata, deformata ea dotatione, quam a patre pro eius ordine et statu vi legum postulare posset, contenta esse debet.

Source : BIU Cujas

§. 126. Laedens, cui non sunt pecuniae, ex quibus dotatio secundum §. 124. 125. definienda praestari possit, deformatae huius dotationis quanti quincunces vsuras quotannis praestare tenetur.

§. 127. Quas quidem vsuras soluere tenetur, dum viuit deformata, licet marito fuerit iuncta.

§. 128. Si cui praeter ea ex deformatione, dolo illata aut culpa lata, vitae sustentandae et rei promouendae oriantur difficultates, indemnitas aequa ipsi praestanda, definienda secundum circumstantias.

§. 129. Ad damnum laeso aut eius familiae reparandum condemnatus, tueri se nequit exceptione, damno reparando se facultate priuari, legitime suos alendi.

§. 130. Satisfactio priuata, de iniuria bonae famae illata, in iure criminali est determinata. Bonae famae.

§. 131. Reparatio damni, ad pecuniam aestimandi, eatenus tantum peti potest, quatenus damnum ex famae bonae violatione immediate ortum.

§. 132. Qui alterum libertate personali vllo modo sine iure priuat, sine discrimine ad omne id, quod interest, obligatur. Libertati.

§. 133. Ille, cuius periculo aut ad cuius instantiam et ostentationem arrestum personale contra ius est decretum, et iudex, qui in eo decernendo contra legis praecepta egit, laeso tanquam correi sunt obligati.

§. 134. Qui in custodia priuata fuit detentus, arbitrio iudicis antecedente admitti potest ad damnum datum et lucrum cessans iureiurando affirmandum.

§. 135. Sumtus ad eum, qui in custodia fuit, liberandum necessarios omnes laedens sustinere debet.

§. 136. Si laeso libertas personalis erepta restitui nequeat, vxori eius et liberis eadem iura sumtuum, ad alendum et educandum necessariorum, in laedentem competunt, quae, marito vel patre interfecto, ipsis sunt concessa. (§. 98. seqq.)

Source : BIU Cujas

In arreſto reali.

§. 137. Qui res ſine iure arreſto detinet, ad damnum, quod rebus eo datur, reſarciendum aeque tenetur, ac ſi damni occaſionem facto immediato dediſſet. (§. 82. ſeqq.)

§. 138. Si, praeter hoc damnum, lucrum certum, ob arreſtum ceſſans, probari poſſit, et hoc lucrum praeſtandum eſt ab eo, ad cuius inſtantiam arreſtum eſt decretum.

TITVLVS SEPTIMVS.

De detentione et poſſeſſione.

Definitiones.

§. 1. Qui phyſica gaudet poteſtate, de re excluſis aliis diſponendi, eam detinet, et eius detentor vocatur.

§. 2. Is quoque merus detentor eſt, qui rem in cuſtodia habet, eo tantum animo, vt de ea pro alio aut eius nomine diſponat.

§. 3. Qui vero rem eo animo, vt ſibi ipſi de ea diſponat, immediate aut per alios, detinet, poſſeſſoris nomine inſignitur.

§. 4. Qui ius exercet, eſt iuris detentor.

§. 5. Qui vero ius ſibi exercet, iuris poſſeſſor vocatur.

Poſſeſſor plenus et minus plenus.

§. 6. Qui rem aut ius, tanquam alienum quidem, detinet, at eo tamen animo, vt de iis ſibi ipſi diſponat, poſſeſſor imperfectus ſ. minus plenus vocatur.

§. 7. Poſſeſſor plenus vocatur, qui rem aut ius, tanquam ſuum, poſſidet.

§. 8. Quae poſſeſſio ſi modo, quo dominium acquiritur, innititur legitimo, plena et titulata poſſeſſio adeſt.

Source : BIU Cujas

§. 9. Minus plenus ſ. imperfectus rei poſſeſſor eſt plenus ſ. perfectus poſſeſſor iuris, quod ſibi in rem arrogat.

§. 10. Iuſta aut iniuſta (legalis aut illegalis) poſſeſſio diiudicatur ex qualitate et validitate tituli, quo ius poſſidendi nititur. Poſſeſſio bonae et malae fidei, et iniuſtificata.

§. 11. Qui ſcit, ſe rem habili titulo non poſſidere, vocatur iniuſtus ſ. malae fidei poſſeſſor (*unredlicher Beſitzer*)

§. 12. Legum ignorantia eum non excuſat, qui titulum poſſidendi ſuum ex errore habilem iudicauit.

§. 13. Solus error in rebus facti commiſſus poſſeſſoris iuſtitiae non obeſt, niſi errans culpa lata aut leui ſua in eum errorem fuerit inductus.

§. 14. Qui vero legum ignorantia in tituli habilitate errat, vocatur poſſeſſor iniuſtificatus (*unrechtfertiger Beſitzer*) et, niſi ſingulares exceptiones ſint definitae, iniuſto ſ. malae fidei poſſeſſori aequiparatur. (§. 232. 239. 240. 241.)

§. 15. Qui, licet in poſſeſſione acquirenda, adhibita media diligentia, ei iam cauſa eſſet, de tituli poſſeſſionis habilitate dubitandi, poſſeſſionem tamen ſine inueſtigatione vlteriore ſibi acquirit; iniuſtitia eius poſtea apparente, malae fidei poſſeſſori aequiparatur.

§. 16. Qui contra, poſſeſſione iam acquiſita, de tituli iuſtitia dubitare incipit, qualitatem et iura poſſeſſoris bonae fidei eo non amittit.

§. 17. Ab illo vero tempore, quo quis conuictus eſt, titulum eſſe iniuſtum, pro malae fidei poſſeſſore eſt habendus.

§. 18. Communis praeſumtio eſt, poſſeſſionem eſſe iuſtam ſ. bonae fidei, niſi leges certis in caſibus et circumſtantiis praeſumtionem ſingularem contrarii expreſſe conſtituant.

§. 19. Qui poſſeſſionem rei, nomine alieno, literis ſingulis, inſignibus, ſigillis, aut aliis ſignis

Source : BIU Cujas

ad designandum dominium adhiberi solitis notatae, auctoritate propria sibi arrogat, contra eum stat malae fidei possessionis praesumtio.

§. 20. Signa mere arbitraria et insolita hanc praesumtionem non fundant.

§. 21. Bona fides tertii, per quem quis possessionem sibi acquirit, non prodest acquirenti iniusto.

§. 22. At contra, neque eiusmodi tertii mala fides nocet ei, cuius nomine possessio est acquisita.

§. 23. Ex notitia eius, cui in re acquirenda cooperandi ius nullum est, bona aut mala fides possessoris nunquam diiudicatur.

Inprimis in compossessoribus pluribus.

§. 24. Si plures rem in communione possident, quilibet de bona aut mala fide pro rata sua respondere tenetur.

§. 25. At tamen neque bonae fidei compossessor ex compossessoris fide mala, in tertii detrimentum, commodum percipere potest.

In corporibus et vniuersitatibus

§. 26. Si corpus aut vniuersitas possessionem acquirit, bona aut mala fides eorum inde dependet, prout maior membrorum numerus in acquirenda possessione vel bona fide egerit, vel iniustificata. (§. 10-15)

§. 27. Eodem modo possessio eiusmodi corporis postea fit iniusta, si maior membrorum numerus est conuictus, possessionem esse iniustam.

§. 28. Hinc possessio vniuersitatis s. communitatis, ex mala fide minoris numeri membrorum huius vniuersitatis, non fit malae fidei possessio.

§. 29. Membra vero, in mala fide versantia, domino ad damnum inde exortum resarciendum tenentur, quod scientiam de qualitate rei, aut dubitationes, quae ipsis in acquirenda possessione erant, reliquis membris non indicarunt.

§. 30. Si par sit numerus membrorum in bona et mala fide versantium, vniuersitatis possessio generatim bona fide munita haberi nequit.

Source : BIU Cujas

§. 31. Quatenus bonae fidei compoſſeſſores eo, quod vniuerſitatis poſſeſſio in genere ob reliquorum malam fidem iniuſta habetur, atque adeo domino reſtituenda eſt, verum rei familiaris ſuae damnum ſentiunt, eatenus huius reparationem petere poſſunt a malae fidei compoſſeſſoribus.

§. 32. Vniuerſitatem repraeſentantes, ratione malae aut bonae fidei poſſeſſionis, tanquam vniuerſitas ipſa conſiderantur.

§. 33. Si plurium vniuerſitatem repraeſentantium alii in bona, alii in mala fide verſantur, intuitu poſſeſſionis vniuerſitatis ipſius praecepta §. 26-31. locum inueniunt.

§. 34. Si poſſeſſio ab vniuerſitatis tantum praepoſitis aut procuratoribus fuerit acquiſita, ex regulis §. 21. 22. diiudicatur, an iuſta ſit an iniuſta vniuerſitatis ipſius poſſeſſio.

§. 35. In rebus, vbi ſubſtantia tantum totius eſt vniuerſitatis, fructus vero inter ſingula membra diuiduntur, iura et obligationes cuiusque membri, intuitu fructuum, ex propria ipſius bona aut mala fide ſunt diiudicanda.

§. 36. Si igitur res ipſa, ob malae fidei poſſeſſionem vniuerſitatis in genere domino eſt reſtituenda, huic ad reſtituendos fructus omnes eo vsque perceptos malae fidei poſſeſſores prae reliquis tenentur.

§. 37. Qui vero ſi damnum reſarcire domino nequeant, et bonae fidei poſſeſſores, quatenus ex his fructibus commoda perceperunt, domino ſunt obligati.

§. 38. At contra, ſi dominus (proprietarius) ob bonae fidei poſſeſſionem vniuerſitatis in genere, praeſcriptione firmatam, rem ipſam repetere nequeat; poteſt quidem de fructibus perceptis malae tantum fidei poſſeſſores conuenire;

§. 39. At vero intuitu quoque fructuum, in poſterum percipiendorum, in locum ſuccedit horum malae fidei compoſſeſſorum.

Source : BIU Cujas

In poſſeſſione a ſucceſſore continuata.

§ 40. Qualitas poſſeſſionis cuiusuis poſſeſſoris ſuccedentis ex ipſius bona fide ſola, non vero ex eo iudicatur, vtrum anteceſſor bonae an malae fidei poſſeſſor fuerit.

§. 41. Nihil inde diſcriminis, an ſucceſſor in poſſeſſione ſimul heres ſit anteceſſoris, nec ne.

§. 42. Attamen heres (ſucceſſor) effectus malae fidei poſſeſſionis eius, qui hereditatem reliquit, ex eius hereditate (relictis bonis) praeſtare debet.

De acquirenda poſſeſſione in genere.

§. 43. Nemo ſine conſenſu aut inuitus rei poſſeſſor fieri poteſt, licet res ſit in eius detentione.

§. 44. Hinc quatenus quis voluntatis ſuae declarandae eſt incapax, eatenus rei poſſeſſionem per ſe ipſum acquirere haud poteſt.

§. 45. Quatenus iura acquiri poſſunt alterius pactis, eatenus etiam poſſeſſio tantum poteſt acquiri alterius facto.

§. 46. Ad poſſeſſionem acquirendam neceſſario requiritur, vt eius obiectum, ſiue res ſit, ſiue ius, accurate ſit definitum.

§. 47. Res cum aliis rebus commixta ſeparari debet aut diſtinctius notari.

§. 48. Sine poſſeſſionis apprehenſione nulla poſſeſſionis ſpecies poteſt acquiri.

§. 49. Qui vero alteri ſuccedit in complexu rerum aut iurium, non eget poſſeſſionis apprehenſione, quod ad res et iura ſingula, in complexu comprehenſa.

Acquiſitio poſſeſſionis rerum.

§. 50. Factum externum, quo res corporalis in poſſeſſoris poteſtatem redigitur, ſenſu proprio poſſeſſionis dicitur apprehenſio.

§. 51. Ad quam factum quoduis ſufficit, quo efficitur, vt ea re vti et de ea diſponere nouus poſſeſſor vel ipſe, vel per alios poſſit.

§. 52. Poſſeſſionem rei principalis apprehendens ſimul pertinentiarum omnium poſſeſſionem apprehendit

§. 53. Qui animo complexus rerum poſſeſſionem occupandi res eius quasdam ſingulas in poteſtatem ſuam redigit; eo poſſeſſionem vniuerſi apprehendit.

§. 54.

Source : BIU Cujas

§. 54. At ſingulatim eſt acquirenda poſſeſſio pertinentiarum et rerum ſingularum, quae tempore poſſeſſionis apprehenſionis rei principalis, aut vniuerſitatis, ſunt in tertii poſſeſſione actuali.

§. 55. Poſſeſſio rei, quae eſt nullius, ita apprehendi poteſt, vt poſſeſſionem acquiſiturus rem iis inſigniat ſ. notet ſignis, ex quibus animus, rem in poſterum ſibi habendi, clare elucet.

§. 56. Mera autem ſignatio nihil prodeſt ei, cui facultas deeſt, rem in ſuam poteſtatem redigendi.

§. 57. Mera etiam ſignatio effectus ſupra laudatos tum tantum habet, ſi tempore, quo ſignum rei imponitur, tertius non contradicit.

§. 58. Traditione poſſeſſio acquiritur, ſi, qui ad hoc tempus fuit poſſeſſor, in alterius fauorem re abſtinet, et hic poſſeſſionem vacuam apprehendit. Traditione.

§. 59. Sola illius, qui hactenus rem poſſedit, voluntas declarata, ſufficit poſſeſſioni, in tertii fauorem vacuandae, quatenus hic inde poteſtatem acquirit, de re diſponendi.

§. 60. Iudicis decreto poſſeſſio in alterius fauorem fieri poteſt vacua, vel ſine conſenſu eius, qui hactenus fuit poſſeſſor.

§. 61. Traditio non ſolum actu corporali fieri poteſt, de manu in manum, ſed etiam (ſymbolice) ſignis rem repraeſentantibus. Traditio vera ſ. actu corporali facta.

§. 62. Signa, niſi leges ſingulares exceptiones faciant, arbitraria poſſunt eligi. Traditio ſymbolica.

§. 63. Quae tamen ſigna ſignificare ſufficienter debent ab vna parte animum, poſſeſſionem vacuam reddendi, ſ. vacuandi, et ab altera parte, eam apprehendendi.

§. 64. Traditio ſymbolica etiam ita comparata ſit neceſſe eſt, vt nihil amplius obſtet corporali poſſeſſionis apprehenſioni.

Source : BIU Cujas

§. 65. Sic merces et res aliae, in ciſtis obſeratis incluſae, claues exhibendo poſſunt tradi.

Aſſignatione. §. 66. Si rem illius, qui hactenus poſſeſſor fuit, nomine detinenti, ab illo iniungitur, vt poſſeſſionem poſſeſſoris noui nomine continuet, traditio eſt perfecta.

§. 67. Rei aſſignatae aut ſummae poſſeſſio inde ab eo temporis momento incipit, quo aſſignatio a poſſeſſore nouo eſt acceptata.

§. 68. Attamen rei aut ſummae aſſignatae detentor poſſeſſori nouo ab eo demum tempore obligatur, quo certam aſſignationis cognitionem eſt conſecutus.

§. 69. Qui rem principio nomine tantum alieno tenuit, animo, rem ſibi in poſterum habendi, ſolo poſſeſſionem rei acquirere nequit.

Sola voluntatis declaratione. §. 70. Si vero, qui hactenus rei poſſeſſor fuit, legitime declarat voluntatem ſuam, ei, qui rem hactenus detinuit, poſſeſſionis iura concedendi; haec declaratio pro traditione noua eſt habenda.

§. 71. Neque minus poſſeſſionis traditio tum pro perfecta habenda, ſi, qui hactenus poſſeſſor fuit, legitime declarauit voluntatem ſuam, rem in poſterum nomine alieno in detentione ſua habendi.

§. 72. Hinc eius, qui huc vsque dominus fuit, declaratio, ſe rei ſuae vſumfructum ſibi tantum reſeruare iam ſufficit ad poſſeſſionem transferendam in eum, in cuius fauorem haec declaratio facta.

§. 73. Si, qui adhuc dominus fundi fuit, eum fundum conducit, hoc pactum ſimul eſt loco conceſſionis plenae poſſeſſionis.

Quid iuris, ſi plures poſſeſſionem acquiſiverunt. §. 74. Cui res actu corporali eſt tradita, intuitu iurium, ex poſſeſſione oriundorum, praeſertur illi, cui traditio aſſignatione tantum aut ſignis facta.

§. 75. Si plures, quibus traditio ſignis tantum aut aſſignatione eſt facta, de poſſeſſionis iure litigant, nemo contra alium haec iura ſibi poteſt arrogare.

Source : BIU Cujas

§. 76. Res potius in depoſitum iudiciale aut ſequeſtrationem recipienda, donec poſſeſſionis ius eſt deciſum. (Tit. X. §. 18-25.)

§. 77. Iura, cum rei poſſeſſione coniuncta, vna cum re traduntur. Acquiſitio poſſeſſionis iurium,

§. 78. Poſſeſſio aliorum iurium, quae ex poſſeſſione rei corporalis non pendent, non niſi eorum exercitio poteſt acquiri.

§. 79. Attamen iuris partes, quae ex definitione illi inſunt, ſingulari poſſeſſionis apprehenſione non indigent.

§. 80. Qui factum, quod alter tanquam obligationem perpetuam ab eo poſtulauit, re vera praeſtat, concedit illi poſſeſſionem iuris, repetitionem facti ab eo poſtulandi. (ius affirmatiuum.) iuris affirmatiui,

§. 81. Qui factum, cui alter contradicere poterat, ſine eius contradictione ſuſcipit, poſſeſſionem acquirit iuris, ab altero petendi, vt hoc factum committi in poſterum patiatur. (ius negatiuum.) iuris negatiui,

§. 82. Quod ſi vero eiusmodi facto iuris negatiui poſſeſſio re vera debeat acquiri, appareat neceſſe eſt ex agentis declaratione, aut ex circumſtantiis, agentis opinio, eiusmodi ius perpetuum re vera ipſi competere.

§. 83. Si poſſeſſionis apprehenſio eiusmodi iuris negatiui contradicendo impediri debeat, agenti, dum agit, contradictio ſignificetur neceſſe eſt.

§. 84. Contradictio actione plene perfecta ſubſequens poſſeſſionem, hoc facto acquiſitam, tollere nequit.

§. 85. Contradictione tamen re adhuc recenti ſubſecuta, aut ſimulac is, contra quem iuris negatiui poſſeſſio acquiri debet, factum cognouit, poſſeſſionis apprehenſio infirmatur.

§. 86. Poſſeſſionem iuris prohibendi is acquirit, ad cuius interdictum alter a facto ſuscepto ſe abſtinet. iuris prohibendi.

§. 87. Si vero prohibendi ius alicui expreſſa voluntatis declaratione eſt conceſſum, hic a momento

Source : BIU Cujas

temporis, quo voluntatis declaratio vim legitimam eſt conſecuta, ius poſſidere exiſtimatur.

Acquiſitio poſſeſſionis iuris contra plures,

§. 88. Compoſſeſſores rerum communium committendo, omittendo, aut patiendo, pro rata, tantum obligantur.

§. 89. Si res, cuius intuitu iuris poſſeſſio acquiri debet, per ſe eſt indiuidua, aut ſi compoſſeſſores ſunt in poſſeſſione indiuiſa, horum nemo committendo aut patiendo alterius ius poteſt deminuere.

in primis contra corpora et vniuerſitates.

§. 90. Factis aut praeſtationibus membrorum ſingulorum vniuerſitatis non acquiritur poſſeſſio iuris (affirmatiui), ab vniuerſitate aliquid petendi.

§. 91. In quantum conſenſus vnius partis vniuerſitatis, eius repreſentantium, praefectorum aut mandatariorum, ad obligandam vniuerſitatem in pactis ſufficit, in tantum harum perſonarum factis aut praeſtationibus acquiritur etiam iuris affirmatiui poſſeſſio contra vniuerſitatem.

§. 92. Poſſeſſio iuris, vniuerſitati iuris, quod communiter exercuit, exercitio in poſterum interdicendi, contra eam non niſi in tantum acquiritur, in quantum omnia membra interdicto morem geſſerunt.

§. 93. Poſſeſſio iuris aliquid faciendi (iuris negatiui) contra vniuerſitatem tunc demum acquiritur, ſi nullum eius membrum exercitium impugnauit.

§. 94. In vtroque igitur caſu §. 92. 93. membrum quoduis, licet non ſit in numero vniuerſitatem repraeſentantium, et praefectorum, facto contrario, aut contradicendo poſſeſſionis apprehenſionem contra vniuerſitatem impedire poteſt.

§. 95. At contra, corpus aut vniuerſitas, quae poſt interdictum omiſit factum, aut factum poſſeſſionem apprehendentis non impugnauit, notitiae defectum opponere nequit, ſimulac interdictum aut factum in vniuerſitatem repraeſentantium, aut praefectorum notitiam peruenit.

Source : BIU Cujas

§. 96. Factis vi priuata iniuſta ſusceptis, poſſeſſio rei nunquam acquiri poteſt. Vitia, quae poſſeſſionis apprehenſionem impediunt.

§. 97. Neque eo poteſt iuris poſſeſſio effici, ſi quis ad faciendum aliquid vel patiendum vi fuerit coactus, aut dolo inductus. Vis. Dolus

§. 98. Factis clam commiſſis poſſeſſio in ſenſu iuris, neque acquiri poteſt, neque continuari. Facta clandeſtina.

§. 99. Facta, quae in alterius notitiam, ipſius aut vicariorum incuria aut negligentia, non venerunt, pro clandeſtinis non habenda.

§. 100. Quin potius animus facti celandi clare appareat neceſſe eſt, ex inſolito tempore, quo eſt commiſſum, ex iis, quae eum in finem ſunt parata, ne factum alteri in notitiam veniret, aut ex aliis circumſtantiis antecedentibus, concomitantibus, aut ſubſequentibus.

§. 101. Praeſumtio contra occultandi animum pugnans, in factis eo tantum ſpectantibus, vt continuetur poſſeſſio, eſt fortior, quam in factis, quibus ea modo acquiri debet.

§. 102. Si occultandi animus elucet, poſſeſſionis apprehenſionis vitium non emendatur, licet alter, apparatibus factum occultandi non obſtantibus, facti notitiam fuiſſet conſecutus.

§. 103. Si fundi conductor poſtulatione ipſi tantum facta certum quid praeſtandum in ſe ſuſcepit, eo ſolo contra dominum non acquiritur poſſeſſio iuris, (affirmatiui) praeſtationis repetitionem poſtulandi.

§. 104. Quod ſi vero dominus praeſtationem a conductore factam ſciuit, aut ſi ea culpa eius lata vel leui non venit ipſi in notitiam: alter iuris affirmatiui poſſeſſionem contra dominum acquiſivit.

§. 105. Quatenus conductori ius, de re ipſa diſponendi, eſt conceſſum, eatenus factis eius et praeſtationibus iuris affirmatiui poſſeſſio contra dominum poteſt acquiri.

Source : BIU Cujas

Precarium. §. 106. Ex factis, praestationibus, aut patientia, (tolerantia) ex quibus possessionis apprehensio per se posset effici, possidendi ius non exoritur, simulac apparet, alterum ea commisisse, aut patientiam praestitisse, non ex fundamento obligationis antecedentis, sed precario tantum et obsequio liberali.

§. 107. Qui aliquid facit, aut lubens patitur, quod ei detrimento est, aut ad iura sua limitanda cedit, contra eum praesumtio valet, eiusmodi facti aut patientiae (tolerantiae) fundamentum obligationis antecedentis opinione niti.

§. 108. Quae tamen praesumtio generalis tolli potest, si obstent praesumtiones specialiores, apparentes ex rationibus personalibus aliisque facti circumstantiis.

Initium possessionis. §. 109. Possessionis initium ducitur a facto s. actu primo, quo illa est apprehensa.

§. 110. Si facta plura ad possessionem apprehendendam requiruntur, factum illud, quo apprehensio perficitur, possessionis initium definit.

Continuatio et amissio detentionis et possessionis. §. 111. Detentio rei amittitur, simulac cessat detinentis physica potestas, per se aut per alium de ea re disponendi.

§. 112. Ex detentione amissa, nondum sequitur possessionis amissio.

§. 113. Quin potius possessio tam diu habetur pro continuata, quam diu non clare apparet facta possessionis sublatio.

§. 114. Mutatis possessoris qualitatibus personalibus nil mutatur in possessionis continuatione.

§. 115. Amissa acquirendi facultate, possessio rerum iam ante acquisitarum nondum amittitur.

§. 116. At contra cessat possessio, si euentu, rem ipsam eiusque substantiam afficiente, possessori fit impossibile, vt detentionem amissam recuperet.

Source : BIU Cujas

§. 117. Et tum, ſi poſſeſſor, detentione ſe abdicando verbis aut factis perſpicue declarauit, ſe velle rem derelinquere.

§. 118. Is tantum rei poſſeſſionem poteſt derelinquere, cui competit ius de ea libere diſponendi.

§. 119. Quamdiu res adhuc loco quodam detinetur, cuius acceſſu poſſeſſor aliis interdicere iure poteſt, ea pro derelicta haberi nequit.

§. 120. Quamdiu ſigna, quibus rei poſſeſſae dominium ſolet notari, in re diſtincte conſpiciuntur, poſſeſſor antecedens eam dereliquiſſe praeſumi nequit.

§. 121. Neque vero ſola ſignorum deletione poſſeſſor priuatur poſſeſſione ſemel apprehenſa.

§. 122. Si alius poſſeſſionem rei, quae in eius, qui hactenus fuit poſſeſſor, detentione non amplius eſt, modo haud vitioſo (§. 96-108.) apprehendit, poſſeſſio antecedens ceſſat.

§. 123. In quantum quis poſſeſſionem ſuam in alterum transfert, in tantum ipſe amiſit.

§. 124. Poſſeſſione minus plena ſ. imperfecta alii ceſſa, plena poſſeſſio eius, qui hactenus fuit poſſeſſor, continuatur.

§. 125. Qui nomine alieno rem tenet, aut imperfecte ſ. minus plene poſſidet, alterum poſſeſſione priuare tantum poteſt eiusmodi factis, quibus qualitates inſunt poſſeſſionis apprehenſionis nouae. (§. 70.)

§. 126. Poſſeſſio iuris, ab altero aliquid poſtulandi (iuris affirmatiui) amittitur, ſi alter acquieſcit, recuſante hactenus obligato implementum vlterius officii, ab eo petiti. In primis iurium.

§. 127. Poſſeſſio iuris aliquid faciendi (iuris negatiui) ceſſat, ſi alter poſſeſſionem iuris prohibendi oppoſiti acquiſiuit.

§. 128. Poſſeſſio iuris prohibendi amittitur, ſi alter poſſeſſionem iuris negatiui obſtantis (iuris aliquid faciendi) acquiſiuit.

Source : BIU Cujas

§. 129. Quatenus rerum traditione iura ſimul in alterum ſunt translata, (§. 77.) eatenus is, qui hactenus poſſeſſor fuit, poſſeſſionem amittit.

§. 130. Caeterum poſſeſſio iuris acquiſita, neglecto eius vlteriori exercitio, in regula nondum amittitur. (Tit. IX. Sect. IX.)

§. 131. Rei aut iuris poſſeſſio, alteri ad tempus tantum aut ſub certa conditione reſoluente conceſſa, tempore praeterlapſo, aut incidente conditione, eo ipſo ceſſat.

§. 132. Neque eiusmodi poſſeſſio continuatur detentione continuata.

§. 133. Quos effectus detentio continuata producere ſi debeat, accedere oportet factum nouum, requiſitis poſſeſſionis apprehenſionis legitimis non deſtitutum.

Effectus poſſeſſionis.

§. 134. A poſſidendi iure (ad poſſeſſionem) differt ius ipſum poſſeſſionis.

§. 135. Effectus iuris ad poſſeſſionem ex qualitate tituli, quo nititur poſſeſſio, ſunt definiendi.

§. 136. Poſſeſſionis autem iura a poſſeſſionis qualitate pendent.

Iura et officia detentoris et poſſeſſoris.

§. 137. Detentori mero ea competunt iura, quae ex officio, rem aut ius illi conſeruandi, cui competit poſſeſſio, oriuntur.

§. 138. Qui inſcius rem detinet, tum demum detentoris officiis obſtringitur, poſtquam notitiam eius eſt conſecutus.

§. 139. Quae officia ſi nolit in ſe recipere, rem poſſeſſori legitimo reddere, aut iudicialiter debet deponere.

§. 140. Vltimum poſſeſſorem, donec probetur contrarium, pro legitimo habere poteſt et debet.

§. 141. Contra vim detentor et poſſeſſor quisque eſt defendendus.

§. 142. Vim vi repellere ei licet, ſi reipublicae auxilium, ad damnum auertendum irreparabile iuſto ſerius eſſet venturum.

Source : BIU Cujas

§. 143. In iisdem circumſtantiis etiam is, qui de detentione ſua aut poſſeſſione vi eſt deiectus, ſe ipſum in poſſeſſione poteſt tueri vi legibus permiſſa priuata. (Introd. §. 77. 78.)

§. 144. Merum detentorem is, cuius nomine poſſidet, detentione priuare auctoritate propria tempore quouis poteſt.

§. 145. Non tamen eiusmodi poſſeſſori licet, vim adhibere priuatam illicitam, qua ſalus publica et ſecuritas turbatur, aut detentor in iuribus ſuis reliquis damnum ſentit.

De reſtitutione poſſeſſionis vi aut dolo, clam aut precario ereptae aut turbatae.

§. 146. Cui detentio aut poſſeſſio, contra praeſcripta ſupra dicta, vi eſt erepta, ei reſtituenda et detentio et poſſeſſio, nulla eius, qui vim adhibuit, iuris melioris ratione habita.

§. 147. Idem obtinet, ſi quis rem aut ius clam, dolo, aut precario a poſſeſſore antecedente in ſe tranſtulit.

§. 148. Iura in §. 146. 147. laudata competunt illi, qui eo modo de ſua poſſeſſione iniuſte eſt deiectus, non ſolum contra deiicientem eiusque ſocios, ſed etiam contra eorum heredes. (Tit. VI. §. 28. ſqq.)

§. 149. Quae iura etiam ad deiecti heredes tranſeunt.

§. 150. Iura omnia, quibus gaudet, qui e poſſeſſione deiectus eſt vi, clam, aut calliditate, ei quoque competunt, qui ab altero eo modo iniuſte in poſſeſſione ſua turbatur.

§. 151. Turbatum iudex aduerſus turbantem, poenas comminando proportionales, et, ſi neceſſe ſit, eas exequendo tueri debet, ne in poſterum turbetur.

§. 152. Turbans, qui ſemel iam contra iudicis decretum egit, adigi praeter ea poteſt ad praeſtandam cautionem de non amplius turbando.

§. 153. Idem locum habet, ſi rationes adſunt probabiles metuendi, vt turbans turbato de damno ex

Source : BIU Cujas

turbationibus oriundo, plenam satisfactionem in continenti praestare possit.

§. 154. Quibus iuribus (§. 146-153.) laudatis is tantum vti potest, qui demonstrare potest, se immediate ante deiectionem aut turbationem in quieta fuisse possessione.

Quid sit iuris, si possessio est controuersa.

§. 155. Si possessionis status quietus vltimus sit controuersus, a iudicis arbitrio pendet decretum, quo modo administranda sit res litigiosa vsque ad meliorem iurium possidendi mutuorum cognitionem.

§. 156. Iudicem haec determinantem attendere oportet ad principia de iurium collisione generalia. (Introd. §. 95.)

§. 157. Si circumstantiae ita sunt comparatae, vt ex possessione interimistica vnius alteri damnum oriatur nullum, huic in primis possessio vsque ad rem decisam est concedenda.

§. 158. Praeter ea iudex attendat, quis litigantium alteri, si hic bonae fidei possessor declaretur, damnum ex possessionis detentione ortum, optime refarcire possit.

§. 159. Quod si partis vincentis damnum irreparabile metuendum, si altera pars vsque ad sententiam definitiuam possessionis iura exerceat res in custodiam iudicialem est recipienda.

§. 160. Idem fieri potest, si iudex videat, ex possessione interimistica, vni parti concessa, vim posse oriri, qua saluti publicae et securitati periculum afferatur.

§. 161. Contra eum, qui in rei aut iuris possessionem, nec vi venit, nec clam, calliditate, aut precario, ille, qui rem ante possedit, ad recuperandam possessionem eatenus tantum agere potest, quatenus potest ius possidendi melius docere.

Rationes inter detentorem et ius possidendi habentem,

§. 162. Merus detentor rem e detentione ereptam ab eo tantum repetere potest, qui sine omni iure eam possidet.

Source : BIU Cujas

§. 163. At eius ius infirmius eſt iure cuiusuis, qui ius poſſidendi docere poteſt.

§. 164. Vltimo poſſeſſori, a quo rem in detentionem accepit, eam, quotiescunque is reuocat, reſtituendi ius habet et obligationem.

§. 165. Si res, quae in eius detentione eſt, ab alio vindicatur, eum, a quo rem accepit, denominare et vindicantem ad hunc ablegare debet.

§. 166. Quod ſi negligat, et vindicanti et illi, a quo rem in detentionem accepit, reſpondere tenetur.

§. 167. Si detentor ignoret, a quo rei detentio ad ipſum tranſierit, reddere tenetur rem ei, qui vltimum ſe eſſe poſſeſſorem poteſt docere.

§. 168. Cuius legitimatio ſi ipſi videatur dubia, vindicatione ſequente rem ad iudiciale depoſitum offerre eum oportet, vt eruatur legitimus poſſeſſor vltimus.

§. 169. Poſſeſſor minus plenus, quamdiu poſſeſſionis ius durat, nemini, ne poſſeſſori quidem pleno aut domino, cedere tenetur. inter minus plenum et plenum poſſeſſorem,

§. 170. Eodem modo ad poſſeſſionem reſtituendam contra quemuis agendi ius habet.

§. 171. In quantum vero is, a quo poſſeſſionis ius accepit, iure illud transferendi non gaudebat, cedere debet illi, qui contra hunc melius ius probauit ſ. docuit.

§. 172. Iure eius, qui ius poſſeſſionis ipſi conceſſit, extincto, poſſeſſor minus plenus cedere debet ei, ad quem dominium aut plenum poſſeſſionis ius tranſiit.

§. 173. Attamen nemo, qui alteri ius poſſeſſionis minus plenum ceſſit, in huius detrimentum ius ſuum proprium in tertium transferre poteſt.

§. 174. Poſſeſſor etiam minus plenus obſeruare debet, praeceptum §phi 165. de auctore, a quo poſſeſſionis ius accepit, nominando, ſi non de iure poſſeſſionis, ſed de re ipſa conuenitur.

§. 175. Poſſeſſor plenus vero domino tantum cedere debet. inter plenum poſſeſſorem et dominum,

Source : BIU Cujas

§. 176. Contra alium quemuis omnibus domini iuribus gaudet. (Tit. XV.)

inter poſſeſſorem bonae et malae fidei.

§. 177. Quidquid ſupra dictum (§. 169-176.) in eo tantum caſu valet, ſi iuſta eſt ſ. bonae fidei poſſeſſio.

§. 178. Malae fidei poſſeſſor bonae fidei poſſeſſori cedere ſemper debet.

§. 179. In poſſeſſoris cuiuslibet fauorem in regula valet poſſeſſionis iuſtae et bonae fidei praeſumtio.

§. 180. Hinc de poſſeſſione conuentus ad edendum et docendum poſſeſſionis titulum non tenetur.

§. 181. Attamen praeſumtio, liberas eſſe perſonas et dominium, praeſumtionem vincit poſſeſſionis iuſtae.

§. 182. Hinc, etiamſi quis eſt in poſſeſſione, libertatem aut dominium alterius limitibus circumſcribendi, nihilominus ius ſuum huius poſſeſſionis edere debet et docere.

§. 183. A qua vero regula locum habet exceptio, quatenus leges ſingulares eiusmodi limitum circumſcriptiones perſonarum certi ordinis expreſſe conſtituunt. (Part. II. Tit. VII. Sect. III.)

§. 184. Si quis doceat, ſe rei poſſeſſione vi, calliditate aut dolo eſſe priuatum, is, qui rem poſſidet, ad poſſeſſionis titulum edendum tenetur.

§. 185. Iudici, poſſeſſionis titulus ſine reſeruatione ſemper eſt edendus, in caſibus omnibus, vbi iſtam declarationem ad illuſtrandas res facti litigioſas neceſſariam exiſtimat.

§. 186. Qui in caſibus §. 184. 185. adductis poſſeſſionis titulum edere pertinaciter recuſat, malae fidei poſſeſſor eſt habendus.

§. 187. Attamen hac edendi poſſeſſionis tituli obligatione nondum tollitur praeſumtio poſſeſſionis ipſius iuſtae.

Source : BIU Cujas

§. 188. Bonae fidei poſſeſſor domino vero rem in eo ſtatu, in quo re vera eſt, reddere tenetur. In primis in euacuatione poſſeſſionis 1) a pleno bonae fidei poſſeſſore, *a*) ratione emolumentorum et fructuum,

§. 189. Emolumenta et fructus in bonae fidei poſſeſſione percepta omnia ſunt, manentque in eiusmodi poſſeſſoris dominio.

§. 190. Neque ad illorum pretium domino reſtituendum tenetur, ſi vel in poſſeſſione emolumenti adhuc re vera verſatur.

§. 191. Si vero emolumenta et fructus, quorum dies nondum venit, iam ante tempus perceperit, ea domino reſtituere eatenus tenetur, quatenus dies conſtitutus finita bonae fidei poſſeſſione aduentat.

§. 192. Sortium et iurium aliorum vtilium vſurae reſtantes, et emolumenta, et fructus pro temporis momento, quo iuſta deſiit poſſeſſio, inter dominum et poſſeſſorem diuiduntur.

§. 193. Omnes rerum vtilium mobilium fructus, durante bona poſſeſſione iuſta a ſubſtantia ſeparati, adiudicantur poſſeſſori.

§. 194. In primis eius eſt pecus iuuenile, ſimulac ex vtero prodiit.

§. 195. Praediorum, domuum et fundorum vtilium quaeuis emolumenta et fructus omnes annorum, quibus oeconomiam exercuit, antecedentium poſſeſſor iuſtus retinet, ſine diſcrimine, vtrum conſumti iam ſint et diſtracti, an adhuc extent. *b*) in ſpecie fundorum,

§. 196. At contra, eum etiam oportet onera omnia, et impenſas, quae ex his annis adhuc debentur, et ex fructibus ſunt praeſtanda, ſuſtinere et praeſtare.

§. 197. Anni vltimi fructus et emolumenta inter poſſeſſorem diuiduntur et dominum.

§. 198. Vltimus vocatur annus, quo poſſeſſio iuſta eſſe deſiit.

§. 199. Initium anni oeconomici in eiusmodi fundis ducitur a Calendis Iulii.

Source : BIU Cujas

§. 200. Fructus et emolumenta diuiduntur ratione temporis, quo bonae fidei aut malae fuit huius anni poſſeſſio.

§. 201. Quae ad annorum antecedentium et vltimi anni oeconomici fructus ſint referenda, et quo modo anni huius vltimi intuitu computatio et partitio inter poſſeſſorem et dominum ſit inſtituenda, ex principiis in titulo de vſufructu praeſcriptis eſt definiendum. (Tit. XXI. Sect. I.)

§. 202. Domino licet, vltimi anni emolumenta et fructus poſſeſſori omnes concedere, et eo declinare, quae eſſent conferenda, omnia ad impenſas oeconomicas, et ad alia onera et expenſas, ex fructibus praeſtanda.

§. 203. At contra poſſeſſor etiam fructus annorum priorum iam perceptos, quatenus ad oeconomiam anni vltimi continuandam ſunt requiſiti, ſuo commodo in rationes referre non tenetur.

c) melioratiionum.

§. 204. Si bonae fidei poſſeſſor rem meliorauit, dominus expenſas in meliorationem factas reſtituere debet, ſi meliorationes adhuc extant, et vtilitatem praeſtant expenſis proportionatam.

§. 205. Quin etiam, ſi vtilitas re vera nondum exiſtit, attamen ſecundum rerum ordinem naturalem et ſolitum in poſterum certo poteſt expectari, poſſeſſor petere poteſt impenſas in meliorationem factas.

§. 206. Si melioratio in prouentuum augmento conſiſtit, meliorationis ſumtus eatenus peti tantum poſſunt, quatenus non excedunt meliorationis fortem (*Capitalswerth*) ad augmentum prouentuum, tanquam vſuras conſideratum, more publice recepto definiendam.

§. 207. Quod ſi vero non auctі prouentus, ſed ſubſtantiae pretium emtionis venditionis auctum, commune ſubſtantiae pretium in totum eruendum, quale fuit ante meliorationem, et eſt tempore reſtitutionis.

§. 208. In quantum impenſae, meliorationis cauſa factae, augmentum pretii ſubſtantiae inde ortum non

Source : BIU Cujas

excedunt, in tantum poſſeſſor harum impenſarum reſtitutionem petere tantum poteſt.

§. 209. Ad impenſas meliorationis cauſa factas, in omnibus caſibus referre tantum licet pecunias pro melioratione numeratas, et eiusmodi praeſtationes naturales, quae ex re ipſa non prouenerunt.

§. 210. Si commutatione rei facta non vtilitas praeſtetur, ſed voluptas tantum, emtionis pretium non augens; domino reſtitutionem praeſtare nolente, poſſeſſor tollere poteſt, quae adſunt.

§. 211. At vero et hoc ius locum tantum eatenus habet, quatenus iſta ſublatione res in ſtatum eum reſtituitur, quo fuit ante commutationem.

§. 212. Impenſas in conſeruationem ſubſtantiae neceſſarias, et cum rei poſſeſſione inſeparabiliter coniunctas, poſſeſſori debet compenſare dominus, quatenus eius commodum inde promotum. *d*) impenſarum in conſeruationem factarum,

§. 213. Si eiusmodi impenſae non in pecunia numerata conſiſtunt, ſed in rebus tantum naturalibus, hae reſtituendae ſunt ſecundum pretium, quod erogationis tempore rerum fuit.

§. 214. At poſſeſſor tamen domino imputare non poteſt res naturales, aut operas, ex re aut fundo ipſo ad conſeruandam ſubſtantiam ſumtas et praeſtitas.

§. 215. Impenſarum, in conſeruationem rei ſingularis, in complexu rerum aut iurium comprehenſae, aut pertinentiae factarum reſtitutionem poſſeſſor petere nequit, ſi res aut pertinentia non fuerit conſeruata.

§. 216. In quantum impenſae in conſeruationem factae, ex anni, in quo ſunt erogatae, emolumentis et fructibus ſumi potuerunt, in tantum ad eas reſtituendas dominus non tenetur.

§. 217. Si eiusmodi impenſae factae ſunt in apparatus vtiles, ad auertenda futura ſubſtantiae pericula ſpectantes, non niſi in tantum reſtituuntur, in quantum apparatus adhuc re vera extant.

Source : BIU Cujas

e) onerum, §. 218. Praeſtationes omnes, vti et onera de re praeſtanda poſſeſſor inde ab eo tempore, quo fructuum perceptio ei competit, ferre debet.

f) deteriorationum, §. 219. Rei deteriorationes, quae poſſeſſionis tempore acciderunt, bonae fidei poſſeſſor eatenus tantum refarcire debet, quatenus ipſius culpa lata ſunt exortae.

g) impenſarum reſtitutionis. §. 220. Impenſas ad reſtituendam ſeu tradendam rem neceſſarias dominus ſuſtinet.

§. 221. Iura bonae fidei poſſeſſoris ob ſolutum rei emtionis pretium, vti domini iura contra eum, qui rem poſſedit, eamque alienauit, ſuo loco ſunt expoſita. (Tit. XV.)

2) A pleno ſed malae fidei poſſeſſore. §. 222. Si temporis initium malae fidei poſſeſſionis erui nequeat, pro eo habetur dies, quo poſſeſſori actio iudicialiter eſt inſinuata.

§. 223. Malae fidei poſſeſſor tenetur ad rem cum emolumentis et fructibus extantibus omnibus reſtituendam, et ad ea, quae in malae fidei poſſeſſione percepit, compenſanda.

§. 224. Neque diſcrimen eſt ſtatuendum, ſiue fructus natura adhuc extent, ſiue minus; et vtrum fructus percepti a malae fidei poſſeſſore ipſo fuerint conſumti, an ad alios peruenerint.

§. 225. Pro fructibus conſumtis aut diſtractis malae fidei poſſeſſor medium proximae vrbis forenſe reſtituere debet pretium, quod fructuum eius generis fuit conſumtionis aut diſtractionis tempore.

§. 226. Fructuum venditorum pretium, quanti vendidit, compenſare debet.

§. 227. Dominus tamen quoque pro his fructibus, loco pretii accepti, pretium forenſe venditionis tempore medium, poteſt petere.

§. 228. Fructuum, qui ad vendendum in forum afferri non ſolent, rei periti definire debent pretium, quod eo tempore fuit.

§. 229.

Source : BIU Cujas

§. 229. Qui ſcit, rem a ſe poſſeſſam, tanquam propriam, eſſe alienam, ea quoque emolumenta et eos fructus compenſare debet, quos dominus legitimus ipſe oeconomiam exercens percipere potuiſſet.

§. 230. Vſu praedii oeconomico intelligitur cuiusque prouinciae et regionis modus exercendae oeconomiae ſolitus.

§. 231. Malae fidei poſſeſſor pecuniarum ſummae, in fructuum locum ſuccedentis, legitimas debet praeſtare vſuras, ab eo die, quo ea ſumma per ſententiam, vim rei iudicatae nactam, eſt definita.

§. 232. Si res reſtituenda ſors (*Capital*) eſt, malae fidei poſſeſſor huius ſummas, quas leges permittunt, vſuras; poſſeſſor vero iniuſtificatus vſuras ſolitas per totum poſſeſſionis tempus emolumentorum loco praeſtare debet.

§. 233. Impenſas in fructus percipiendos factas, malae fidei poſſeſſor, vti iniuſtificatus, de fructibus eatenus tantum detrahere poteſt, quatenus cuiusque prouinciae et regionis modo exercendae oeconomiae ſolito conuenienter ſunt erogatae.

§. 234. Si rationem impenſarum, in percipiendos fructus factarum, idoneam proponere haud poſſit, impenſas maiores petere nequit, quam rei peritorum arbitrio neceſſariae iudicantur.

§. 235. Praeſtationes et onera, de re praeſtita, quae ſuſtinere dominus ipſe debuiſſet, omnino detrahit domino de fructibus perceptis reſtituendis.

§. 236. Expenſae, ad conſeruandam aut reparandam ſubſtantiam neceſſariae, malae vti bonae fidei poſſeſſori ſunt compenſandae.

§. 237. Quarum tamen reſtitutionem eatenus petere nequit, quatenus rei iacturae, aut imminentis periculi, culpa ſua, vel leuiſſima, fuit cauſa.

§. 238. Meliorationes euidentes auferre, determinatione §. 211. praeſcripta, tantum poteſt, ſi dominus aequam earum compenſationem praeſtare recuſet.

Source : BIU Cujas

§. 239. Qui poſſeſſor non malae fidei, ſed iniuſtificatus tantum eſt, (§. 14.) ei impenſae in eiusmodi meliorationem, quae auferri nequit, factae in tantum ſunt reſtituendae, in quantum alias dominus cum poſſeſſoris damno manifeſto fieret locupletior.

§. 240. Si res malae fidei poſſeſſionis tempore deteriorata ſit, poſſeſſor iniuſtificatus culpam leuem omnem; at ſic dictus malae fidei poſſeſſor culpam leuiſſimam praeſtare debet.

§. 241. Neque minus malae fidei poſſeſſor caſum ſentit, niſi erui poſſit, eundem caſum, et domino poſſidente, fuiſſe euenturum.

§. 242. Qui facto, legibus poenalibus prohibito, poſſeſſionem rei eſt confecutus, contra deteriorationum reſtitutionem nunquam tueri ſe poteſt exceptione, eas eſſe mere caſuales.

§. 243. Quin et expenſas, ad rem reſtituendam et tradendam neceſſarias, malae fidei poſſeſſor ſuſtinere debet.

§. 244. In genere malae fidei poſſeſſorem domino aut poſſeſſori legitimo oportet reſtituere omnia, quae poſſeſſionis retentione probantur amiſſa.

3) A minus pleno poſſeſſore.

§. 245. Qui minus plene poſſidet, poſſeſſione quidem cedere debet, ſimulac plenus poſſeſſor, a quo ius ſuum deducit, iure ſuo priuatus declaratur;

§. 246. Si vero bona fide poſſedit, inde ex poſſeſſionis tempore domino nihil praeſtat, niſi quod pleno poſſeſſori praeſtare debuiſſet, ſi is re vera dominus fuiſſet.

§. 247. Et ſi poſſeſſione cedit, domino ea tantum praeſtat, ad quae praeſtanda pleno poſſeſſori foret obligatus, ſi huic poſſeſſio eſſet cedenda.

§. 248. Si vero mala fide poſſedit, ad damnum omne reſarciendum, ad fructus et emolumenta reſtituenda, et ad expenſas reddendas non minus domino tenetur, quam plenus malae fidei poſſeſſor.

Source : BIU Cujas

§. 249. Attamen dominus et ab eiusmodi poſſeſſore minus pleno ea tantum petere poteſt reſtituenda, quae a poſſeſſore pleno impetrare nequit.

§. 250. Poſſeſſor per ſe bonae fidei minus plenus, quatenus mutationes fecit, quae ex titulo ſuo non licebant, reſpectu domini poſſeſſori iniuſtificato eſt aequiparandus. (§. 239.)

TITVLVS OCTAVVS.

De dominio.

§. 1. Dominus dicitur ille, cui ius competit, de rei aut iuris ſubſtantia, excluſis caeteris, pro ſuo arbitrio, per ſe ipſum, aut per alium diſponendi. Definitiones.

§. 2. Quidquid vtilitatem ſingularem ſ. excluſoriam praeſtare poteſt, obiectum eſt dominii. Obiectum dominii.

§. 3. Res, a quarum vſu pro earum natura excludi nemo poteſt, eſſe nequeunt in dominio ſingulorum.

§. 4. Idem valet de rebus, reipublicae legibus a communi commercio exemtis.

§. 5. Res, quae per ſe dominii obiectum eſſe poteſt, a communi priuatorum commercio exemta non praeſumitur.

§. 6. Quilibet, quem leges expreſſe non excludunt, per ſe aut per alios dominium poteſt acquirere. Perſonae, quae dominium acquirere poſſunt.

§. 7. Si inciderit inhabilitas ad dominium rerum certi generis acquirendum, inde non ſequitur inhabilitas ad continuandum dominium rerum eiusdem generis iam acquiſitarum.

Source : BIU Cujas

§. 8. Si vero ad exercenda iura certa cum rei dominio coniuncta simul qualitas personalis requiritur, horum iurium exercitium quiescit, simulac et quamdiu domino praesenti qualitas personalis deest.

De iuribus sub dominio comprehensis.

§. 9. Ad plenum dominium pertinet ius, rem possidendi, ea vtendi, eandemque alienandi.

§. 10. Ius de ipsa rei substantia disponendi, nomine proprietatis insignitur.

§. 11. Ius ex re in suum commodum vtilitatem percipiendi, vocatur ius vtendi.

§. 12. Ius vtendi, ad dominium pertinens, emolumenta complectitur, quae ex re percipi possunt, omnia.

§. 13. Dominus rei de eius vsu, quatenus leges non expresse sanciunt, rationem reddere nemini tenetur.

Diuisio dominii.

§. 14. Si plenum rei dominium pluribus competit, est condominium.

§. 15. Personae, quibus eiusmodi condominium est, vocantur rei condomini.

§. 16. Dominium rei est diuisum, si iura sub dominio comprehensa diuersa personis diuersis competunt.

§. 17. Quatenus plures vnius horum iurium sunt participes, ius, non vero res ipsa, in eorum est condominio.

§. 18. Si de pleno rei dominio est disponendum, condomini plures iuris cuiusque sub eo comprehensi singularis pro vna tantum habentur persona.

§. 19. Cui sola rei proprietas sine iure vtendi competit, vocatur proprietarius.

§. 20. Qui comproprietarius est proprietatis, et cui simul ius vtendi competit, ei dominium rei vtile tribuitur.

§. 21. Dominium vocatur limitatum, si domino certis tantum modis interdicitur exercitii iurium, sub dominio comprehensorum.

Principia dominii diuisi et limitati.

§. 22. Rei dominium, atque iura, quae ex dominii natura fluunt, non praesumuntur diuisa.

Source : BIU Cujas

§. 23. Cui plenum eſt rei dominium, pro eo ſtat praeſumtio, illud eſſe illimitatum.

§. 24. Et in dominio diuiſo limitationes iuris, cuique participanti competentis, eatenus tantum praeſumuntur, quatenus ex iuris, alteri participanti competentis, natura ipſa fluunt.

§. 25. Hinc dominii reſtrictiones natura, lege aut voluntatis declaratione definitae eſſe debent.

§. 26. Licitus igitur eſt et legitimus dominii vſus omnis, qui neque laedit alterius iura legitime acquiſita, neque fines excedit in reipublicae legibus praeſcriptos.

§. 27. Nemini ſuo dominio in aliorum laeſionem et damnum abuti licet.

§. 28. Abuſus appellatur ille dominii vſus, qui ſua natura ſpectare non poteſt, niſi ad alterius laeſionem.

§. 29. Respublica dominium priuatum ciuium ſuorum tum demum poteſt reſtringere, ſi graue inde damnum ab aliis aut a republica ipſa poteſt auerti, aut commodum magnum iis comparari; vtrumque vero ſine detrimento domini.

§. 30. Tum etiam, ſi damnum reipublicae ipſius, aut aliorum eius ciuium auertendum, aut commodum iis comparandum, longe ſuperat damnum, domino ex limitatione oriundum.

§. 31. Quo tamen in caſu respublica ſimul curare de eo debet, vt domino, cuius iura ſunt reſtringenda, damnum inde oriundum plene reſarciatur.

§. 32. In omnibus vero caſibus dominii limitationes, quae non ex iuribus alterius ſingularibus legitime acquiſitis oriuntur, non niſi legibus poſſunt fundari.

§. 33. Quatenus rei alicuius conſeruatio ad ſalutem reipublicae conſeruandam et promouendam non parum confert, eatenus respublica ius habet interdicendi, ne ea deſtruatur, vel ad nihilum redigatur. Limitationes legitimae in ſalutem reipublicae;

Source : BIU Cujas

§. 34. Quatenus rei vſus ad ſalutem reipublicae conſeruandam requiritur, respublica eum vſum iubere poteſt, et legibus poenalibus prohibere eius intermiſſionem.

intuitu aedium. Officia domini ad eas tuendas et reſtituendas.

§. 35. Statuas et monumenta in areis publicis exſtructa laedere, aut ſine magiſtratus permiſſione auferre aut deſtruere nemini, quisquis ſit, licet.

§. 36. Multo minus vrbium aedificia, plateis et areis publicis adiacentia, ſine magiſtratus permiſſione deſtruere licet aut euertere.

§. 37. Eiusmodi aedificia dominum ſarta tecta tueri oportet, quatenus neceſſe eſt ad conſeruandam ſubſtantiam, et ad praecauendum, in ciuium commodum, damnum et detrimentum omne.

§. 38. Quod officium ſi dominus ſic negligit, vt aedificii totius ruina aut periculum ciuibus metuendum ſit, magiſtratus eum adſtringere debet, et, ſi opus fuerit, vi, ad curandam refectionem neceſſariam intra iuſtum terminum, pro circumſtantiis definiendum.

§. 39. Qua via ſi nihil efficiatur, magiſtratus neceſſariam aedificationem inſtituendi ius habet domini ſumtibus.

§. 40. Quos ſumtus ſi dominus ſuppeditare nequeat aut nolit, magiſtratus eiusmodi aedificium publice venditare poteſt.

§. 41. Emtori huius aedificii refectio eius ſemper eſt tanquam conditio iniungenda.

§. 42. Emtionis pretium praeter ea ſolutum cedit ei, qui hucusque fuit dominus, aut eius creditoribus.

§. 43. Attamen antea deducenda ſunt, quae a magiſtratu interim ad auertendum praeſens periculum fuerunt eroganda.

§. 44. Si nullus emtor ſe offerat, creditores, quorum ſecuritati aedificio eſt proſpectum, de mediis ad aedificium tuendum et reficiendum ſunt interrogandi.

Source : BIU Cujas

§. 45. Qui ſi de iis conuenire inter ſe nequeant, aedificium illi eorum eſt adiudicandum, qui praeter eius refectionem, conditiones offert concreditoribus et domino maxime profuturas.

§. 46. Si creditorum nullus aedificium velit plus licitando emere, primo eorum ius competit, adiudicationem ea lege petendi, vt refectionem curet.

§. 47. Qui ſi iure ſuo vti nolit, hoc ius ad reliquos ſemper ſecundum prioritatis ordinem tranſit.

§. 48. Quod ſi vero creditorum nullus aedificii refectionem ſuſcipere velit, aerario illius loci publico aedificium eſt adiudicandum.

§. 49. Magiſtratui tum ius competit, aedificium eiusmodi cuilibet in dominium liberum concedendi, ſub conditione aedificationis perficiendae.

§. 50. Quamdiu vero huic tertio ſuſcipienti nondum adiudicatum eſt aedificium, tam diu ei, qui hactenus dominus fuit, vti creditori cuilibet, eſt integrum, ad aedificationem perficiendam ſe offerre.

§. 51. Quo tamen in caſu dominum aut creditorem, adiudicationi tertio faciendae contradicturum, oportet magiſtratui ſine mora praeſtare cautionem idoneam de aedificatione perficienda.

§. 52. Iisdem caeterum circumſtantiis creditori praefertur dominus.

§. 53. Si in caſibus §. 46. 47. et 50. adductis, aedificium adiudicatur creditorum vni, creditores reliqui ius amittunt, quod in eiusmodi fundum iis competebat; et ſi aedificium in caſu §. 48. laudato aerario ciuitatis adiudicatur, ius amittunt creditores omnes.

§. 54. Si igitur in adiudicatione, a magiſtratu ſecundum §phum 49. facta, commoda adhuc alia, praeter refectionis ſuſceptionem concedantur, ea aerario publico cedunt.

Source : BIU Cujas

§. 55. Contra vero, qui hactenus fuit dominus, ab oneribus praestandis realibus liberatur, ab eo tempore, vbi secundum §. 48. aedificium aerario publico cedere, et ab eius vsu vlteriori omni abstinere eum oportet.

§. 56. Si magistratus etiam ordinationibus eiusmodi aedificium labans non potest refici, magistratus manente periculo, ciuibus imminente, aedificium potest destruere, et materiam plus licitanti vendere.

§. 57. Pecunia inde exacta cedit aerario publico, quod impensas in conseruationem faciendas hactenus praestare debuit.

§. 58. Quae in §pho 36. seqq. de aedificiis vrbanis labantibus sunt sancita, eadem quoque valent de aedificiis incendio deletis aut alio casu aduerso destructis, si dominus, intra terminum a magistratu definiendum, reficere ea nequeat, aut nolit.

§. 59. Pecuniae in eiusmodi casu aduerso ex aerario incendiario publico praestandae, et aliae eius generis compensationes tunc non domino adiudicantur, aut creditoribus, sed aedificationis aream suscipienti.

§. 60. Quae de fundis vrbanis sunt sancita, eadem valent de fundis rusticis, qui in libris censualibus aut iis, quos *Lagerbücher* vocamus, tanquam fundi singulares, per se subsistentes, sunt inscripti.

§. 61. Si igitur eiusmodi fundus ita deterioretur, vt publica inde onera, et praestationes praestari non amplius possint, magistratui competit ius, intuitu fundorum rusticorum sic agendi, vti ratione vrbanorum est praescriptum.

§. 62. Idem locum habet, si dominus non sarta tecta conseruet aedificia ad praedium necessaria, sine quibus neque inhabitari neque administrari praedium potest.

Source : BIU Cujas

§. 63. Neque tamen et in his casibus, subsecuta venditione praediorum, de quibus operae s. seruitia praestanda, fundi domino obtrudi potest possessor ad oeconomiam exercendam operasque praestandas inidoneus.

§. 64. In casibus, vbi fundi vrbani aerario ciuitatis adiudicantur, fundi rustici cedunt loci magistratui, qui iis praeficiat nouos incolas, aut eos distribuat.

§. 65. In regula domino cuique ius competit, in fundo suo aedificia exstruendi, aut aedificium mutandi. Limitationes domini in aedificando.

§. 66. Attamen nulla aedificatio aut commutatio suscipiatur in reipublicae detrimentum aut periculum, aut vrbium et arearum publicarum deformationem.

§. 67. Hinc nouum aedificium in vrbe exstructurus ad rem ante indicandam tenetur magistratui, qui de ea iudicet.

§. 68. Magistratus in re examinanda simul curet, vt iusta et omnibus partibus absoluta aedificii destruendi descriptione, qua situm, fines et statum reliquum, quantum potest, praecaueantur futurae controuersiae in exstruendo aedificio, intuitu interstitii (iuris angularis) et reliquorum.

§. 69. In primis vero magistratus consensus specialis requiritur, si agitur de exstruendo, siue in vrbe sit, siue ruri, foco nouo, aut de transferendo vetere in locum alium.

§. 70. Aedificans et architectus hanc legem (§. 69) violans quisque poenam publicam thalerorum quinque vsque ad decem commeruit, licet in aedificatione per se, quod reprehendi possit, nihil inueniatur.

§. 71. Omnibus in casibus, vbi apparet, aedificationem, indicatione nulla ante facta susceptam, ciuibus noxiam esse aut periculosam, aut ad deformandam plateam, aut aream facere, ex magistratus auctoritate ea est mutanda.

Source : BIU Cujas

§. 72. Quae mutatio ſi locum non habeat, aedificium eſt deſtruendum, et omnia aedificantis ſumtibus in priſtinum ſtatum ſunt reſtituenda.

§. 73. Aedificationum ſtructiones in plateis, quibus laeſionibus exponuntur euntes, aut equo vel curru vehentes, a magiſtratu non tolerandae.

§. 74. Nemo in locis, receſſui aut acceſſui ciuium deſtinatis, ante feneſtras aut ad domum ſuam, aliquid ponat aut ſuſpendat, quo, ſi delabatur, laedi quis poſſit.

§. 75. Qui hanc legem violauerit, ſtatim eſt monendus de remouendo eo, quod poſuit aut ſuſpendit, et praeter ea poenam publicam thalerorum duorum vsque ad quinque commeruit.

§. 76. Sine magiſtratus permiſſu aedificiorum areas hactenus diuerſis numeris notatas, iungere in vnam non licet.

§. 77. Et iſta permiſſio conceſſa ne tamen cedat in detrimentum aut ciuitatis aut aliorum priuatorum hominum, ratione onerum et tributorum ad numeros iſtos impoſitorum aut in poſterum deſcriptione imponendorum.

§. 78. Plateae et loci publici ne coarctentur, contaminentur, aut modo vllo deformentur.

§. 79. In primis ſine expreſſo magiſtratus conſenſu cellae fauces, aut aliud eiusmodi aedificium domui adiunctum, viam verſus exſtruere nemini licet.

§. 80. Qui cellae aut tabernae mercatoriae, plateam verſus, oſtia ſtruere, qui maeniana non amplius extantia reſtituere aut noua aedificare, qui collicias in tectis plateam verſus, ſuggrundia, et ſigna in viam publicam proiecta, quaeſtum aut res venales in domo habitantis indicantia, qui conductorem, auertendo ex fulmine damno, exſtruere vult, nihil

Source : BIU Cujas

tentare ſine collegii politiae permiſſu poteſt, eoque impetrato leges a politiae collegio ipſi praeſcriptas obſeruare quam accuratiſſime tenetur.

§. 81. Caeterum quilibet domi dominus ciuium ſemita, vt vocant, (*Bürgerſteig*) quatenus ſtrata ab eo ſunt reficienda, ſub limitationibus §. 78. determinatis, vti poteſt.

§. 82. Determinationes obiectorum, §. 78—81. laudatorum, propiores ſpecialibus cuiusque vrbis politiae legibus reſeruantur.

§. 83. Saltibus et ſiluis, ſecundum naturam et ambitum iuxta leges foreſtales caeduis, domino ita tantum vti licet, ne lignorum deuaſtatio legibus foreſtalibus aduerſans, oriatur. Qua ſilvas.

§. 84. Quae arborum caeſio ſit deuaſtatio habenda, ex cuiusque prouinciae circumſtantiis, et lignorum in ea inopia aut abundantia, et incolarum eius, et fabricarum, in ea ſubſiſtentium, conſumtione lignorum maiori aut minori, in legibus foreſtalibus prouincialibus eſt definitum.

§. 85. In prouinciis et regionibus, vbi ligna vendendi deeſt occaſio, lignorum deuaſtatio tunc demum adeſt, ſi ſiluae dominus iis non parcat, quae ad vſum continuum praedii aut pagi incolarum requiruntur.

§. 86. Deuaſtationis ſiluarum reo in vlteriore ſiluae vſu modus praeſcribendus, per illud tempus, quod ad ſiluae reſtitutionem requiritur.

§. 87. Qui ſilva caedenda et deſtruenda manifeſtam ſiluae deuaſtationem effecit, aut qui morem non geſſit praeſcriptis collegii prouincialis, cui rei foreſtalis cura demandata eſt, ipſi de lignorum caede limitanda datis, ad pretii lignorum ſupra modum caeſorum proportionem multa aut carcere graviter punietur.

Source : BIU Cujas

§. 88. Determinationes poenarum, in lignorum deuaſtationem conſtitutarum, propiores legibus prouincialibus de re ſaltuaria ſ. ſilueſtri referuantur.

§. 89. In quantum loci arboribus nudati aptari ad agri culturam, et eorum domini ad nouas plantandas arbores obſtringi debeant, ex circumſtantiis et neceſſitate prouinciarum diuerſarum in earum legum codicibus definiendum.

§. 90. Officinae vitrariae et ferrariae, fornaces picariae et oleo reſinoſo efficiendo inſeruientes, quae inſolitam lignorum conſumtionem deſiderant, ſine publica auctoritate nusquam exſtruantur.

§. 91. Falcibus meſſoriis, (*Senſen oder Blattſicheln*) quarum vſu arbuſculis recentibus male parcitur, in ſiluis ad gramina metenda vti non licet.

§. 92. Foliorum aculeatorum pini ſilueſtris collectio iis tantum in locis conceditur, vbi ob ſtercoris alius inopiam eſt neceſſaria; nunquam vero ferreis vti pectinibus licet.

§. 93. Arbores caedendae ſilueſtres, quantum ſine reliquarum laeſione fieri poteſt, radicitus effodiendae, alias vero non vltra ſex digitos ſupra terram ſunt detruncandae.

§. 94. Quod praeceptum vbi ob circumſtantias ſingulares locum habere nequeat, a rei peritis, quid in rem ſit, propius eſt definiendum.

§. 95. In menſibus ſex, ab Aprili vsque ad Septembrem, ligna ad aedificandum neceſſaria caedere tantum licet, ſi ſumma ſit neceſſitas, aut in locis, ad quos hiemis tempore aditus non patet.

Qua foſſas et aquaeductus.

§. 96. Aquae ductus, aliaeque aedificationes in aqua, in locis publicis, aut fluminibus, perficiendae ſunt ſub auctoritate collegii politiae prouincialis.

§. 97. In primis ad flumina publica, ne quidem in fundo proprio, cataractas, moles, aggeres et pon-

Source : BIU Cujas

tes exſtruere aut mutare cuiquam licet, niſi auditis ante vicinis, et impetrato reipublicae conſenſu.

§. 98. Reliquae limitationes iurium domini, qua flumina publica, portus, et litora maris in titulo de reipublicae regalibus ſunt definitae.

§. 99. Neque in fluuiis priuatis quidquam in vicinorum et ripae accolarum detrimentum ſuſcipi poteſt aut mutari, inhibendo aquae decurſu.

§. 100. Quin potius in regula quisque conſeruare tenetur foſſas et canales, per fundum ſuum tranſeuntes, quibus aqua ſolet defluere.

§. 101. Foſſae, fines terminantes, in regula a vicino vtroque vsque ad foſſae medium ſunt conſeruandae.

§. 102. Ab aqua, extra foſſas ductas et canales cum impetu ruente, fundum tuendi, domino cuique ius competit. Limitationes dominii in vtilitatem vicini, qua aquae decurſum.

§. 103. Si vero poſſeſſor ſuperius iacens eiusmodi aquam mediis, in fundo ſuo adhibendis, deriuare nequeat, vicinus inferius iacens illam recipere, et ſuperiori ius defluxus concedere tenetur. Ratione defluxus (*Vorfluth.*)

§. 104. Attamen poſſeſſores inferius iacentes ad aquam recipiendam non tenentur, ſimulac vnus eorum ob naturae impedimenta aquam eo modo recipiendam vlterius deriuare nequit.

§. 105. At in hoc etiam caſu respublica vicinos inferiores ad aquam recipiendam adigere poteſt, ſi poſſeſſoris ſuperioris commoda inferiorum damnum non parum ſuperent, et ſi ille damnum his plane reſarcire et velit, et poſſit.

§. 106. Si ad aquam recipiendam noua foſſa eſt ducenda, illi, qui vtilitates exinde percipiunt, pro harum proportione ſumtus conferre debent.

§. 107. Si ille, in cuius fundo et ſolo foſſa ducitur, nullum inde commodum ſentit, neque ad ducendam, neque ad conſeruandam foſſam conferre tenetur.

Source : BIU Cujas

§. 108. Quin potius damnum ea illatum ei refarciendum, et terrae ſuperficies, quam foſſa noua ducenda amiſit, ex aeſtimatione rei peritorum, iure iurando obſtrictorum, compenſanda.

§. 109. Nouos quoque pontes, eiusmodi foſſis imponendos et conſeruandos, eos facere oportet et conſervare, in quorum vtilitatem foſſa eſt ducta.

§. 110. At dominus, licet ipſe non ſit obligatus, vt ad foſſae pontiumque conſeruationem conferat, vitia tamen exorta, ſimulac ea cognouit, indicare iis tenetur, quorum intereſt.

§. 111. Qua indicatione facta, ſi, quorum intereſt, refectionem neceſſariam iuſto tempore curare nequeant, aut nolint; domino ius eſt, ad auertendum damnum ſibi metuendum, eorum ſumtibus eam curandi.

§. 112. At contra dominus, qui eiusmodi foſſas aut pontes per ſe aut per ſuos data opera aut culpa lata laedit, non ſolum ad omne damnum plene refarciendum tenetur, ſed etiam ab eo duplum poenae, ab alio dandae, exigitur.

§. 113. Si vero ad aquae defluxum promouendum noua foſſa non ſit ducenda, ſed foſſa iam ante ducta dilatanda tantum aut altius excauanda, de impenſis praecepta §. 106 — 109. data locum obtinent.

§. 114. At foſſae dilatatae conſeruatio illi incumbit, qui foſſam iam ductam conſeruare debebat.

§. 115. Attamen in definienda indemnitate, domino ſecundum §phum 108. praeſtanda, aequa etiam habenda eſt ratio ſumtuum plurium, in conſeruationem et in poſterum ſuſtinendorum.

§. 116. Quidquid de foſſa dilatanda eſt praeceptum, idem etiam valet de pontibus foſſae impoſitis prolongandis.

Source : BIU Cujas

§. 117. Nemo cogi poteſt inuitus, vt ad lacum et ſtagnum deriuandum foſſas per ſuum fundum duci permittat.

§. 118. Terra, ſ. meta, quae inter agros confines reperitur (*die Reine*) aut ſit dicta iura aratri (*Pflugrechte*) in regula communis eſſe dominii cenſentur. Qua agrorum limites et iura aratri.

§. 119. Hinc a poſſeſſorum vicinorum nullo, condominis non conſentientibus, mutari poſſunt aut diminui.

§. 120. Vicinarum aedium interſtitia aut interualla in regula quoque habentur communia. Qua interſtitium.

§. 121. Si vero vicinorum vnus in interſtitium aut angulum hactenus ſolus deduxit ſtillicidium, aut ſolus in eo habuit ſuſoria, latrinas, vel feneſtras apertas, is interſtitii praeſumitur dominus.

§. 122. In vicinarum aedium interſtitium ne eius dominus quidem ſpiracula fornacis a vento nomen gerentis, (fornacis ventoſae) ſine vicini conſenſu immittere poteſt.

§. 123. Ad tolerandam exſtructionem nouorum maenianorum, ſubdialium, ſuggrundiorum, ſtillicidiorum et aliorum aedificiorum, alienam aream ſupereminentium, vicinus cogi nequit. Qua maeniana, ſubdialia etc.

§. 124. Arbores vel vites ad domum plantandae, adminiculis ita inniti debent, vt, neque arbores, neque adminicula attingant aedium vicinarum parietes. Qua arbores ad domum poſitas.

§. 125. Suilia, cloacae, ſterquilinia, foueae cortici coriario tundendo, et eiusmodi alia aedificiis pernicioſa, trium ſaltem pedum rhenanorum ſpatio ab aedibus vicinis, parietibus, et horreis diſtent. Qua ſuilia cloacas etc.

§. 126. Quin et eiusmodi foueae et receptacula funditus lapidibus exſtruenda.

§. 127. Ab arboribus vicini iſta et eiusmodi alia tres minimum pedes geometricos recedant.

Source : BIU Cujas

Qua collicias et canales.

§. 128. Collicias et canales in terra ad aquam deriuandam, ad vicini latus, in fundo suo ac solo, facturus, vicini parietem versus vnius saltem pedis geometrici spatium liberum adhuc relinquere debet.

Qua puteos.

§. 129. Exstructiones, vicini puteum iam existentem inquinaturae aut inutilem redditurae, sunt prohibitae.

§. 130. Putei contra foſſione in proprio fundo et solo, licet vicino aqua inde subducatur, domino interdici nequit, nisi vicino ius prohibendi singulare competat.

§. 131. Attamen intra tres pedes geometricos a vicini finibus nouum fodere puteum non licet.

§. 132. In genere sub vicini solo fodere nemini licet.

Qua vsum parietis seu muri communis.

§. 133. Furni, fornaces vstoriae et liquefactoriae, focique ad murum communem aut parietem vicini intergerinum, sine huius consensu, exstrui nequeunt.

§. 134. At vero ad murum communem, vel non interrogato vicino, sumaria aedificandi ius cuique competit.

§. 135. Communi muro vicinus quisque ex sua parte vsque ad dimidiam crassitudinis partem in suam vtilitatem vti potest, quatenus aedificio nullum damnum eo infertur.

§. 136. Scrinia in pariete, et aliae eiusmodi in muro tali exstructiones ita confici debent, ne eas tangant, quas ex aduersa parte vicinus iam confecit.

Qua lucem et prospectum.

§. 137. Ne lux aedificio desit, proprio parieti aut muro aperturas et fenestras indere quisque potest, licet inde in fundos vicinos prospici possit.

§. 138. Si vero aperturae in pariete aut muro, immediate ad aream aut hortum vicini vergente, sunt faciendae, istae, dummodo circumstantiae permittant, sex pedum altitudine a conclavis aut receptaculi solo

Source : BIU Cujas

ſolo diſtent; in omnibus vero caſibus bacillis ferreis, duorum tantum digitorum ſpatio diſtantibus, aut cancellis, filis metallicis fabricatis, ſunt muniendae.

§. 139. Aedificia nouiter exſtruenda a vicini finitimi aedificiis antiquioribus, iam ante exſtructis, tribus minimum pedibus geometricis diſtent, niſi politiae leges ſingulares aliud praeſcribant.

§. 140. Nouum autem aedificium ſi vacuae vicini adiaceat areae, pedis vnius geometrici atque dimidii diſtantia ſufficit.

§. 141. Caeterum cuique in fundo ſuo et ſolo tam prope a finibus licet aedificare, et in tantum euehere aedificium, quantum libet.

§. 142. Si vero vicini feneſtrae, ante quas eſt aedificandum, per decem annos aut plures iam extiterint, et ſi conclauia, iis inſtructa, ab hac tantum parte lucem accipiant, nouum aedificium tantum recedat, vt ex inferioris contignationis feneſtris non apertis caelum aſpicere vicinus poſſit.

§. 143. Iam vero ſi vicini aedificium, cui feneſtrae inſunt, ab alia quoque parte lucem accipiat, iam ſufficit, ſi nouum aedificium eo ſpatio diſtat, vt ex ſecundae contignationis feneſtris non apertis caelum aſpicere vicinus poſſit.

§. 144. Si vero feneſtrae, quibus obſtruitur, nondum per decem annos extiterint, aedificans non niſi diſtantiam §. 139. definitam obſeruare tenetur.

§. 145. Vicinus noui, quo luce priuatur, aedificii exſtructionem tum tantum eatenus poteſt impugnare, quatenus ius prohibendi ſingulare acquiſiuit. (Tit. XXII.)

§. 146. Si eiusmodi ius fundo inhaereat, deficientibus expreſſis conuentionibus locum obtinet definitio legalis. (§. 142.)

§. 147. In omnibus caſibus, §. 139. 140. 142. 143. 146. determinatis, interuallum vacuum in eius manet

Source : BIU Cujas

dominio, qui hactenus dominus fuit, cui et eo vti licet modo quouis, legibus non vetito.

Qua ianuas. §. 148. Ianuas nouas, vicini fundo immediate adiacentes, contra eius voluntatem ſtruere non licet.

Qua ſepimenta, ſepta aſſibus exſtructa, et parietes intergerinos ſeu intermedios. §. 149. In regula cuilibet fundos ſuos ſepimentis, ſeptis aſſibus exſtructis, muris aut parietibus intergerinis a vicini fundis ſeparare licet.

§. 150. Eiusmodi autem ſeparationes vicini fines neque transgrediantur, neque eum impediant, quo minus vtatur eo, quod eſt in eius dominio.

§. 151. Campos muniendi domino eatenus tantum ius competit, quatenus ius compaſcendi, aut alia fundi iura non obſtant.

§. 152. Nouam ſeparationem in loco, quo hucusque nulla fuit, exſtructurus non ſolum exſtructionem ſed neceſſariam etiam refectionem ſuis ſumtibus curare debet.

§. 153. In genere eiusmodi ſeparationum conſeruatio ei incumbit, cui earum dominium competit.

§. 154. Si erui nequeat, quis dominus eiusmodi ſeparationis ſit, ſeptorum aſſibus exſtructorum dominus habetur, in cuius fundo ſtatumina, pali et poſtes ſunt poſita; et hic ſeptum conſeruare tenetur.

§. 155. Contra vero vicinus, a cuius latere aſſes ſunt affixi, acceſſum ad fundum ſuum permittere ipſi tenetur, ad neceſſariam ſepti exſtructionem et refectionem.

§. 156. Pali in parte ſuperna accliues reddendi, (*abgedacht*) ſolum verſus dominorum ſepti, aſſibus exſtructi.

§. 157. Si tabulae immiſſae ſint in palos in medio ſtriatos, ſeptum aſſibus exſtructum commune habetur, et ab vtraque parte ſumtibus communibus eſt conſeruandum.

Source : BIU Cujas

§. 158. Quae de ſeptis ex aſſibus dicta ſunt, in regula quoque valent de ſeptis ex palis. (*Stacketen.*)

§. 159. De muris intergerinis praeſumtio valet, murum eſſe eius, in cuius latere Zothecae, quas *Blenden* vocamus, deprehenduntur.

§. 160. Eiusmodi zothecis in vtroque latere deprehenſis, murus intermedius in caſu dubio communis habetur.

§. 161. Nullis zothecis in muro repertis, murus in caſu dubio communis aut vnius partis habetur, prout tegmenta ab vtroque latere aut ab vno ſunt impoſita.

§. 162. Quod ad ſepimenta et ſepta lutea, in regula quisque fundorum vrbanorum poſſeſſor ſepimentum, quod ipſi ingredienti per introitum praecipuum ad dextram eſt, exſtruere et reficere debet.

§. 163. Si vero quis noua aedificatione introitum ſuum praecipuum plane mutauit, eadem, qua ante mutationem erat obſtrictus, ſepimenti conſeruandi obligatione tenetur.

§. 164. Si aedificium hactenus loco ſepimenti fuerit, is, qui aedificium illud deſtruit, ſepimentum, loco eius exſtruendum, aedificare et conſeruare tenetur, licet alias ex regula §phi 162. hac obligatione non eſſet obſtrictus.

§. 165. Vicinus ad ſiniſtram nouiter aedificans ſi aream aut hortum ſuum claudere velit, ſepimentum, quod iam adfuit vicini, conſeruare tenetur.

§. 166. Impenſas vero exſtructionis primae vicino reſtituere non tenetur.

§. 167. Sepimentum transuerſum ab vtroque vicinorum, quorum fundi cohaerent, ſumtibus communibus exſtruendum, et reficiendo conſeruandum.

§. 168. Generatim quouis in caſu, quo neque dominium vnius partis erui poteſt, neque determinationes ſupra dictae ſingulares (§. 154 — 165.) exiſtunt, obligatio conſeruandarum ſeparationum, in-

Source : BIU Cujas

ter fundos duorum vicinorum, vtrisque communiter incumbit.

§. 169. Arearum feparationes exſtruendae in regula minimum ſex pedum altitudine, hortorum vero, tam in vrbibus quam ruri, pedum quinque.

§. 170. Vbi circumſtantiae permittunt, in poſterum pro ſepimentis ligneis hortorum et agrorum clauſorum viuae ſepes ſunt plantandae.

§. 171. Domino quoque pro ligneo ſepimento intermedio viuam ſepem ducere ſemper eſt permiſſum.

§. 172. Attamen ei incumbit, ſepem viuam ſecundum praecepta rei peritorum ita plantare et conſeruare, vt dumeto vicini fundus non minus, quam ſepimento, reddatur ſecurus.

§. 173. Sepes viuae, fundos clauſos duos ſeparantes, ſemper ita ſunt ſtruendae, ne vicino damnum inde detur.

§. 174. Si quis igitur, vicini ſui fines verſus, viuam velit ſepem plantare, ſine diſcrimine generis ligni electi pedem vnum atque dimidium a vicini finibus recedat.

§. 175. Interea dominium huius terrae, pedis vnius et dimidii latae, ei ſeruatur, qui viuam ſepem in vſum ſuum plantauit.

§. 176. Atque etiam hoc in caſu ipſi ſtolonum vſus reſeruatur ab vtroque ſepis viuae latere creſcentium.

§. 177. Attamen vicinus non tenetur, ad tolerandos dumeti aut radicum ſtolones vltra lineam, finibus conſtitutam. (Tit. IX. §. 285. ſeqq.)

§. 178. Sepis viuae, mutuo vtriusque vicini conſenſu loco ſepimenti hactenus communis plantatae, et conſeruatio et vſus communis.

§. 179. Vterque igitur vicinus ſtolones ſui lateris ſibi vindicandi ius habet.

Source : BIU Cujas

§. 180. Eiusmodi ſepes viua communis in eadem linea eſt plantanda, qua ſepimentum fuit exſtructum.

§. 181. Attamen vterque vicinus attendat, ne viua ſepe viae ad eam iacentis latitudo legitima tempore procedente deminuatur.

§. 182. Contra vicini alterius voluntatem ſepimentum, adhuc commune, in viuam ſepem transformare, in regula alteri non eſt permiſſum.

§. 183. Qui vero ſi velit in plantanda viua ſepe ab ea linea, qua hactenus ſepimentum fuit exſtructum, in tantum recedere, vt latitudinem §. 174. determinatam obſeruet, et non impenſas ſolum, ſed etiam conſeruationem in poſterum ſolus in ſe ſuſcipere; vicino ius contradicendi non competit.

§. 184. Et de eiusmodi viua ſepe valent, quae in §phis 175—177. praeſcriptae ſunt, regulae omnes.

§. 185. Fundum ſuum altius euecturus curare debet, vt euectio pedum trium ſpatio a vicini ſepimento, aut muro, aut palis diſtet. Qua foli euectiones et depreſſiones.

§. 186. Si vicinus euectionem, pedum trium ſpatio nondum diſtantem, ſine contradictione expreſſa fieri patiatur, inde non ſequitur, eum renunciaſſe reparationi damni, ex ea euectione in poſterum oriundi.

§. 187. Si quis ſolum ſuum foſſa ducenda, aut alio modo deprimit, vallum trium pedum latum ad vicini ſepimentum eſt reliquendum.

§. 188. In cuius ſolo accumulata foſſae terra inuenitur, pro eo eſt praeſumtio, eum eſſe foſſae dominum, et foſſae conſeruatio ab eo eſt curanda.

§. 189. Qui aedificium in confinio exſtruit, ſtillicidium, niſi ſingulare ius ſibi acquiſiuerit, neque in vicini fundum et ſolum immittere, neque ſuper illud deriuare poteſt.

Source : BIU Cujas

Quomodo dictae limitationes tollantur.

§. 190. Dominii limitationes, (coercitiones) quas leges in reipublicae salutem praescribunt, tolli tantum consensu reipublicae possunt,

§. 191. Limitationes (coercitiones) in fauorem personarum quarundam constitutae, tolli earundem personarum voluntatis declarationibus obligatoriis possunt. (Tit. XXII.)

TITVLVS NONVS.

De acquirendo dominio in genere, et de modis acquirendi immediatis speciatim.

§. 1. Facta externa, quibus dominium acquiritur, definiunt varios acquirendi dominii modos.

§. 2. Causa a lege approbata, ex qua haec facta externa vim habent dominii acquirendi, titulus dicitur dominii.

§. 3. Ad acquirendum dominium requiritur possessionis apprehensio. (Tit. VII. §. 43. seqq.)

§. 4. Excipiuntur tantum ii casus, in quibus leges dominii acquisitionem iam cum certo euentu aut sola voluntatis declaratione expresse coniungunt.

§. 5. Si ad dominium acquirendum, praeter titulum, possessionis tantum apprehensio requiritur, immediatus acquirendi modus adest.

§. 6. Si vero dominium demum transit possessione ex primi possessoris parte vacuefacta, et ex noui possessoris parte apprehensa, modus acquirendi dominii dicitur mediatus.

Sectio Prima.

De originaria occupatione.

§. 7. Occupatio eiusmodi rerum, in quas nemini ius competit, dicitur originaria.

Source : BIU Cujas

§. 8. Quatenus ius, res nullius occupandi, ſit reſeruatum reipublicae, ſuo loco eſt definitum. (Part. II. Tit. XVI.)

§. 9. Qui rem nullius, reipublicae non reſeruatam, re vera in ſuam redigit poteſtatem, ab ipſo temporis momento, quo eam occupat, exiſtit rei dominus.

§. 10. Animus autem et conatus, rem nullius occupandi, ad acquirendum dominium nondum ſufficit.

§. 11. Qui ipſe ius in re aut ad rem non eſt conſecutus, alteri poſſeſſionis apprehenſione interdicere nequit.

§. 12. Qui alterum factis illicitis impedit in apparatibus, in poſſeſſionis apprehenſionem adornatis, ipſe rem occupare nequit.

§. 13. Idem contra eum valet, qui alterius libertatem agendi ſine iure limitat, quo eum in occupanda re impediat.

Sectio Secunda.

De occupatione rerum derelictarum et amiſſarum.

§. 14. Quatenus quis capax eſt acquirendi dominii, eatenus quoque res mobiles ab altero derelictas occupare poteſt. De rebus derelictis.

§. 15. Ius, res immobiles derelictas occupandi eſt reſeruatum reipublicae. (Part. II. Tit. XVI.)

§. 16. Res vero tum tantum habetur derelicta, ſi dominus ſe eius poſſeſſione abdicauit, declarato, ſiue expreſſe ſiue tacite, animo, rem non amplius habendi. (Tit. VII. §. 118-122.)

§. 17. Qui circumſtantiis externis inuitus cogitur, res detentas derelinquere, is derelictione nondum dominio ſe abdicauit.

§. 18. Aegroti animalis a poſſeſſore expulſi et ſine auxilio errantis dominium acquirit, qui illud ſuſcipit curandum et reficiendum.

Source : BIU Cujas

De rebus amiſſis.

§. 19. Qui rem amiſſam inuenit, domino reſtituere eam tenetur.

Officia inuentoris.

§. 20. Quo ignoto, inuentor magiſtratui proximo rem inuentam indicare debet.

§. 21. Si in loco, vbi res inuenta, diuerſi ſint magiſtratus, iurisdictionem habentes, ab inuentore pendet, cui velit magiſtratui indicare inuentionem.

§. 22. Inuentorem determinate indicare oportet, quomodo et quo loco ad rei amiſſae poſſeſſionem peruenerit.

Officia iudicis.

§. 23. Res inuenta ad iudiciale depoſitum offerri, et iudex iuſtam eius curam gerere debet.

§. 24. Inuentor ſi perſona certa ſit et non ſuſpecta, iudici licet, habita circumſtantiarum ratione atque pretii, rem ipſi deferre cuſtodiendam.

§. 25. Omnibus vero in caſibus qualitatem rei, eiusque ſigna in actis deſcribat, et cuſtodiae, inuentori conceſſae, modum definiat.

§. 26. Quamdiu inuentor rem eo modo detinet, iuſtus quidem, ſed minus plenus poſſeſſor eſt habendus.

§. 27. Res inuenta ſi corruptioni ſit ſubiecta, aut maiori pretii deminutioni, termino, quam primum fieri poterit, praefigendo publice eſt venditanda.

§. 28. Idem valet, ſi ad rem ſeruandam ſumtus magni, ad dimidium vsque rei pretium accreſcentes, deſiderentur.

§. 29. Pabulum animali inuento ante venditionem praebitum, aliaeque impenſae neceſſariae in rem erogatae, inuentori reſtituendae ſunt ex emtionis pretio, detractis emolumentis, inde forſan perceptis.

§. 30. Emtionis vero pretium ipſum, vsque ad rei exitum, in cuſtodiam iudicialem recipitur.

Publica promulgatio rerum amiſſarum.

§. 31. Si intra octo dies poſt inuentionem iudici indicatam amittens alio modo inueſtigari nequeat, publice eſt citandus, et terminus praefigendus, quo ſub iuris amittendi praeiudicio compareat.

Source : BIU Cujas

§. 32. Si pretium rei inuentae ex aeſtimatione thaleros ducentos attingat aut excedat, ſolenni opus eſt citatione edictali.

§. 33. De rebus thalerorum duorum millium pretium habentibus, aut excedentibus, terminus ad comparendum in menſes ſex, de rebus autem minoris pretii in menſes tres praefiniendus.

§. 34. In caſu primo promulgatio ter nouellis publicis, et ſexies ephemeridibus (vulgo *Intelligenz-Blättern*) prouincialibus eſt inferenda, in caſu vero ſecundo bis illis, et his quater.

§. 35. Quod ad res, quae pretium ducentorum thalerorum non attingunt, terminus praefigendus duorum menſium conſtituitur, et promulgatio publica bis tantum nouellis publicis inferenda, et ter ephemeridibus.

§. 36. Rei quinquaginta thalerorum pretium non attingenti, terminus ſufficit quatuor hebdomadarum, et rei decem thalerorum tantum aut minoris pretii dierum quatuordecim.

§. 37. In caſu primo promulgatio ſemel nouellis publicis et bis ephemeridibus eſt inferenda, in ſecundo, euocatio ſemel ephemeridibus tantum inſerta iam ſufficit.

§. 38. Quod ad res decem thalerorum aut minoris pretii, inuentori quoque committi poteſt promulgationis inſertio, qua amittenti ſignificet, vt inuentorem ipſum adeat.

§. 39. Attamen inuentor, termino elapſo, iudici, promulgationem legitime eſſe factam, demonſtrare debet.

§. 40. Praeſumtiones ſi adſint, ab extraneo peregrinante, aut abſente rem potuiſſe amitti, termini legitimi ſunt duplicandi.

§. 41. Promulgationum numerus tum quidem non duplicandus, at promulgatio, ſi rei pretium eam

Source : BIU Cujas

exigat, quoties nouellis inferitur domeſticis, toties et exteris inferenda.

§. 42. Hic quidem nouellae prouinciae regiae alius, aut exterae reipublicae ſunt eligendae, prout ex praeſumtionibus, de amittentis perſona, videtur veriſimilius, promulgationem in eius notitiam eſſe peruenturam.

Addictio rerum amiſſarum, ſi amittens non comparuerit, inuentori, et aerario, pauperibus alendis deſtinato.

§. 43. Si amittens neque ante terminum, neque in termino praefixo comparuerit, iudicem ad rei addictionem ſ. adiudicationem procedere oportet.

§. 44. Res centum thalerorum pretii, aut minoris, ſoli inuentori addictione aſſignatur.

§. 45. Res maioris pretii addicitur inuentori et aerario pauperibus alendis deſtinato.

§. 46. Inuentor tum centum thalerorum pretium anticipat, et pretii reliqui partem dimidiam alteram inuentor accipit, alteram aerarium pauperibus alendis deſtinatum.

§. 47. Ante diſtributionem impenſae in rem factae et ſumtus in promulgationem erogati de pretio toto ſunt deducendi.

§. 48. Si vno eodemque loco plura, pauperibus alendis deſtinata, ſint aeraria publica, loci, quo res inuenta eſt, ambitus decidit; qui ſi non poſſit decidere, inuentoris qualitas perſonalis.

Effectus addictionis.

§. 49. Addictione inuentor et eiusmodi aerarium dominium rei acquirunt.

§. 50. Si vero amittens iacturam, deſcriptione rei omnibus partibus plena, ante addictionem factam publice indicauerit, nulli licet iudici prouinciae eius, cuius nouellis publicis haec indicatio fuit inſerta, ad addictionem ſ. adiudicationem eiusmodi rei amiſſae procedere.

§. 51. Omnem potius, quam poteſt, curam ex officio, in eo collocet, vt res reſtituatur amittenti.

Source : BIU Cujas

§. 52. Iudex si nihilominus ad addictionem fuerit progressus, dominium rei ad inuentorem et aerarium, pauperibus alendis destinatum, addictione non transit.

§. 53. Qui vero si conuinci nequeant, indicationis ab amittente promulgatae notitiam habuisse, addictione iudiciali seu assignatione iura consequuntur possessoris bonae fidei pleni.

§. 54. Iudex vero, qui praeceptum §. 50. 51. data opera aut lata culpa violauit, aut neglexit, graui poena est afficiendus.

§. 55. Excepto casu in §. 52. definito, contra iudicialem addictionem (adiudicationem) restitutio in statum pristinum non admittitur.

§. 56. Quod si res amissa centum thalerorum pretium aequet, aut excedat, et amittens docere possit, se sine sua culpa fuisse impeditum, quo minus promulgationis factae scientiam consequeretur, et cautelam, in §. 50. praescriptam adhiberet; inuentorem et aerarium, pauperibus alendis destinatum, eatenus conuenire potest, quatenus in possessione commodi ex addictione orti adhuc versantur.

§. 57. Qui ante addictionem comparens rem tanquam a se amissam petit, docere debet, se antea rem eam possedisse. Quid iuris sit, si amittens comparet.

§. 58. Res si ita sit comparata, vt sua natura ab aliis eiusdem generis rebus discerni nequeat, a petente in primis est docendum, rem publice indicatam esse eandem, ab ipso amissam.

§. 59. Inuentor et illi rem reddere debet, qui eam antea tantum detinuit.

§. 60. Orta non vana dubitatione et temeraria, an amittens bonae fidei possessor fuerit, aut rei detentor, res vsque ad vlteriorem cognitionem in custodia iudiciali seruanda.

§. 61. Omnibus in casibus impensas in rem inuentam factas, et sumtus in publicam promulgationem Quid amittens inuentori praestare debeat?

Source : BIU Cujas

erogatos, deductis tamen emolumentis inde perceptis, amittens reſtituere tenetur.

§. 62. Praeterea ſoluat inuentori, petenti, praemii loco decimam partem rei inuentae pretii, quod ſumtibus deductis eſt reliquum.

§. 63. Si pretium quingentorum thalerorum ſummam excedit, inuentor praeter decimam huius ſummae partem centeſimo quoque thalero pretii reliqui, contentus eſſe debet.

§. 64. Toto pretio ſumtibus exhauſto, inuentor praemium poſtulare non poteſt.

§. 65. Ad eruendum pretium, quod ad praemium definiendum attinet, rei periti a iudice denominandi iam ſufficit aeſtimatio.

§. 66. Manſueti, quod aufugit, aut aberrauit, animalis inuentor praeter indemnitatem pabuli et expenſarum aliarum, illi praeſtandam, praemii loco poſtulare tantum poteſt pignerationis ſummam, quae animal eiusmodi pignerato fuiſſet ſoluenda.

De pluribus inuentoribus. §. 67. Si plures inuentioni interfuerunt, exorta inde controuerſia, veri inuentoris perſona ex principiis §. 9-13. definitis eſt eruenda.

§. 68. Quibus principiis adhibitis, ſi adhuc inuentor verus ſit dubius, inuentoris iura competunt omnibus, qui, vt rem occuparent, vno eodemque tempore, operam dederunt.

§. 69. Licet plures rei amiſſae poſſeſſionem ſimul apprehenderint, aut licet plures, quia vnicus erui non ſatis certo poteſt, inuentores ſint admittendi; his tamen inuentoribus pluribus eadem tantum pars idemque praemium competit, quod leges vnico attribuunt inuentori.

Iactura iuris inuentionis. §. 70. Praemio priuatur, qui rei inuentae indicationem triduo plus differt.

§. 71. Qui inuentionem ſupra quatuor hebdomadas ſilentio tegit, contra eum praeterea valet praeſumtio, malae fidei eum eſſe poſſeſſorem.

Source : BIU Cujas

§. 72. Qui extraiudicialiter ab amittente ipso, aut eius nomine interrogatus rem inuentam ex toto aut ex parte abnegat, est malae fidei possessor.

§. 73. A iudice interrogatus eam abnegans, pro fure habendus.

Sectio Tertia.

De thesauris inuentis.

§. 74. Thesaurorum nomine hic intelliguntur res omnes pretiosae supra terram aut in terra conditae, quatenus de earum domino non constat. Definitio.

§. 75. Thesaurum inueniens magistratui eum illico indicare debet. Officium inuentoris, et quomodo thesauro inuento fit procedendum.

§. 76. In thesauri inuenti custodia, cognitione domini, et publica eius citatione eodem modo est procedendum, quo rebus inuentis, (§. 23 — 42.)

§. 77. Si quis ante promulgationem publicam thesauri inuenti dominum aut heredem se profiteatur, ius autem suum intra sex hebdomadas non plene possit probare; citatio publica nihilominus est procuranda.

§. 78. Petenti tamen vlterior iuris deductio, et inter tempus proclamationis publicae, reseruatur.

§. 79. Quae tamen promulgatio publica necessaria non est, si ex ipsa thesauri inuenti qualitate appareat, ex vno iam aut pluribus seculis eum fuisse absconditum.

§. 80. Iudex autem circumstantias, ex quibus hoc appareat, diligenter semper percontando indaget: qui si est iudex inferior, a prouinciae collegio iustitiae superiore sententiam petat, an publica sit instituenda proclamatio, an minus.

§. 81. Thesauri dominus si nequeat erui, thesaurus, quatenus rebus constat communi commercio non exemtis, eius est, qui illum in fundo suo proprio inuenit. Iura inuentoris et domini, in cuius fundo thesaurus est inuentus.

Source : BIU Cujas

§. 82. Si quis thesaurum in fundo alieno, at fine data opera, inuenit, dimidia pars altera cedit inuentori, fundi domino altera.

§. 83. Atque idem obtinet, si famulitium, aut operarii perficiendo operas thesaurum detegunt.

§. 84. Tum quoque, si quis, consentiente domino, in fundo alieno thesaurum inquirendo, thesaurum detexerit, nisi conventionibus partium singularibus de inuentoris praemio aliud fuerit definitum.

§. 85. Qui vero domino non consentiente in fundo alieno thesaurum quaesiuerit atque inuenerit, exigere praemium nequit, sed, quae illi competebat, pars dimidia, fisco cedit.

§. 86. Qui ad inueniendum thesaurum incantamentis vulgo creditis, daemonum et mortuorum euocationibus, aliisque eiusmodi praestigiis siue dolo siue superstitione fuerit vsus, praeter poenam iam commeritam amittit ius suum intuitu thesauri casu forte inuenti. (Part. II. Tit. XX. Sect. V.)

§. 87. Qui in inquirendo thesauro politiae leges violat, ad praecauenda incendia et auertenda alia damna latas, eo amittit ius suum intuitu thesauri.

§. 88. In vtroque casu (§. 86. 87.) fiscus in locum succedit leges violantis.

§. 89. Et domino, et fisco ius competit, postulandi, vt inuentor, pro re nata, rei inuentae quantitatem indicatam iure iurando confirmet.

Iura pluriumcondominorum et confinium.

§. 90. Plures condomini fundi, in quo thesaurus est inuentus, iurium domini iam definitorum pro ratione iuris, quod iis in fundum ipsum competit, sunt participes.

§. 91. Thesauri in confinio inuenti dominium inter confines partibus aequis diuiditur.

§. 92. Neque aliter est statuendum, licet thesaurus non in medio ipso finium fuerit inuentus, sed alterius vicini fundum plus minusue attigerit.

Source : BIU Cujas

§. 93. Si condominorum aut confinium vnus simul inuentor sit, huic praeterea inuentoris iura competunt in rata reliquorum, quorum interest.

§. 94. Ius domini intuitu thesauri, domino vtili soli competit, et ille qui proprietatis ex parte tantum est particeps, hoc ius vindicare sibi nequit. Iura intuitu thesauri, si dominium est diuisum aut limitatum.

§. 95. Possessor fideicommissi et emphyteuta domini fruuntur iuribus intuitu thesauri, inuenti in fundo, eo modo ab iis possesso.

§. 96. Thesaurus in fundo feudali, fideicommissario aut emphyteuticario inuentus in liberum venit possessoris dominium.

§. 97. Merus vsufructuarius atque conductor perpetuus thesaurum inuentum plane non participat.

§. 98. Cui dominium superficiei, aut aedificii in ea exstructi, non vero fundi et soli ipsius competit, domini iura sibi arrogare tantum potest in thesaurum, supra terram inuentum.

§. 99. Quamdiu fundus venditus emtori nondum est traditus, vendenti domini iura competunt intuitu thesauri eo temporis interuallo inuenti.

§. 100. Si vero venditae rei periculum iam ad emtorem transiit, huic et ius competit, vtilitatem ex eiusmodi thesauro capiendi.

§. 101. Emtor, qui notitiam thesauri in fundo absconditi habuit, et venditori nihil indicauit, merus tantum postea haberi potest inuentor.

§. 102. Qui de thesauro in fundo alieno inuento legum praecepta negligit; indicationem intra quatuor hebdomadas faciendam omittit; aut inuentionem abnegat; contra eum eadem sunt obseruanda, quae in eodem casu contra inuentorem rerum amissarum sunt sancita. (§. 70—73.) Legitimi effectus violationis legum intuitu thesauri.

§. 103. Qui thesauro in fundo suo inuento eiusdem negligentiae praeceptorum legis reum se reddit; pro ratione rei, thesauri quantitatis, et intentionis in occultando illicitae apparentis, punien-

Source : BIU Cujas

dus multa, extendenda vsque ad dimidium ratae, quae ei competebat, pretium.

§. 104. Res occultae, quarum dominus non dubius eſt, aut facile explorari poteſt, nunquam pro theſauris inuentis ſunt habendae aut tractandae.

§. 105. Mortuo vero eo, qui rem occultauerat, ille, qui indicando aut inueniendo heredibus rei vſum, comparauit, quo alias carere verisimiliter debuiſſent, petere poteſt, praemium inuentori §. 62. ſeqq. definitum, niſi ſingularis adſit obligatio heredum ſaluti ſine praemio conſulendi.

De theſauris naturalibus.

§. 106. Quatenus theſauri naturales in terra abſconditi a priuatis inquiri poſſint et occupari, ſuo loco eſt definitum. (Tit. XVI. Sect. IV.

Sectio Quarta.

De ferarum captura.

1) De ferarum captura in genere.

§. 107. Ius feras capiendi et occupandi, ad eas modo feras extenditur, quae a nemine adhuc ſunt captae aut manſuefactae.

§. 108. Attamen ferae captae et manſuefactae, ſi ad naturalem feritatem redierunt, obiectum ſunt capturae.

§. 109. Ferae, quae quidem libere vagari, at in locum ipſis definitum redire ſolent, non ſunt obiectum capturae ferarum.

§. 110. Simulac vero reuertendi conſuetudinem depoſuerunt, capi poſſunt.

§. 111. Columbae eius, cui ius eas alendi non competit, ſub dio deprehenſae, capi poſſunt.

§. 112. Cui columbas alendi ius competat, legibus prouincialibus eſt ſancitum.

§. 113. In quibus ſi ſingulare quid non definitum ſit, iis tantum, qui agros frugiferos in campo (*Feld-*

Source : BIU Cujas

(*Feldflur*) tanquam domini poſſident, aut qui iis domini loco vtuntur, ius competit, pro agrorum modo, certum columbarum numerum alendi.

§. 114. Inſecta et alia animalia, quae ſecundum §. 107—111. ferarum capturae ſunt obiectum, et neque ad venationem neque ad piſcationem referuntur, a quouis capi poſſunt.

§. 115. Qui animo eiusmodi feras capiendi fundum alienum, domino inſcio et inuito, eſt ingreſſus, domino petenti, quidquid cepit, gratis exhibere debet.

§. 116. Si dominus in fundo ſuo licitae ferarum capturae apparatus fecit, nemini feras captas, ſub poena furti, auferre licet.

§. 117. Volucrum oua et pulli, quatenus politiae legibus non eſt expreſſe vetitum, ferarum capturae ſunt obiectum.

§. 118. Apes in fundo ſuo alere cuilibet licet. 2) Speciatim de apibus.

§. 119. Ius, apes in ſilua alendi, domino tantum foreſti competit.

§. 120. Cui huius iuris vſu ne is quidem poteſt interdicere, cui ius in ſilua paſcendi competit.

§. 121. Manſuetum apium examen competit, excluſis caeteris omnibus, domino aluei, ex quo apum pulli ſunt progeniti.

§. 122. Cui etiam in perſequendo apium examine fundum alienum ingredi et illud capere licet.

§. 123. Attamen fundi domino ad omne damnum hac occaſione datum reſarciendum tenetur.

§. 124. Simulac dominus examinis apium a perſequendo plane abſtinuit, dominus fundi, in quo examen apium deprehenditur, illud occupandi ius habet.

§. 125. De eo, qui apes feras aut a domino derelictas in fundo alieno capit, praeceptum §phi 115. locum obtinet.

Source : BIU Cujas

§. 126. Quibus in quouis loco politiae cura eſt commiſſa, operam ſuam debent impendere, vt rapina, quam apes rapaces committunt, impediatur, et apes rapaces a rapina deſuefiant.

3. De venatione.

§. 127. Beſtias feras, quae ad venationem pertinent, ille tantum, cui venandi ius competit, ſecundum limitationes, in politiae legibus prouincialibus determinatas, ferire, perſequi, incitare, capere aut alio modo ſibi vindicare poteſt. (Part. II. Tit. XVI. Sect. III.)

§. 128. Occupatio per venationem tunc demum perfecta eſt, ſi fera viua aut mortua in venantis poteſtatem eſt redacta.

§. 129. Fera vulnerata tantum, aut ex retibus elapſa, in libertate naturali adhuc verſatur.

De jure feras perſequendi.

§. 130. Vbi ius feras perſequendi vſu receptum, feram vulneratam aut canibus excitatam et in fundo alieno perſequi licet, quoad canis ſagax a pedum veſtigiis nondum aberrauit.

§. 131. Quod ius qui vult exercere, demonſtrare debet, feram in fundo ſuo re vera vulneratam fuiſſe, aut canibus incitatam.

§. 132. Ad probandum locum, quo fera eſt vulnerata, cruor et pili in eo inuenti ſufficiunt.

§. 133. Qui hoc perſequendi ius exercet, ſclopetum venatorium in fundo ſuo relinquere tenetur.

§. 134. Si fera, quam quis in alterius fundo perſequitur, ab hoc iam fuerit capta, perſequens ſine mora cum canibus copulatis recedere debet.

§. 135. Idem faciendum, ſimulac canes a ferae, quam perſequuntur, veſtigiis aberrant.

§. 136. Fera in exercendo perſequendi iure confecta aut capta ex alienis finibus, nonniſi praeſente eo, cui ius venationis in eo loco competit, aut adhibitis teſtibus integris aſportetur.

§. 137. Sub limitationibus ſupra dictis (§ 131. ſq.) in caſu dubio perſequendi ius vſu receptum praeſumitur.

Source : BIU Cujas

§. 138. Quod ius qui exercet, ad damnum omne alienis segetibus et pratis eo datum reparandum tenetur.

§. 139. Si fera vulnerata est elapsa, aut si alias persequendi ius locum non habuit, venans possessorem regionis finitimae, in quam fera aufugit, de vulneratione intra quatuor et viginti horas certiorem facere debet, sub poena vnius vsque ad quinque thalerorum.

§. 140. Quod tamen de feris vulneratis maioribus tantum (*hohen Wilde*) intelligitur, et sic quidem, vt indicatio sumtibus eius fiat, cui ius venationis in regione finitima competit.

§. 141. Crepitaculis, formis terrentibus, aut sic dictis terriculamentis, sepimentis, et canibus paruis aut vulgaribus domesticis feras a suis finibus arcere quisque potest. De damno a feris illato eoque praecauendo.

§. 142. At sepimenta secundum leges politiae ita sunt exstruenda, ne feris sint nociua.

§. 143. Et nemo, sub praetextu arcendarum ferarum, canes vulgares sine fustibus vagari sinat.

§. 144. Insolitam maiorum ferarum multitudinem suis in regionibus aliturus, eiusmodi apparatus faciat, quibus finitimi agri culti ab earum laesionibus tueantur.

§. 145. Alia media ad auertendas eiusmodi laesiones si nequeant adhiberi, possessores finitimorum agrorum petere possunt, vt ius venationis habens suis sumtibus sepimenta, arcendis feris idonea, exstruat et conseruet.

§. 146. Venandi iure gaudens, in faciendis aut conseruandis eiusmodi apparatibus negligentiae reus, ad omne damnum, a feris vicinitati datum, resarciendum est obligatus.

§. 147. Quamdiu is, qui iure venandi fruitur, abusus in feris alendis accusari nequit, finitimorum agrorum possessores sunt obligati, iisque ius competit, adhi-

Source : BIU Cujas

bendi media legibus venaticis et foreſtalibus prouincialibus permiſſa, ad auertenda damna, a feris inferenda.

§. 148. Qua ratione is, qui ius venandi ſine iure exercet, ſit puniendus, quaque ratione turbationes et laeſiones alienorum venationis iurium auertendae ſint et puniendae, ſuo loco eſt definitum (Part. II. Tit. XX. Sect. VII. §. 315 ſqq.)

Caſus, in quibus ferae, etiam ſine iure venandi capi poſſunt et interfici.

§. 149. Feras, quae in hortos, areas, aut loca incluſa alia, aedificiis adiacentia, penetrarunt, capere aut interficere cuilibet eſt permiſſum.

§. 150. Ne quis tamen ſclopeto vtatur ignifero, et captam aut interfectam feram illi exhibeat, cui ius venationis competit.

§. 151. At contra, eum, cui venationis ius competit, pecuniam pro fera deiecta ſolitam (*Schieſsgeld*) ſoluere oportet, aut ſi id nolit, feram concedere ei, qui eam cepit, aut interfecit.

§. 152. Vbi lupi ſunt, foſſas caecas, illis capiendis inſervientes, in locis remotis cuique fundi poſſeſſori fodere licet.

§. 153. Ne vero homines et animalia inde damnum capiant, eiusmodi foſſae probe ſunt muniendae.

§. 154. Sin autem alia fera, venationi apta, in foſſam inciderit, ea aut liberanda eſt, aut venationis iure gaudenti ea lege, exhibenda, vt pro ea ſoluat pecuniam pro fera deiecta ſolitam.

§. 155. A feris beſtiis petitus ad vitam ſuam et ſalutem defendendam media adhibere poteſt omnia, quibus arceantur aut interficiantur.

§. 156. Beſtias, aliasque belluas violentas acquirit, qui occaſione in §pho antecedente adducta, eas cepit, aut interfecit.

§. 157. Si vero cerui, apri aut aliae eiusmodi ferae, ea occaſione, capti fuerint aut interfecti, exhiberi debent illi, qui iure venationis fruitur, ſoluta ab eo pecunia pro fera interfecta ſolita.

Source : BIU Cujas

§. 158. Ius venandi in fundo alieno, aut regione foreſtali alius, ex legibus de ſeruitutibus eſt diiudicandum. (Tit. XXII.) De iure venandi in alienis fundis.

§. 159. Cui in eadem regione cum aliis venandi ius eſt, ius ſuum ipſe tantum aut per venatores ſuos exercere poteſt. De venatione pluribus in eadem regione competente. (*Mitjagd.*)

§. 160. Attamen totius praedii conductori venationis cum praedio coniunctae exercitium, licet idem pluribus competat, ſimul concedi poteſt.

§. 161. Socio venationis ad eius exercitium pluribus venatoribus vti non licet, quam hactenus ex conſuetudine fuerunt adhibiti.

§. 162. Licet in praediis diuidendis praediorum diuiſorum poſſeſſoribus ſocietas venationis reſeruetur, his tamen coniunctim omnibus non pluribus vti licet venatoribus, quam fuerunt ante diuiſionem.

§. 163. Si ante diuiſionem vnus tantum venator ad exercendam venationem fuerit ſuſtentatus, ſocii venationis omnes, quisque quidem ipſe, caeterum autem per venatorem tantum communem eam exercere poſſunt.

§. 164. Qui venationis exercendae veniam ab eo, cui venandi ius competit, non niſi ſibimet ipſi acquiſiuit, huic in alium eam transferre non licet.

§. 165. In conuenatione (*Koppel-*) et venatione communi, (*Geſammtjagd*) ius quidem venandi, non vero ferae confectae ſiue ſtratae communes. De conuenatione.

§. 166. Cui ius conuenationis, venationis communis et ſocietatis venationis competit, in regula etiam inſciis iis, quorum ſimul intereſt, venationem exercere poteſt.

§. 167. Propoſitum vero venationis, qua ferae pulſando aut agitando congregantur, inſtituendae ei, cuius intereſt, tribus diebus ante eſt communicandum.

Source : BIU Cujas

§. 168. Cui tunc licet, communiter cum alio venari.

§. 169. Minoris aut mediae venationis iure tantum gaudens, ſine permiſſione eius, qui in eadem regione venationis maioris iure gaudet, venationem, qua ferae pulſando aut agitando congregantur, inſtituere nequit.

De piſcatione. Eius obiectum.

§. 170. Quatenus quis iure piſcandi, in fluminibus, ſtagnis, aliisque aquis fruitur, eatenus ei excluſis caeteris ius competit, omnia in his aquis animalia viua ſibi vindicandi. (Part. II. Tit. XV. Sect. II.)

§. 171. Captura animalium, in aqua ſimul et terra viuentium (amphibiorum) ad venationem pertinet, ſi ſclopeto, laqueis tendendis aut pedica fit ferrea.

§. 172. Lutrarum captura et caſtorum ſemper ad venationem pertinet.

§. 173. Aues aquaticae non ſunt, niſi venationis obiectum.

§. 174. Quatenus tamen aues migrantes, venationi aptae, praeter tempus parcendi feris, retibus piſcatoriis ſub aqua capi poſſunt, illi, cui piſcandi ius competit, eas capere licet.

§. 175. Reliqua animalia aquatilia omnia et amphibia, quae retibus piſcatoriis, hamis aut manibus in aqua capiuntur, ſunt piſcandi ius habentis.

De piſcibus in aquis clauſis et non clauſis.

§. 176. Lacus, viuaria piſcium, ſtagna et aquae incluſae aliae, quae fines fundi, quo continentur, non excedunt, in regula habentur in dominio eius, qui fundi eſt dominus.

§. 177. Hinc piſces quoque, in eiusmodi aquis priuatis reperti, ſunt fundi domini.

§. 178. Si piſces, eiusmodi aquis incluſi, aquae inundatione, aut vallo perrupto excedunt, a domino etiam in fundo alieno denuo capi poſſunt.

§. 179. Vſque in flumina aut fluuios contra, aut alias aquas, in quibus tertio piſcandi ius competit,

Source : BIU Cujas

perſecutio tantum eatenus locum habet, quatenus dominus certa poteſt indicare ſigna, quibus piſces eius elapſi ſatis diſcernuntur ab iis, qui in his aquis aluntur.

§. 180. Si flumina, riui aut aquae aliae non incluſae campos inundant, is, cui in his piſcandi competit ius, piſces elapſos in regula perſequi nequit.

§. 181. Quin potius eius ſunt, in cuius fundo aqua excedens conſiſtit.

§. 182. Piſces poſt aquae defluxum remanentes in lacubus, (*Lachen*) in quibus piſcandi ius alicui competit, hic ſibi vindicare poteſt.

§. 183. At nemini licet, retibus, ſepimentis, aggeribus, aut aliis molibus piſces impedire, quo minus in flumen redeant.

§. 184. Cuilibet domino permiſſum eſt, obſeruatis politiae legibus prouincialibus in fundo ſuo ſtruere piſcinas.

Leges politiae in piſcationis exercitio obſeruandae.

§. 185. Cuilibet domino quoque ius competit, pro lubitu piſcationem in lacubus et aquis incluſis priuatis exercendi.

§. 186. Intuitu autem aquarum publicarum, vti priuatarum non incluſarum, in piſcatione exercenda accurate obſeruanda ſunt politiae legum praecepta, ob tempus emiſſionis ouorum piſcium et ſupellectilem piſcatoriam vetitam data, et quae alias ad auertendam piſcationis ruinam in iis ſunt ſancita.

§. 187. In fluminibus quoque priuatis, in quibus piſcandi ius pluribus competit, nemini, niſi ius quaeſitum ſeu proprium ſibi acquiſiuerit, licet, obſtruendo in ſuperiore parte vel inferiore flumine piſcium natationem liberam impedire.

§. 188. In publicis aquis ne quis, in detrimentum piſcandi ius habentium, alat anates.

§. 189. Anates, quas fundorum, fluminibus priuatis et lacubus adiacentium, poſſeſſores ſine expreſſa eius, qui ius piſcandi habet, permiſſione alunt,

Source : BIU Cujas

in aqua deprehenſas pignerandi aut interficiendi huic ius eſt.

§. 190. Qui ſine iure aut permiſſione piſcatur aut cancros captat, non ſolum, quos cepit, ſed retia etiam et vtenſilia piſcatoria, quae ſecum fert, amittit. (Part. II. Tit. XX. Sect. XIII.)

Limitationes iuris piſcandi.

§. 191. Qui non niſi piſcandi ius habet, ideo in flumine aut aquis arrogare ſibi nequit iura alia, quae fundi domino competunt.

§. 192. Hinc de rebus aliis piſcaturae occaſione inuentis, aut detectis, ſectionis ſecundae et tertiae huius tituli praecepta ſunt obſeruanda.

Sectio Quinta.

De praeda bellica.

De praeda in genere.

§. 193. Ius, praedam in bello faciendi, reipublicae tantum conſenſu acquiri poteſt.

§. 194. Cui respublica hoc ius conceſſit, mera occupatione ſeu poſſeſſionis apprehenſione dominium rei captae acquirit.

§. 195. Qui bellicos apparatus capit, aut rem frumentariam, in vſum reipublicae, quae cepit, exhibeat.

§. 196. Pro praeda habendae ſunt res reliquae omnes, deprehenſae in hoſtium exercitu, aut apud hoſtes armatos, et hoſtium nundinatores caſtrenſes, et eos, qui conducti res exhibent exercitui neceſſarias. (*Lieferanten.*)

§. 197. Res, quae ſunt in dominio ſubditorum hoſtilium, neque ad exercitum pertinentium, neque eum ſequentium, praedando acquiri non poſſunt, niſi exercitus dux praedandi veniam expreſſam dederit.

§. 198. Res immobiles nunquam obiectum praedae.

§. 199. Res mobiles ab hoſte ablatas et venditas poſſeſſor priſtinus, ſi, quod ſolutum fuit, pretium velit reſtituere, iure repetere poteſt.

§. 200. Rem captam ſi dono dederit hoſtis, poſſeſſor eam priſtino poſſeſſori gratis reddere tenetur.

Source : BIU Cujas

§. 201. Res captae non cenſentur acquiſitae, antequam a militibus praedatis, ad caſtra et ſtationes nocturnas aut alium locum tutum ſunt translatae.

§. 202. Dum hoſtis hoſtem perſequitur, priori domino rerum rurſus ereptarum ius ſuum reſeruatur.

§. 203. Militibus, qui hoſti praedam rurſus eripiunt, a iudicio militari ſtatui debet praemium, pro rerum circumſtantiis aequum, a dominis recipientibus ſoluendum.

§. 204. Si nemo praedae ereptae dominum ſe profiteatur, cedit ea militibus, qui eam hoſti eripuerunt.

§. 205. Perſonae priuatae, quae nauium praedatoriarum inſtruendarum conſilium capiunt, literas praedatorias eum in finem redimere ſibi tenentur. De praedatione maritima.

§. 206. Qui his deſtitutus praedatum enauigat, pirata habetur.

§. 207. De praedatione maritima in regula valent, quae ſupra de praeda facienda ſunt ſancita.

§. 208. Bona et naues, a praedatoribus maritimis capta, amiſſa tum demum cenſentur, ſi aduecta ſunt in portum hoſtium aut reipublicae, neutri partium addictae.

§. 209. Quae ſi antea erepta ſunt hoſti a praedatoribus, praedationem maritimam exercentibus auctoritate et tutela reipublicae, cui dominus eſt ſubiectus, aut reipublicae alius, cum eadem foedere iunctae; domino, ſoluta pretii parte tertia, ſunt reſtituenda.

§. 210. Si eiusmodi praeda hoſti a nauibus bellicis reipublicae aut eius ſociorum fuerit erepta, in eius, qui rem hoſti eripuit, fauorem omnia valent, quae ſupra §. 203. de copiis terreſtribus ſunt praecepta.

§. 211. Quae res mercesque praedatione maritima acquiri poſſint, diiudicandum eſt, ex ſententia literarum praedatoriarum, et tractatibus, inter belligerantes et neutri partium addictas (*medias*) ciuitates conſiſtentibus.

Source : BIU Cujas

§. 212. Quae vbi nihil definiunt, res omnes et bona subditorum hostilium, in hostium nauibus deprehensa, pro praeda sunt habenda.

§. 213. At contra, res atque bona ciuium imperii, amicitia iuncti, nec non imperii, neutri partium addicti, in hostium nauibus deprehensa retineri non debent.

§. 214. Res quoque et bona subditorum hostilium, quae sunt in ciuitatis mediae nauibus, integra manent et intacta.

§. 215. Atque idem statuendum est de hostilium ciuium rebus et bonis, commissis reipublicae, aduersus suum principem belligerantis, nauigiis cursus publici, transportandis epistolis, sarcinis et hominibus inseruientibus.

§, 216. Quae supra (§. 213-215.) sunt dicta, eatenus tantum valent, quatenus bona ista et res non ad merces vetitas pertinent.

§. 217. Quae merces sint vetitae, in praeceptis de assecurationibus est definitum. (Part. II. Tit. VIII. Sect. XIV.)

§. 218. Quidquid in portum, quem omnes sciunt oppugnatum aut obsidione clausum, transportatur, censetur res vetita.

§. 219. Portus habetur clausus, si hostium aggere in terra exstructo, aut nauibus bellicis, ante portum collocatis, itinere naues intercluduntur.

Sectio Sexta.

De acquisitione accessionum, et accretionum.

1. De fructibus.

§. 220. Rei emolumenta, quae secundum naturae ordinem ex re ipsa, accedente industria, vel non accedente, proueniunt, fructus appellantur.

§. 221. Rei fructus statim, simulac proueniunt, sunt in dominio illius, cui ius competit, re vtendi.

Source : BIU Cujas

§. 222. Rei incrementa et meliorationes, ſiue natura, ſiue arte extrinſecus effectae, vocantur acceſſiones et accretiones.

§. 223. Si fluminis vi terrae pars auulſa ripae alienae adiicitur, aut in illam transfertur, poſſeſſori priori ius eſt partem auulſam intra anni terminum ſibi vindicandi. 2. De terra auulſa.

§. 224. Si vero poſſeſſor priſtinus annum praeterire paſſus, et iure ſuo non vſus eſt, domino ripae inde auctae ius competit, partem terrae adiectam poſſeſſionis apprehenſione ſibi vindicandi.

§. 225. Incrementa, quae paullatim per alluuionem particularum, alienis terris abraſarum, ripae adiiciuntur, domino ripae acquiruntur. (Part. II. Tit. XV. Sect. II.) 3. De alluuione.

§. 226. Iſthmi et peninſulae, recenter accreſcentes, paullatim orti, ſunt eius, cuius ripae inhaerescunt.

§. 227. Vtroque in caſu (§. 225. et 226.) ad acquirendum dominium poſſeſſionis apprehenſio ſingularis non requiritur.

§. 228. Licet eiusmodi alluuiones aut iſthmi, qua latitudinem, in fluminis alueum et vel vltra eius medium extendantur, non tamen, qui ex aduerſa ripae parte praedium poſſidet, vindicare ſibi eos poteſt.

§. 229. Omnino autem ius huic competit in ripa ſua eiusmodi apparatus faciendi, quibus vlterius ripae adverſae incrementum impeditur.

§. 230. Aggeres (*Buhnen*) contra et alia, quibus accretio, quae iam adeſt, ablutionis periculo exponitur, exſtruere ſine reipublicae permiſſione nemini licet.

§. 231. Quae permiſſio tunc demum eſt concedenda, ſi exorta alluuione aut iſthmo, in vicini detrimentum, oritur fluminis curſus mutatio, quam nequit auertere more ſolito ripam muniendi.

Source : BIU Cujas

§. 232. Ripae poſſeſſoris dominium alluuionum et iſthmorum ripae adhaerentium, eo vſque tantum extenditur, vbi fines ipſius longitudine terminantur.

§. 233. Si eiusmodi incrementum temporis ſucceſſu vltra fines eius prolongatur, pars incrementi aut iſthmi vltra fines eius extenſa, cedit in dominium ripae poſſeſſoris vicini.

§. 234. Quae regula tunc quoque locum obtinet, ſi iſthmi aut peninſulae pars, vltra vicini fines procedens, cum vicini ripa nondum cohaeret.

§. 235. Si vero in vtroque caſu vicinus ripae poſſeſſor permiſit, vt is, cuius ripae incrementum aut iſthmus primo fuerat adiectus, eo vltra fines ſuos, per tres annos continuos, ſine contradictione fuerit vſus; hic eiusmodi terrae dominium acquiſiuit.

§. 236. Dominium incrementi aut peninſulae a ripae poſſeſſore iam acquiſitum non amittitur, licet ſucceſſu temporis vi fluminis ab eius ripa ſeparentur.

§. 237. Nemo plantando aut in aqua aedificando alluuiones ad ripas fluminis publici data opera promoueat.

§. 238. Quin et terram alluuione iam adiectam, plantando eatenus tantum munire licet, quatenus aquae curſus ſolitus eo non impeditur.

§. 239. At contra, cuilibet ripae fluminis poſſeſſori ius eſt, fluminis eruptionem arcendi, ripam idonee muniendo.

§. 240. Si ripa, fluuio perrumpenti expoſita muniri ſatis non poſſit, niſi apparatibus, alluuionem ſimul promouentibus, et eos adhibendi ius ripae poſſeſſori competit.

§. 241. Quos tamen apparatus in fluminibus publicis, contradictione orta, non licet moliri, niſi expreſſa reipublicae approbatione, et antecedente quidem neceſſitatis cognitione.

Source : BIU Cujas

§. 242. Quoad terra supra fluminis alueum emi- 4. De insu-
nens circumnauigari scapha piscatoria communi pot- lis.
est, habenda pro insula.

§. 243. Terrae particulae, quae alias pars fuerunt terrae firmae, a qua inflectente tantum amne et circumfluente separatae sunt, iuris sensu pro insulis non habentur.

§. 244. Vbi ex legibus prouincialibus insulae, in fluminibus publicis natae, non reseruantur reipublicae, ripae eius, cui proxime adiacent, possessoribus competit ius, eas sibi vindicandi.

§. 245. Idem vbique valet de insulis in priuatorum fluviis natis.

§. 246. Insularum autem dominium facta possessionis apprehensione demum acquiritur.

§. 247. Cui riparum e regione iacentium insula sit propior, diiudicandum est linea, per fluminis alueum ad longitudinem ducenda.

§. 248. Fluminis latitudo definitur lineis transuersis trans fluuium ductis, et quidem ab vtriusque ripae, ordinaria aquae altitudine conspicicuae, punctis, insulae fini vtrique ex aduerso sitis.

§. 249. Linea ad longitudinem ducta, vtramque lineam transuersam in medio secans, definit, cui ripae insula propius adiaceat.

§. 250. Quae media linea si insulam ipsam secat, ius, partes cuique ripae propius adiacentes, ea definitas, sibi vindicandi competit vtriusque ripae possessoribus.

§. 251. Si insula longitudine ripis possessorum confinium plurium ex aduerso iacet, possessori cuique ius competit, insulae partem, ripae suae ex aduerso sitam, sibi vindicandi.

§. 252. Ripae possessoris cuiusque rata definitur lineis transuersis, trans fluuium ad lineam in medio fluuio assumtam ductis; et ab iis quidem ripae punctis, vbi cuiusque ripae possessoris fines fluuium contingunt.

Source : BIU Cujas

§. 253. In definiendis ripae poſſeſſorum iuribus in inſulam, quae ipſorum ripis ex aduerſo iacet, non attenditur, vtrum ripa vallis aut aggeribus ſit munita, et terra antica ſit clauſa, an minus.

§. 254. Totam inſulam, pluribus ripis ex aduerſo iacentem, aut inſulae partem, vltra fines ſuos procedentem occupaturus, propoſitum ſuum vicinis ſignificare, atque eos provocare tenetur, vt declarent, an et ipſi iure ſuo velint vti.

§. 255. Quam declarationem ſi recuſent, aut ſi morentur, aut in iuris exercitio ſi cunctentur, reipublicae interpoſitionem petere inſulam occupaturo licet.

§. 256. Quodſi respublica cognouerit, inſulae culturam eſſe in rem ſuam, et ſi reliqui, quorum intereſt, prouocatione reiterata, intra terminum iis praefigendum, iure ſuo vti nolint, respublica illi, qui primus nomen ſuum eſt profeſſus, (qui ſe primum intimauit) adiudicare etiam poteſt inſulae partes, vltra eius fines extenſas.

§. 257. Quatenus quis ſine eiusmodi reipublicae expreſſa conceſſione inſulam per tres annos continuos quiete poſſedit, eaque vſus eſt; eatenus totius inſulae dominium per praeſcriptionem acquiſiuit contra eos etiam vicinos, quorum ripae propius adiacent parti inſulae.

§. 258. Si respublica neceſſitatis eſſe cenſeat, incrementa et acceſſiones ripae aut inſularum perfodiri aut remoueri, poſſeſſores priuatos quocunque tempore eiusmodi mandatis obſequi oportet.

§. 259. Si remotio aut perfoſſio fit in flumine publico, quo fiat nauigabile, aut ad reſtituendum curſum fluminis ſolitum, poſſeſſores priuati damni reparationem petere in regula non poſſunt.

§. 260. Quodſi vero huiusmodi alluuio aut inſula, per quinquaginta annos et plures iam fuerit poſſeſſa

Source : BIU Cujas

et culta, respublica ad damni ex hac remotione oriundi reparationem aequam praeſtandam dominis tenetur.

§. 261. Si fiat remotio in flumine priuato, vt nauigabile reddatur, alluuionum et inſularum poſſeſſoribus a republica omne damnum, quod inde ſentiunt, ſemper eſt plene refarciendum.

§. 262. Eadem damni reparatio a fluuii vicinis in quouis caſu iis praeſtanda, ſi illis petentibus respublica eiusmodi perfoſſionibus et remotionibus commodis eorum conſulit.

§. 263. Si alueus aut foſſa alia et canalis praeſepiendo (*durch Verkrippungen*) aut alio modo anguſtandus vel terra explendus eſt, poſſeſſoribus ripae finitimis proximum competit ius, fundum exinde ortum, poſſeſſionis apprehenſione ſibi vindicandi. 5) de expletis et relictis alueis.

§. 264. Quo autem iure ſi vti volunt, pro rata terrae cuique partae, ad operas et ſumtus rei perficiendae neceſſarios conferre tenentur.

§. 265. Ius ripae poſſeſſoris cuiusque in hoc caſu longitudine eo vsque extenditur, quo ripae eius fines terminantur, et latitudine vsque ad alueum priſtinum medium.

§. 266. Quae media pars definitur regula §. 248. ſeqq. praeſcripta.

§. 267. Lacuum, quorum aqua deducta, alueus manet lacus dominis, pro ratione (iuxta proportionem) dominii, cuique eorum in lacum competentis.

§. 268. Si ratae plurium dominorum in lacu ipſo non fuerint definitae, ſolum quoque aqua nudatum inter ripae poſſeſſores diuiditur ſecundum principia in §pho 265. praeſcripta.

§. 269. A quibus autem ille, qui, licet ipſe non ripae fuerit poſſeſſor, vtilia tamen iura in lacu exercuit, proportioni horum iurium conuenienter indemnis eſt praeſtandus.

Source : BIU Cujas

§. 270. In quantum insulae in flumine natae ad vicinos ripae possessores pertinent, in tantum quoque ad eos pertinet alueus aqua nudatus.

§. 271. Subditis tamen reipublicae, recenti fluminis canali damnum sentientibus, in primis ex alueo aqua nudato, aut eius pretio, damnum est resarciendum.

§. 272. Inundationibus fluminis, vi exortis et ad tempus tantum subsistentibus, fundorum inundatorum dominium non mutatur.

§. 273. Si vero damnum pristino canalis recentis domino iam alia ratione fuit reparatum, alueus nouus, iterum aqua denudatus, quatenus ad plenam reparationem, in §pho 271. definitam, non est necessarius, cedit illi, qui damni reparationem domino priori praestitit.

§. 274. Aluei imminutionis aut dilatationis, natura ipsa factae, compensatio peti non potest.

b) De satione et implantatione

§. 275. Dominium seminis aut plantarum, quae alieno fundo aut solo mandatae sunt, simulac semen satum est, plantaeque radices egerunt, acquiritur ei, cui ius solo vtendi competit.

§. 276. Si iure gaudens solo vtendi fructus percipere velit, alteri seminis vel plantarum pretium cum sumtibus agri culturae restituere tenetur.

§. 277. Si fundus alienus bona fide est cultus, colenti impensae, quae possunt probari, omnes restituendae.

§. 278. Sin vero mala fide fundi alieni culturam sibi arrogauit, impensarum restitutionem eatenus tantum petere potest, quatenus exercendae oeconomiae modo, cuiusque prouinciae vsitato, sunt factae.

§. 279. Si iure solo vtendi gaudens ex cultura aliena fructus percipere recusat, et alio modo vti agro suo velit, ista dispositione ei interdici nequit.

§. 280. Tum ei, qui sevit, vel plantauit, semen tantum vel plantas, quatenus potest sine agri laesione fieri, recipere licet.

§. 281.

Source : BIU Cujas

§. 281. Si, cui ius eſt agri vtendi, fructus feminis vel plantarum ei, qui ſeuit vel plantauit, velit concedere, hic ob interceptum agri vſum pro culpae ſuae gradu illi ſatisfaciat, neceſſe eſt.

§. 282. Si fundus ipſe ab eo, qui ſeuit vel plantauit, bona fide, fuit poſſeſſus, etiam quod ad conſecutam eius culturam, locum inueniunt legis praecepta, de iuribus et officiis bonae fidei poſſeſſoris in genere lata. (Tit. VII. §. 189. ſeqq.)

§. 283. Qui ipſe aut per alios in ſolo ſuo alienum ſemen ſerit, aut plantas alienas plantat, ſeminis aut plantarum domino ſummum ſemper compenſare tenetur pretium, quod occupationis tempore ſemini ſuit aut plantis.

§. 284. Si ſoli dominus doloſe egit, ſeminis aut plantarum domino omne lucrum ea occaſione ceſſans quoque reſtituere debet.

§. 285. Dominium arboris in confinio poſitae ei competit, in cuius fundo ſtirps e terra prouenit. De arborum implantatione

§. 286. Stirpe in confinio ipſo poſita, vicinis vtrisque eſt arboris condominium.

§. 287. Nemo eſt obligatus, vt toleret arboris alienae radices ſub ſolo ſuo actos, aut ramos in fundum ſuum propendentes.

§. 288. Quos vero qui velit amputare, arboris domino lignum exhibere debet.

§. 289. Quos contra ſi toleret, ius ei competit, eos ſibi vindicandi fructus, quos dominus colligere nequit, niſi vicini fundum contingat.

§. 290. Eiusmodi fructus domino neque inſtrumentis petere, neque ramis flexis ad ſe trahere licet.

§. 291. At contra, domino arboris ius eſt, ramos in vicini fundum propendentes in proprio ſuo fundo amputandi.

§. 292. Fructus arboris in confinio poſitae, venti vehementia trans fines latos, vicinus iure ſibi vindicat.

Source : BIU Cujas

§. 293. Arbor vero ipſa, quae tota aut ex parte ventorum vi in alienum ſolum eſt translata, prioris manet domini.

§. 294. Et fructus, in arbore poſt remotionem factam adhuc pendentes, domino competunt.

§. 295. Dominus ſub iuris iactura eiusmodi arborem, vicino petente, ſine mora ab huius ſolo remoueat.

§. 296. Damnum in remouenda arbore vicini ſolo datum arboris dominus reſarcire ſemper tenetur.

§. 297. Damnum vero ex ipſius arboris ruina ortum, non niſi in tantum reparare tenetur, in quantum culpae, ſecundum leges praeſtandae, accuſari poteſt.

5) de coniunctione, commixtione et confuſione,

§. 298. Si quis res alienas, domino inſcio et inuito, cum re ſua coniunxit, confudit vel commiſcuit, ſumtibus eius ſunt res vtriusque ſeparandae, et in priſtinum ſtatum redigendae.

atque etiam conſumtione alienae materiae.

§. 299. Si vero res ſeparari non amplius poſſunt, aut ſi materia aliena, domino inſcio et inuito, fuerit elaborando conſumta; eum, qui eiusmodi diſpoſitionem de rebus alienis dolo atque animo, commodum ex alterius detrimento percipiendi, ſibi arrogauit, totius rei dominium alteri concedere oportet.

§. 300. Hic deinde reſtituere tenetur operis mercedem, aut pretium rei coniunctae, commixtae aut confuſae, quae in diſponentis fuit dominio, ſed ad pretium tantum minimum, a rei peritis definiendum.

§. 301. Quam tamen reſtitutionem doloſe agenti fiſcus, poenae loco, praeripit.

§. 302. Si is, de cuius re alter tam doloſe diſpoſuit, rem totam inde ortam accipere nolit, alter ipſi reſtituere tenetur pretium, quod intra illegitimae vindicationis et inſinuati libelli tempus rei fuit maximum.

§. 303. Si is, de cuius re eo modo eſt diſpoſitum, praeterea damnum inde datum, aut lucrum ceſſans poteſt docere; et illud ipſi ex principiis tituli ſexti eſt reſarciendum.

Source : BIU Cujas

§. 304. Si quis ſine dolo materiam alienam laborando ita conſumſit, vt eo formam amiſerit priſtinam, nouamque aſſumſerit ſpeciem, res noua inde effecta acquiritur conſumenti.

§. 305. Qui tamen materiae domino, ad eius optionem, vel eandem materiae eiusdem generis et bonitatis quantitatem reddere, vel pretium materiae, et quidem pretium tempore conſumtionis maximum, tenetur reſtituere.

§. 306. Praeterea quoque, pro gradu culpae ſuae materiae domino de damno et lucro ceſſante, ex conſumtione ſua arbitraria orto, ſatisfacere debet.

§. 307. Si quis ſine artificis aut opificis opera materiam alienam cum ſua, at ſine dolo, coniunxit, confudit aut commiſcuit, tum inquirendum eſt: vtri rata maior competat pretii corporis totius effecti, pro ratione materiae collatae.

§. 308. Si rata maior ſit eius, de cuius re ſine ſuo concurſu eo modo diſpoſitum; huic eſt optio, vtrum corpus effectum ſibi vindicare, an alteri velit concedere.

§. 309. Si alteri totum corpus concedat, conſumens ipſi materiam, prout §. 305. praefinitum, compenſare, et praeterea de damno dato et lucro ceſſante ex praecepto §phi 306. ſatisfacere tenetur.

§. 310. Sin vero totum ſibi reſeruet, conſumenti materiam collatam ſecundum commune, quod rei conſumtionis tempore fuit pretium, debet compenſare.

§. 311. Quod pretium ſi valorem excedat melioriationis, diſponendo in re ortae; diſponens melioriationis compenſatione contentus eſſe debet.

§. 312. Si in caſu, §. 307. ſuppoſito totius effecti pars rata maior ſit diſponentis, totum ei quidem cedit;

§. 313. Alteri tamen, de cuius materia pro ſuo arbitrio eo modo diſpoſuit, ſecundum §. 305. 306. reſtitutionem et compenſationem praeſtare tenetur.

Source : BIU Cujas

§. 314. Si in casu §. 307. definito sit dubium, vtri eorum, quorum interest, praecipua rata corporis effecti totius competat, illi, de cuius re sine suo concursu sic fuit dispositum, concedenda est optio, secundum definitiones, in §. 308-317. constitutas.

§. 315. Si quis dominorum plurium materiam sine vllo eorum concursu, elaborando confumsit, coniunxit, commiscuit, aut confudit, quaestio: cui effectum cedat totum, inter eum ex vna parte, et inter plures dominos coniunctim ex altera parte, est decidenda secundum principia supra §. 298-314. adducta.

§. 316. Res si ab optione ex parte horum dominorum pendet, inter eos rem decidit consilium, quod ii ceperunt, qui coniunctim in materiae pretio partem habent maiorem.

§. 317. Re adhuc dubia, inter plures dominos, quae facienda sit electio, fors decidit.

§. 318. Si materiae domini plures, secundum haec principia, dominium effecti totius corporis acquirunt, et si eorum materia eiusdem generis fuit, totius condomini fiunt.

§. 319. Si vero materia fuit diuersi generis, illius ius praeualet, cuius materia maioris est aestimata.

§. 320. Si plurium, quorum interest, rata eiusdem pretii est aestimata, fors decidit, cui totum cedat, sub lege satisfaciendi reliquis, quorum interest.

§. 321. Quae quidem satisfactio definitur pro ratione pretii materiae, cuique eorum, quorum interest, propriae, ad pretium, quod partitionis tempore est toti inde effecto.

§. 322. Si, quorum interest, de pretio totius effecti conuenire inter se nequeunt, illud, licitatione inter eos instituenda, est definiendum.

§. 323. Plus licitanti totum acquiritur, qui reliquis secundum praeceptum §. 321. definitum, satisfacere tenetur.

Source : BIU Cujas

§. 324. Si alicuius animal alterius animali fecundatum eſt, fetus inde editus domino animalis feminae acquiritur. 9) ſi aliorum animalia fecundantur,

§. 325. Si huius domino ſciente et conſentiente animal fecundatum eſt, hic animalis fecundantis domino praeſtare tenetur compenſationem, legibus politiae et ſtatutis cuiusque loci aut regionis propius determinatam.

§. 326. At contra, quatenus alter alteri ad damnum refarciendum teneatur, ſi fecundatio inuita et non conſentiente vna alteraue parte ſit facta, ex principiis tituli ſexti eſt definiendum.

§. 327. Si quis aedificium, per ſe ſubſiſtens, in ſolo alieno ſoli domino inſcio exſtruxit; a ſoli domini dependet arbitrio, an conſeruari aedificium velit, an remoueri et deſtrui. 10) de aedificatione in ſolo alieno; aut

§. 328. Vltimum ſi eligit, aedificium deſtruendum eſt et remouendum aedificantis ſumtibus; qui praeter ea pro gradu culpae domino tenetur ad refarciendum omne damnum datum et lucrum ceſſans.

§. 329. Si ſoli dominus aedificii conſeruationem poſtulat, illud vel ſibi vindicare, vel aedificanti cum fundo et ſolo, ad illud pertinente, concedere poteſt.

§. 330. Si ſoli dominus aedificium ſibi velit ſeruare, aedificanti exſtructionis impenſas reſtituere tenetur, quatenus aedificii pretium, ex rei peritorum aeſtimatione, non excedunt.

§. 331. Soli domino, qui aedificium aedificanti concedit, aedificans fundi et ſoli pretium compenſare, et praeterea illud damnum refarcire debet, quod dominus anguſtioribus ſpatii neceſſarii limitibus, aut alio modo, pro circumſtantiis et quaeſtu ſuo ſe ſentire poteſt probare.

§. 332. Fundi et ſoli dominus, qui aedificationis notitiam habuit, neque ſtatim tempore, quo eam eſt conſecutus, continuationi ita contradixit, vt in aedificantis notitiam contradictio perueniret, mera fundi et ſoli indemnitate contentus eſſe debet.

Source : BIU Cujas

§. 333. Quid ſtatuendum ſit, ſi praedii poſſeſſor aedificia in eo exſtruit, et poſtea praedium cum aedificiis domino reſtituere debet, in titulo de poſſeſſione eſt ſancitum. (Tit. VII. §. 204-211. 238.)

ex materia aliena; et

§. 334. Si quis ex materia aliena, domino inſcio, in ſolo ſuo proprio aedificat, materiae quidem dominus ſibi neque materiam conſumtam vindicare, neque aedificii dominium poſtulare poteſt;

§. 335. Sed aedificans pro culpae admiſſae gradu, de materiae iactura ſatisfacere illi tenetur.

in ſolo alieno et ex materia aliena ſimul.

§. 336. Si quis ex materia aliena in ſolo alieno vtroque domino inſcio aedificat, quaeſtio de dominio inter eum et ſoli dominum ex principiis §. 327-332. allegatis eſt decidenda.

§. 337. Materiae domino aedificans ſecundum praeceptum §. 335. ſatisfacere debet,

§. 338. Contra, materiae dominus ſoli dominum, quatenus hic materia aliena non fuit vſus, conuenire omnino non poteſt.

§. 339, Materiae tamen domino ob indemnitatem ab aedificante ipſi praeſtandam, in id, quod ſoli dominus aedificanti praeſtare debet, praecipuum ius competit.

De aedificatione in confinio.

§. 340. Aedificationem in confinio exſtructurus, propoſitum ſuum, et quousque aedificium proiicere velit, vicinis indicet neceſſe eſt.

§. 341. Quod ſi fuerit factum, et linea deſignata a vicinis approbata; aedificio nihilominus caſu fortuito, culpa leui aut leuiſſima vltra lineam deſignatam proiecto, (protenſo) vicinis ſolum tantum ex aequa aeſtimatione compenſare tenetur.

§. 342. Si vero aedificans aut indicationem neglexit, aut nulla vicinorum contradictionis ratione habita, vltra limitis veri lineam, aedificauit; aut dolo vel culpa lata lineam ab iis approbatam eſt transgreſſus; ad reponendum (retrahendum) aedificium, ſumtibus ſuis intra fines ſuos, et ad ſatisfaciendum vicinis tenetur.

Source : BIU Cujas

Sectio Septima.

De miſſilibus ſ. dimiſſis rebus aut pecuniis.

§. 343. Acquiſitio rerum aut pecuniarum, quae eo animo ſparguntur, vt, qui eas occupauit, earum fiat dominus, regulis perficitur poſſeſſionis apprehenſionis originariae. (§. 7-13.)

§. 344. Eiusmodi res, et pecuniae, donec re vera ſunt occupatae, res nullius habentur.

§. 345. Si vero quis res aut pecunias certis tantum perſonis ſparſit, non aliae niſi hae poſſeſſionis apprehenſione dominium poſſunt acquirere.

§. 346. His ideo competit ius, reliquos omnes a poſſeſſionis apprehenſione arcendi, et parandi omnia eum in finem neceſſaria.

§. 347. Si alii, quibus res iſtae aut pecuniae non erant ſparſae, eas occuparunt, poſſeſſor priſtinus repetere eas ab iis poteſt.

§. 348. Nemini vero, ob turbas inde metuendas licet, ſine conſenſu eorum, quibus politiae cura demandata eſt, pecuniam publice ſpargere, aut res diripiendas proiicere.

§. 349. Quod qui ſine eiusmodi permiſſione fecerit, aut ea, quae a magiſtratu praeſcripta ſunt, neglexerit, damnum omne praeſtat.

Sectio Octaua.

De hereditatis acquiſitione.

§. 350. Hereditas defuncti aut pro mortuo declarati conſiſtit in complexu rerum, iurium et obligationum eius relictarum omnium.

Quid ad hereditatem ſ. ſucceſſionem pertineat, nec ne? —

§. 351. Quae de vniuerſitate ſ. complexu rerum et iurium in genere ſunt praeſcripta, ea in hereditatibus quoque locum obtinent. (Tit. II. §. 82 ſeqq.)

Source : BIU Cujas

§. 352. Quatenus hereditas augeatur iis, quae in herciſcundo a coheredibus quibusdam ſunt conferenda, ſuo loco eſt definitum. (Tit. XXVII. Sect. II.)

§. 353. Res alienae omnes earumque incrementa in defuncti detentione repertae ad eius hereditatem non pertinent.

§. 354. Nec feuda, et fideicommiſſa, ab hereditatem relinquente poſſeſſa, huc referenda.

§. 355. Quatenus vero iura in eiusmodi res alienas (§. 353 et 354.) hereditatem relinquenti competunt, quae natura ſua non extinguuntur morte, ea iura partem hereditatis conſtituunt.

§. 356. In primis, quidquid hereditatem relinquens, ob impenſas in eiusmodi res factas, petere poſſet, ad eius hereditatem pertinet.

§. 357. Quatenus extantes aut reſtantes fructus et emolumenta eiusmodi rerum ad hereditatem pertineant, vel minus, pro diuerſitate qualitatis ſubſtantiarum ſiue fortunarum legibus ſingularibus eſt definitum (Tit. XVIII. Sect. I. Part. II. Tit. IV.)

§. 358. Is autem, ad quem eiusmodi res alienae pertinent, aut legis vi perueniunt, eas ſibi ex hereditate auſu proprio vindicandi ius non habet.

§. 359. Quin potius earum exhibitionem ab herede exſpectare, aut iudicis auxilio efficere eum oportet.

§. 360. Iura, obligationes, onera et poenae, ſoli hereditatem relinquenti adhaerentes, ad hereditatem non referuntur. (Prooem. §. 99. Tit. II. §. 40.)

§. 361. Quatenus vero ex iuribus aut officiis, cum hereditatem relinquentis morte expirantibus, eo adhuc viuo, effectus ſunt orti, quibus nititur intereſſe pecunia aeſtimandum, id intereſſe omnino ad hereditatem relictam pertinet.

§. 362. Iura et obligationes, ex pactis orta, et ea, quae damni ex facto illicito orti reparationem ſpectant, in regula hereditati adnumerantur.

Source : BIU Cujas

§. 363. Poenae pecuniariae eatenus ex hereditate tantum ſunt ſoluendae, quatenus hereditatem relinquenti re vera fuerunt per ſententiam impoſitae, aut cognitio (inquiſitio) eo vsque iam fuit compoſita (concluſa), vt legitimae determinationi nihil amplius obſtet.

§. 364. Res vero, quae ob delictum, circa eas commiſſum, fiſco ſunt commiſſae, ex hereditate huic ſunt exhibendae, licet hereditatem relinquens inquiſitionis concluſae et ſententiae confiſcatoriae publicatae diem non viderit.

§. 365. Inquiſitionis ſumtus in quouis caſu hereditatem afficiunt, ſimulac apparet, defunctum inquiſitionis ſ. cognitionis, licet culpa tantum, aut imprudentia, dediſſe anſam non vanam. (fundatam.)

§. 366. Iurium et obligationum reſpectu poenarum conuentionalium eadem, quae aliorum iurium et obligationum ex pactis oriundorum, eſt ratio.

§. 367. Simulac hereditatem relinquens eſt mortuus, aut pro mortuo declaratus, hereditas ei defertur, quem legitimae voluntatis declarationes defuncti aut, his deficientibus, legis praeſcripta vocant. De hereditatis delatione ſ. deuolutione.

§. 368. Hic dominium hereditatis omniumque cum ea coniunctorum iurium et obligationum ita acquirit, vt ne poſſeſſionis quidem requiratur apprehenſio.

§. 369. At ſi cui hereditas ſub conditione legitima ſuſpenſiua eſt relicta, is demum ab eo tempore, quo exiſtit conditio, fit hereditatis dominus.

§. 370. Herede prius quam hereditatem adiit mortuo, nihilominus ius ſuum ad eius heredem tranſit.

§. 371. Si quaeſtio: cui hereditas ſit delata, ab eo pendet: an partus, mortis tempore hereditatem reliquentis iam ſperatus, viuus edatur, exſpectandus eſt euentus.

§. 372. Qui partus ſi viuus editus caeteros omnes eſſet excluſurus, ille, qui ſecundum leges aut iudicis

Source : BIU Cujas

auctoritatem curator eſt ventris ſ. fetus naſcendi, ſimul hereditatis curator eſt conſtituendus.

§. 373. Qui quidem ſub auctoritate iudicis hereditatem pro partu debet adminiſtrare, nihil autem illi de eius ſubſtantia licet diſponere, niſi conſultis et conſentientibus heredibus, partu deficiente proximis.

§. 374. In genere ea praecepta omnino obſeruare debet, quae heredum ignotorum aut abſentium curatori infra §. 471. ſeqq. ſunt data.

§. 375. Partu viuo nullo edito, res ita eſt accipienda, ac ſi delatio continuo peruenisſet ad eos, qui, mortis tempore, aut legibus aut voluntatis declarationibus poſt partum proxime erant vocati.

§. 376. Quibus heredibus igitur emolumenta in eo temporis interuallo ex hereditate percepta omnia vna cum hereditatis ſubſtantia ſunt exhibenda.

§. 377. Attamen non ſolum adminiſtrationis ſumtus, ſed omnia etiam, quae in partus commodum et ad ſuſtentandam matrem ex hereditate eiusque emolumentis ſunt impenſa, iis imputanda.

§. 378. Si partus viuus editus non omnes reliquos eſſet excluſurus, ſed cum aliis ſimul hereditatem participaturus, heredes reliqui petere ſibi poſſunt hereditatem adminiſtrandam.

§. 379. At ventris curatorem in eo adhibere debent, et, in adminiſtrando, limitationibus tenentur iisdem, quae hereditatis curatori §. 373 et 374. ſunt praeſcriptae.

§. 380. Hereditatis autem diuiſio differenda, donec conſtet, an partus viuus ſit editus.

§. 381. Adminiſtrationis atque alimentationis ſumtus partus et matris eius hoc quoque in caſu ſine diſcrimine, vtrum ille viuus prodeat, an minus, de tota maſſa ante diuiſionem detrahuntur.

§. 382. Plures ſimul ad hereditatem vocati eius ſiunt condomini. (Tit. XVII. Sect. II.)

Source : BIU Cujas

§. 383. Cuique, cui hereditas eſt delata, eſt electio, an hereditatem cum iuribus et obligationibus ante adductis adire velit, an repudiare. De termino deliberandi.

§. 384. Ad iſtam declarationem conceditur ei hebdomadum ſex terminus a tempore, quo ſibi delatam ſciuit hereditatem.

§. 385. Heredi, cuius domicilium quadraginta milliariis ab vltimo hereditatem relinquentis domicilio diſtat, terminus trium conceditur menſium.

§. 386. Intra hunc terminum heres petitiones creditorum hereditatis neque conteſtari, neque actiones ab hereditatem relinquente aut contra eum inſtitutas continuare tenetur.

§. 887. At creditores tamen in caſibus omnibus, vbi arreſtum ex legibus admittitur, vt obſignetur hereditas, petere poſſunt.

§. 388. Heres ipſe intra deliberandi temporis ſpatium poteſt ſuſcipere in hereditatis vtilitatem facta, quae non poſſunt differri.

§. 389. Cui libera eſt rerum ſuarum adminiſtratio, is tantum de adeunda vel repudianda hereditate ſe declarare legitime poteſt. De additione et repudiatione hereditatum in genere.

§. 390. Si heres ſub tutela eſt aut cura, declaratio a tutore vel curatore eſt interponenda.

§. 391. Si delationis tempore de heredis bonis creditorum concurſus eſt formatus, ad legitimam declarationis vim requiritur curatoris auctoritas et conſenſus iudicii, concurſum dirigentis.

§. 392. Quae quidem declaratio in genere, requiſitis legitimae voluntatis declarationis omnibus praedita ſit neceſſe eſt, et in eo iudicio fiat, cuius iurisdictioni hereditatem relinquens poſtremo fuit ſubiectus. (Tit. V. §. 133.)

§. 393. At declaratio eo, quod errore in iudicio non competente eſt facta, legitimis effectibus nondum deſtituitur, quatenus heres, meliora edoctus (informatus) ſtatim eam loco idoneo attulit.

Source : BIU Cujas

§. 394. Praeter reſeruationem, infra §. 420. ſeqq. definitam, declarationi conditiones aliae, quae legitimos habeant effectus, adiici nequeunt.

§. 395. Et ad totam hereditatem, non ad eius partem tantum, declaratio debet ſpectare.

§. 396. Declarationes, in quibus contra haec praecepta (§. 394. 395.) eſt actum, pro non factis habentur. (§. 427.)

§. 397. Herede ante praeterlapſum deliberandi tempus mortuo, heredibus eius ad declarationem de adeunda hereditate prima idem terminus eſt concedendus, qui iis conceditur, intuitu delationis ſecundae.

De hereditatis repudiationibus ſ. renunciationibus.

§. 398. Hereditatis repudiatio ſemper in iudicio a repudiante, vel in perſona, vel ſcripto propria manu ſubſcripto, declaretur, neceſſe eſt.

§. 399. In caſu vltimo ſubſcriptio iudicialiter, aut per iuſtitiae commiſſarium fide munienda.

§. 400. Licet haec forma fuerit neglecta, at doceri poteſt, declarationem allatam repudiantis voluntati eſſe conſentaneam, declaratio tamen forma neglecta vim ſuam non amittit.

§. 401. Heredi in teſtamento valido inſtituto non licet, hereditatem ex teſtamento repudiare, et hereditatem relictam tanquam heres legitimus occupare.

§. 402. Si vero defuncti diſpoſitione legitimae ipſi debitae facta eſt deminutio, ad eam exhibendam aut ſupplendam agere poteſt. (Part. II. Tit. II. Sect. V.)

§. 403. Hereditatis repudiatio ſ. renuntiatio non complectitur renuntiationem eorum iurium, quae heredibus ex alia cauſa in hereditatem competunt.

§. 404. Hinc qui hereditatem repudiat, (ſucceſſioni renuntiat) eo non renuntiat feudis a teſtatore ipſi delatis, fideicommiſſis, aut aliis reifamiliaris portionibus, ex pactis aut ex legibus, nulla heredis qualitatis ratione habita, ipſi competentibus.

Source : BIU Cujas

§. 405. Qui hereditati teſtamento ipſi delatae renuntiat, eo nondum amittit ius ſuum ſuccedendi ex pactis quaeſitum.

§. 406. Quatenus heres hereditati legitime renuntiat, in eius locum ſuccedit is, quem legitima hereditatem relinquentis voluntas, vel ea deficiente, leges tanquam heredi proximum vocant.

§. 407. Si, quis ſit hic proximus, conſtet, iudex eum de repudiatione ſubſecuta certiorem facere debet; ſin minus, praecepta §. 471. ſeqq. locum inueniunt.

§. 408. Cui hereditas repudiatione (renuntiatione) alterius ſubſecuta demum defertur, huic ad deliberandum, an velit hereditatem adire, an minus, iidem, qui heredi primo, termini ſunt concedendi a die, quo ſciuit, hereditatem ab altero repudiatam ſibi eſſe delatam.

§. 409. Leges ſupra dictae (§. 406-408.) non ſolum in prima repudiatione ſed et in ſubſequente quauis ſunt obſeruandae.

§. 410. Repudiatione autem ab vno herede non expreſſe in fauorem heredis eum ſubſequentis facta, hereditatis creditoribus ius eſt, ſecundum praecepta, in ordinatione concurſus propius definita, ad concurſum de hereditate relicta formandum agendi.

§. 411. Hereditatis repudiatio legitime declarata reuocari ſub praetextu nullo poteſt.

§. 412. Contra et heres, qui hereditatem ſemel adiit, aut intra legitimum deliberandi ſpatium voluntatem plane non declarauit, in tertii detrimentum repudiare eam non amplius poteſt.

§. 413. Hereditatis aditio vel cum reſeruatione beneficii inuentarii conficiendi fieri poteſt, vel ſine ea. De aditione hereditatis ſine reſeruatione;

§. 414. Declaratio, ſe velle hereditatem ſine reſeruatione adire, perſpicuam et definitam huius beneficii renuntiationem in ſe contineat, neceſſe eſt.

§. 415. Et quidem ad formam in §phis 398. et 399. praeſcriptam in ea eſt attendendum.

Source : BIU Cujas

§. 416. Heres, qui eiusmodi declarationem dedit ante legitimum deliberandi terminum praeterlapsum, reuocare eam quidem potest, sed tantum vsque ad decursum huius termini, et non nisi in iudicio.

§. 417. Quod si vero de hereditatis substantia dispossuit, reuocatio declaratae voluntatis locum non amplius habet.

§. 418. Qui hereditatem sine reseruatione adiit, eum postulata praestare omnia oportet.

§. 419. Neque exceptione, aes alienum excedere hereditatis bona actiua, a satisfactione vnquam tueri se potest.

cum reseruatione.

§. 420. Qui de hereditate ita disponit, vt clare appareat animus, se eam velle non per aliquod tantum tempus administrare, sed tanquam heredem verum sibi acquirere, aequiparatur illi, qui hereditatem cum beneficio inuentarii conficiendi expresse adiit.

§. 421. Idem de eo valet, qui intra legitimos deliberandi terminos se non declarauit.

§. 422. Qui hereditatem saluo tantum inuentarii conficiendi iuris beneficio adiit, ad satisfaciendum postulatis non nisi in tantum tenetur, in quantum hereditatis substantia sufficit.

§. 423. Eiusmodi heres beneficiarius plenum inuentarium hereditatis conficere, et in iudicio, licet obsigillatum (obsignatum) tantum, deponere tenetur.

§. 424. Quae depositio intra sex menses post elapsum declarandi terminum (§. 384. 385.) fiat, necesse est.

§. 425. Quod si hereditas copiosior sit et implicatior, iudex ab herede imploratus, causa cognita, terminum ad inuentarium exhibendum prorogare potest.

§. 426. Neque minus petente vel vno creditore hereditatis aut legatario, pro modo circumstantiarum et hereditatis qualitate, terminum breuiorem praefigere iudici licet.

§. 427. Qui intra terminum, legibus aut a iudice definitum, inuentarium non rite exhibuit, iuris bene-

Source : BIU Cujas

ficio priuatur, et pro eo habetur, qui ſine reſeruatione hereditatem adiit. (§. 418. 419.)

§. 428. Heres vero beneficiarius, quem neglecti termini breuioris, a iudice (§. 426.) definiti, incommodum afficere debet, legitime audiatur neceſſe eſt.

§. 429. Qui vrgente vel vno tantum creditore aut legatario iuris beneficio priuatus declaratur, is eo neque contra creditores et legatarios reliquos poteſt vti.

§. 430. Tutores et curatores pupillos quidem et curandos iuris beneficio priuare terminos negligendo non poſſunt;

§. 431. A iudiciis autem ad rite edendum inuentarium ſub poena et executione ſunt adigendi.

§. 432. Alii rerum alienarum adminiſtratores negligentia ſua principali nocent; at non huic ſolum ob damnum inde oriundum, ſed etiam hereditatis creditoribus ob ſubſtantiam (maſſam) obſcuratam tenentur.

§. 433. Inuentarium §pho 423. obſignatum exhibitum non licet reſignare, antequam heres contra creditorum quendam aut legatariorum ad iuris beneficium prouocat.

De inuentario.

§. 434. Quoduis inuentarium plenam, quantum fieri poteſt, continere debet conſignationem omnium bonorum ad hereditatem pertinentium, et poſtulatorum, in quantum vtraque conſignationis tempore et ex cognitionibus et percontationibus, in conficiendo inuentario inſtitutis, innotuerunt.

§. 435. Denominatio pretii bonorum, (valoris ſubſtantiae rerum) aut eiusmodi eorum deſcriptio, ex qua pretium, ſi opus fuerit, propius definiri poſſit, in quouis inuentario eſt neceſſaria.

§. 436. Heredi in regula competit electio, vtrum inuentarium velit auctoritate iudiciali conſignari, an ipſe conficere.

§. 437. Si vero hereditas, creditoribus petentibus, in eorum ſecuritatem iudicialiter eſt obſignata, (§. 387.) aut ſi creditores docere poſſunt, rationes eſſe

Source : BIU Cujas

probabiles metuendi, vt hereditas ſufficiat, inuentarium, his vrgentibus, auctoritate iudiciali eſt conficiendum.

§. 438. Et inuentaria priuata ad formam a prouincialibus iuſtitiae collegiis cuiusque prouinciae praeſcriptam ſunt conficienda.

§. 439. Quodſi inuentario priuato requiſita in §. 434. 435. praeſcripta ita deſint, vt verus hereditatis ſtatus eo determinari nequeat, contra heredem praeceptum §. 427. locum habet.

§. 440. Inuentarium priuatum quoduis petentibus iis, quorum intereſt, a conficiente iureiurando eſt confirmandum.

§. 441. Et inuentarium iudiciale heres iureiurando confirmare debet, ſi obſignatio vel nulla eſt facta, vel ab eo demum petita praeterlapſis iam viginti quatuor horis ab eo tempore, quo hereditatem relinquens eſt mortuus, aut eius mors ipſi innotuit.

§. 442. Contra inuentarium quodcunque ille, cuius intereſt, ſi ad inuentarii confectionem non fuit citatus, vel confectioni non interfuit, proferre monita et illuſtrationes poſtulare poteſt.

Limitationes iurium heredis beneficiarii.

§. 443. Qui hereditatem ſaluo tantum iuris beneficio adit, non niſi limitatum hereditatis dominium ſibi acquirit.

§. 444. Hinc hereditatis creditoribus, contra quos exceptione iſta vti velit, de hereditate atque de eius adminiſtratione et emolumentis atque fructibus rationem reddere ipſum oportet.

445. At iis tamen non niſi ad culpam latam et leuem praeſtandam tenetur.

§. 446. Diſpoſitiones eius de hereditate intuitu tertii, qui bona fide cum eo tractauit, vſque eo ſunt validae, quoad ipſi auctoritate iudiciali non ſunt praeſcripti limites, creditoribus petentibus.

§. 447.

Source : BIU Cujas

§. 447. At quamdiu fundum relictum tanquam heres beneficiarius tantum possidet, de eo in detrimentum creditorum hereditatis disponere valide nequit.

§. 448. Hinc in consignando titulo, ex quo eiusmodi fundum possidet, simul libro hypothecario inferenda est limitatio, se tantum possidere tanquam heredem beneficiarium.

§. 449. Dispositionem illimitatam tunc demum acquirit, si se heredem absque beneficio profitetur; aut si sententiam, qua creditores hereditatis ignoti ab ea sunt praeclusi, producit, et creditorum notorum assensum docet, vel satisfactionem.

§. 450. Si consignatione §. 448. praescripta non facta, tertius bona fide, libro hypothecario confisus, cum herede in iudicio de fundo tractauit, tractatus sunt validi.

§. 451. Heres, qui eo modo in detrimentum hereditatis creditorum de fundo disposuit, et herede opibus egente iudex, qui consignationem, secundum §. 448. procurandam, culpa sua lata aut leui neglexit, tenetur iis, quorum interest.

§. 452. Heres etiam beneficiarius hereditatis ad solutionem praestandam creditoribus eo tantum ordine tenetur, quem leges pro postulatorum (praetensionum) eorum qualitate praescribunt.

§. 453. Heres, qui hereditatem, nonnullis hereditatis creditoribus soluendo, ita exhaurit, vt ea ad satisfaciendum iis, quibus leges praecipuum locum assignant, non sufficiat, contra praecipuos istos creditores inuentarii beneficio tueri se nequit.

§. 454. Quin potius ex bonis propriis in tantum iis satisfacere debet, quantum accepturi fuissent hereditate inter creditores omnes ordine legitimo diuisa.

§. 455. Heredi, contra eiusmodi satisfactionem metuendam se tutum reddituro, rogare est liberum, vt liquidationis hereditariae processus instituatur.

Source : BIU Cujas

§. 456. Quae hic ſint obſeruanda, in proceſſus ordinatione ſunt praeſcripta.

De heredibus falſis.

§. 457. Qui neque a iudice, neque a legibus ad hereditatem vocatus in hereditatis alienae adminiſtrationem ſe intrudit, et heredi et creditoribus de damno omni, vel culpa leuiſſima orto, reſpondere debet.

§. 458. Qui in adminiſtratione gerenda perfidiae ſuſpicionem in ſe excitauit, aut ſubſtantiam bonis ſuis ita commiſcuit, vt verum hereditatis pretium certo erui non amplius poſſit, creditoribus et legatariis tanquam ipſe debens obligatur.

§. 459. Vero etiam heredi eum oportet exhibere hereditatis reſiduum, quod probabiliter eſt reliquum, atque heres admittitur ad confirmandam iureiurando ſummam, a iudice pro rerum circumſtantiis moderandam.

De hereditatibus, quarum heres eſt ignotus.

§. 460. Defuncti hereditatis herede comparente nullo, obſignationem et alia, quae ad hereditatis ſecuritatem ſunt neceſſaria, procurare ex officio iudicem oportet.

De obſignatione.

§. 461. Idem obtinet, ſi heredes noti aut praeſumti omnes ſunt abſentes, aut ſi minores vel alii, qui rebus ſuis praeeſſe nequeunt, in eorum ſunt numero.

§. 462. Si vero defunctus reliquit coniugem in loco praeſentem, in regula obſignatio (obſigillatio) a iudice ſuſcipienda non requiritur, licet heredes nonnulli, vel omnes, abſentes ſint aut incapaces.

§. 463. Quin potius coniux ſuperſtes, hereditatem poſſidens, heredibus reliquis obligatur, ad proponendum inuentarium priuatum, idemque iis petentibus iureiurando confirmandum. (§. 440. 442.)

§. 464. Officia iudicis de publicando teſtamento loco ſuo ſunt definita. (Tit. XII. §. 208. ſeqq.)

Source : BIU Cujas

§. 465. Si notus quidem ſit heres, at vero eius domicilium intra tres menſes a mortis die eius, qui hereditatem reliquit, non exploratum; heres eiusque agnati proximi publica promulgatione ad comparendum in iudicio et ad obſeruanda iura ſua ſunt citandi. Quid ſit faciendum, ſi tantum domicilium heredis,

§. 466. Cuius quidem promulgationis finis nullus, niſi vt exiſtentia hereditatis atque iura, heredi eiusque familiae in eam competentia, quantum fieri poteſt, in eorum perueniant notitiam.

§. 467. Hinc iudicis prudentis arbitrio relinquitur etiam publicationis ratio et modus, quo ea fieri pro circumſtantiis eum in finem optime poſſit.

§. 468. Caeterum heredi abſenti, niſi curatorem iam habeat, eiusmodi curator ſine mora conſtituendus.

§. 469. Qui quidem, quod ad hereditatis aditionem eiusque adminiſtrationem attinet, explere debet officia, curatoribus generatim praeſcripta.

§. 470. De citatione abſentis, de cuius domicilio et vita nihil conſtat, eum in finem, vt mortuus declaretur, ſuo loco (Part. II. Tit. XVIII. Sect. VIII.) ſancita ſunt neceſſaria.

§. 471. Si plane ignotum eſt, quis heres ſit, iudex, tribus praeterlapſis menſibus a mortis die eius, qui hereditatem reliquit, vel, ſi hereditatis ratio poſtulet, etiam ante hoc tempus elapſum heredi curatorem conſtituat. ſi quis ſit heres, ignotum ſit.

§. 472. Qui intuitu hereditatis adeundae et inuentarii conficiendi iura heredis ignoti obſeruare debet.

§. 473. Ratione adminiſtrationis hereditatis eiusmodi etiam curatori iura quidem ſunt et obligationes curatorum in genere;

§. 474. At, quantum fieri poteſt, in eo curam collocare debet omnem, vt hereditas conſeruetur in ſtatu eodem, quo fuit tempore mortis hereditatem reliquentis.

Source : BIU Cujas

§. 475. Hinc fundos vendere nullos, pecunias ſ. fortes bene collocatas nullas repetere, negotia noua nulla ſuſcipere, et res mobiles eatenus tantum alienare ipſi licet, quatenus res, quae per longum tempus conſeruari nequeunt, eſſent perituraе, vel impenſae ad eas conſeruandas neceſſariae pro rerum pretio modum exceſſurae.

§. 476. In primis vero quam maxime debet niti, vt heredem verum exploret et detegat.

§. 477. Omni opera fruſtra adhibita, ignotus heres, eiusque heredes, aut cognati proximi, publice ſunt citandi.

§. 478. Quae quidem citatio in regula, praeterlapſis tribus menſibus aliis a die, quo curator conſtitutus, fieri debet.

§. 479. Iudex tamen terminum prorogare poteſt, ſi adhuc ſpes ſit, heredem alio modo percunctando explorandi.

§. 480. In citatione ipſa obſeruanda ſunt ordinationis proceſſus praecepta de citatione edictali abſentis, de cuius vita et domicilio nihil conſtat.

§. 481. Herede nullo in termino praefixo comparente, hereditas tanquam res nullius fiſco cedit. (Part. II. Tit. XV. Sect. II.)

De legitimatione heredis.

§. 482. Si ante terminum praefixum vel in eo heres comparet, ius ſuum hereditarium docere iudicem debet.

§. 483. Eadem obligatio, et praeter caſum citationis publicae, heredi cuilibet incumbit, cuius ius hereditarium non ſatis liquet.

§. 484. Si, qui heredem ſe profitetur, ius ſuum ex iure ſuccedendi legitimo deducit, agnationis, quae cum defuncto ipſi interceſſit, gradum accurate definiat, et legitime probet neceſſe eſt.

§. 485. Deinde iudex inquirendo cognoſcere debet; an praeſumtiones exiſtant, adeſſe adhuc propioris aut eiusdem gradus agnatos.

Source : BIU Cujas

§. 486. Eiusmodi praesumtiones si non sint, hereditas ei tradenda, qui se heredem est professus, sub praestanda assertione, tanquam iurata, nullos propioris aut eiusdem gradus agnatos hereditatem relinquentis ipsi esse notos.

§. 487. Praesumtiones autem eiusmodi si existant, inter eum, qui se heredem est professus, et hereditatis curatorem iam constitutum aut adhuc constituendum, accuratius sunt cognoscendae.

§. 488. Ad quam cognitionem an praeter publicam hereditatis promulgationem (§. 477. seqq.) singularis necessaria sit citatio publica propioris aut eiusdem gradus agnatorum, qui existere adhuc praesumuntur, pro circumstantiarum ratione iudicis arbitrio reseruatur.

§. 489. Si quidem apparet, propioris aut eiusdem gradus agnatos adfuisse, sed incertum est, an adhuc viuant, ratio est habenda principii in primo titulo §. 38. praescripti.

§. 490. Heres, qui ex praecepto §phi 484. heredem se legitimum probauit, in regula petere potest, vt per temporis interuallum ipse hereditatis curator constituatur, et eo quidem nomine hereditas ipsi tradatur administranda.

§. 491. At iudici tamen est integrum, si sint praesumtiones graues, heredem se professo obstantes, aut si hic ad eas pertinet personas, a quibus in processibus cautio de expensis praestanda, hereditatis administrationem curatori, iam constituto, continuandam concedere, aut cautionis praestationem postulare.

§. 492. Praesumtionibus autem de propioris aut eiusdem gradus agnatis, pro iudicis arbitrio satis remotis, hereditas ei, qui se heredem est professus, et esse legitimum probauit, ita conceditur, vt de ea pro lubitu disponat.

Source : BIU Cujas

§. 493. De legitimatione heredis, ſuccedendi ius ex pactis aut vltima voluntatis declaratione deducentis, neceſſaria ſuo loco ſancita. (Tit. XII. §. 242. ſq.)

De effectibus praeclusionis heredis ignoti.

§. 494. Heredes, contra quos, citatione publica antecedente, praeclusionis ſententia eſt lata, inde quidem, quamdiu tempus praeſcriptionis nondum eſt praeterlapſum, ſuccedendi iure ipſo non priuantur;

§. 495. At omnibus diſpoſitionibus, ab hereditatis poſſeſſore reſpectu tertii de ea factis annuere debent.

§. 496. Quatenus vero hereditatis poſſeſſor ex hereditate aliquid mera liberalitate, ſiue inter viuos ſiue mortis cauſa, in tertium tranſtulit, quod in accipientis adhuc eſt poteſtate, aut hic in emolumenti eo percepti poſſeſſione adhuc re vera verſatur, eatenus tantum heres verus eiusmodi rem aut ſummam repetere ab eo poteſt.

§. 497. Iura heredis poſt praecluſionis ſententiam comparentis, contra hereditatis poſſeſſorem ipſum ſecundum praecepta tituli ſeptimi ſunt definienda, prout hic bonae fuit aut malae fidei poſſeſſor.

§. 498. At bonae quoque fidei hereditatis poſſeſſor, qui ſubſtantiam omnem, aut ex parte pretio alienauit, heredi vero ad ſatisfaciendum de pretio pro ea accepto tenetur.

§. 499. Si vero per iſtam reſtitutionem, in eam egeſtatem detruderetur, vt pro conditionis atque ordinis dignitate tueri ſe non poſſet, prouocare ad competentiae beneficium poteſt.

Sectio Nona.

De praeſcriptione.

Definitio.

§. 500. Si per temporis praefiniti lapſum, ob exercitium certorum iurium omiſſum, mutatio in iſtis iuribus vi legum oritur, adeſt praeſcriptio.

Source : BIU Cujas

§. 501. Per praeſcriptionem aeque poſſunt extingui iura, quae quis habuit, quam noua poſſunt acquiri. Diuiſio.

§. 502. Si per praeſcriptionem ius tantum amitti, et obligatus obligatione, ex iure fluente, liberari debet, in regula ſolus iuris non-vſus ſufficit.

§. 503. Sin vero per praeſcriptionem ius nouum debet acquiri, praeter non-vſum iuris obſtantis etiam poſſeſſio et exercitium iuris huius noui ex parte acquirentis requiritur.

§. 504. Dominii iura per non-vſum non extinguuntur, quoad res aut ius, quod eſt dominii obiectum, in domini eſt poſſeſſione. Obiecta.

§. 505. Iura libertatis naturalis aut ciuium communis, quibus legibus aut legitimis voluntatis declarationibus certa forma aut definitio nulla data, (res merae facultatis) ſola vſus eorum omiſſione non extinguuntur.

§. 506. Id quod in primis valet de iure, in re ſua propria faciendi aut non faciendi aliquid, de quo leges nihil in ſpecie praefiniunt.

§. 507. At contra ea iura quoque acquiri poteſt prohibendi ius per praeſcriptionem. (Tit. VII. §. 86. 128.)

§. 508. Iura perſonalia in alium, item iura in res, quae ſunt in dominio alius, in regula non-vſu ſolo extingui poſſunt.

§. 509. Iuri quoque, annuas praeſtationes et reditus a perſona alia aut fundo eius poſtulandi, ſolo non-vſu poteſt praeſcribi.

§. 510. Praeſcriptioni vero locus non eſt, ſi vel ex declaratione eius, cui ius competit, intra tempus, quo currit praeſcriptio, facta, vel ex ratione temporum, ex ſtatu obligatorum, vel ex aliis circumſtantiis clare apparet, praeſtationum eiusmodi exactionem mera indulgentia eſſe omiſſam.

Source : BIU Cujas

§. 511. Iura in rebus immobilibus conſtituta, in libris hypothecariis relata, neque extingui poſſunt per ſolum non-vſum, neque acquiri poteſt ius iis obſtans per praeſcriptionem ex poſſeſſione.

Principia generalia.

§. 512. Nulla praeſcriptionis ſpecies contra eum currere incipit, qui edoceri ius ſuum non potuit.

§. 513. Iuris ſui nullam notitiam conſequi potuiſſe nemo praeſumitur.

§. 514. Qui actum aut factum cognouit, quo ius ſuum nititur, ignorantiam effectuum legitimorum inde oriundorum praeſcriptioni nullo in caſu opponere poteſt.

§. 515. Inceptae praeſcriptionis curſus, eo non inhibetur, quod ius tempore interiecto tranſiit ad poſſeſſorem, eius ignarum.

§. 516. Neque contra eum incipere poteſt praeſcriptio, qui impeditur, quo minus iure ſuo vtatur aut illud perſequatur.

§. 517. Neque inde diſcrimen exoritur; vtrum impedimentum natura et qualitate iuris ipſius contineatur, an extrinſecus exoriatur.

§. 518. Quamdiu quis reipublicae vſui inſeruiens in terris exteris commoratur, tamdiu contra eum nulla incipit praeſcriptio.

§. 519. Aduerſus fundi dominum, dum reipublicae vſui inſeruiens vel in aliis tantum verſatur prouinciis regiis, nulla poteſt incipere praeſcriptio hunc fundum afficiens.

§. 520. At poteſt incipere praeſcriptio contra eiusmodi abſentem, (§. 518. 519.) ſi intra tempus, quo reipublicae vſui inſeruiens vel apud exteros vel in prouincia regia alia verſatur, in patriam aut prouinciam, in qua ſitus eſt fundus, vel ad tempus tantum, reuertitur.

§. 521. In detrimentum praedii domini nulla praeſcriptio contra eius conductorem initium capit, at omnino contra oeconomiae adminiſtratorem.

Source : BIU Cujas

§. 522. Aduerſus milites, quos loca ſtatiua relinquere belli cauſa oportet, praeſcriptio demum poteſt incipere bello finito, aut belli tempore poſt eorum ex militia dimiſſionem.

§. 523. Quod ad perſonas alias attinet, bellum aliaeque calamitates, terras infeſtantes, praeſcriptionis initium eatenus tantum impediunt, quatenus cum iſtis iuſtitium (iurisdictionis intermiſſio, ſilentium iudiciorum) eſt coniunctum.

§. 524. Inter coniuges matrimonio ſubſiſtente nulla praeſcriptio poteſt incipere.

§. 525. Neque inter patres et liberos, dum hi in patria ſunt poteſtate.

§. 526. Tutor aut curator contra pupillum aut minorem praeſcriptionem incipere nequit, dum tutoris aut curatoris officio fungitur.

§. 527. Neque conductor, adminiſtrator aut alius rei poſſeſſor minus plenus, huius rei praeſcriptionem contra eum, cuius nomine poſſidet, in rei ſuae propriae vtilitatem poſſeſſionis tempore incipere poteſt.

§. 528. Contra eum, qui in perſequenda iuris via impeditur, praeſcriptio nulla incipit.

§. 529. Quod ſi eiusmodi impedimentum in praeſcriptionis curſu incidit, praeſcriptio interrumpitur, dum impedimentum durat.

§. 530. At contra, impedimentis aliis, poſt coeptam iam praeſcriptionem demum incidentibus, praeſcriptionis curſus non impeditur.

§. 531. Tempore vero praeſcriptioni praefinito iam praeterito, antequam remotum fuit impedimentum interea ortum, impeditus intra quatuor adhuc annos ab impedimenti remoti tempore contra praeſcriptionem conſummatam petere poteſt reſtitutionem in priſtinum ſtatum.

§. 532. Impedimento quidem ante praeſcriptionem conſummatam, at demum intra quatuor vltimos annos remoto, impedito quoque competit reſtitutio

Source : BIU Cujas

in integrum intra ſpatium quatuor annorum, poſt impedimentum remotum.

§. 533. Illo, contra quem currit praeſcriptio, ante impedimentum remotum aut ante quadriennium abſolutum mortuo, reſtitutionis in integrum beneficium et temporis ſpatium, quod reſtat, ad heredem tranſit.

§. 534. Cuius beneficii effectus is eſt, vt opponi praeſcriptio nequeat illi, qui intra terminum definitum eo beneficio vtitur atque ius ſuum rite exercet, aut perſequitur.

I. De praeſcriptione ex non-vſu. Eius initium.

§. 535. Praeſcriptio ex ſolo non-vſu contra pupillos et minores, durante minori aetate, (minorennitate) non incipit.

§. 536. Si vero ius quoddam praeſcriptione iam coepta in pupillum tranſit, aut minorem, cui tutor aut curator eſt conſtitutus, curſus praeſcriptionis eo non impeditur.

§. 537. Quod ſi vero praeſcriptio intra minoris aetatis tempus conſummatur, minori competit reſtitutio in integrum intra quatuor annos, poſt finitam curam. (§. 531.)

§. 538. Praeſcriptione ex non-vſu contra minorem conſummata, huius heredes, licet ipſi ſint impuberes, aut minores, at tutor iis aut curator ſit conſtitutus, non ex ſua ſed ex hereditatem relinquentis tantum perſona reſtitutionem in integrum petere poſſunt.

§. 539. Hinc iis illud tantum temporis ſpatium competit, quod teſtator ſuperſtes ab impetratae maioris aetatis die habiturus fuiſſet.

§. 540. Furioſi et mente capti, muti ſurdique ſimul, ratione praeſcriptionis, omnibus minorum iuribus fruuntur.

§. 541. Simulac abſenti curatorem conſtituere viſum eſt neceſſarium, ex hoc tempore nulla praeſcriptio per non-vſum contra abſentem incipit.

§. 542. Prodigi proprie tales, licet ſint ſub cura, hoc priuilegium petere nequeunt.

Source : BIU Cujas

§. 543. Reſpectu iurium, quae data tantum occaſione certa poſſunt exerceri, praeſcriptio ex eo demum tempore incipit, quo eiusmodi occaſio ſe obtulit.

§. 544. Quae iura ſi extingui debent ſolo non-vſu, inde a praeſcriptionis initio occaſiones, quibus ius exerceri potuit, duas minimum fuiſſe oportet.

§. 545. Ad alia iura quod attinet, praeſcriptio incipit a die, quo obligationis implementum primum poſtulari potuit.

Temporis ſpatium.

§. 546. Praeſcriptio ex non-vſu coepta, niſi leges alium expreſſe terminum definiant, triginta annorum ſpatio conſummatur. (§. 629. ſeqq.)

§. 547. Die temporis determinati praeterlapſo vltimo ſemper finitur.

§. 548. Dies annis intercalaribus accedentes praeſcriptionis tempus non mutant.

§. 549. Si praeſcriptio incepit anni intercalaris Februarii die nono et vigeſimo, vltimo Februarii die conſummatur anni, praeſcriptionis tempus finientis.

§. 550. Si praeſcriptionis tempus menſibus eſt determinatum, toties numerantur dies triginta, quot praefiniti menſes.

Interruptio.

§. 551. Ab eo temporis momento, quo quis iudici competenti actionem offert, praeſcriptio ex non-vſu interrumpitur.

§. 552. Actio iudici non competenti oblata praeſcriptionem tantum interrumpit, ſi reiectione ſubſecuta intra anni vnius ſpatium iudici competenti fuit oblata.

§. 553. Si autem iudex non competens actionem accipiendo, actoris errorem confirmauit, praeſcriptio pro interrupta cenſenda.

§. 554. Si actio legitime inſtituta non ſecundum legum praecepta continuatur, ex eo die, quo actor perſequi actionem potuiſſet atque debuiſſet, contra eum noua incipit praeſcriptio.

Source : BIU Cujas

§. 555. Quamdiu autem ex iudicis tantum culpa in re nihil agitur, praeſcriptio currit nulla.

§. 556. Contra actorem, iudicis decreto reiectum, et iuris beneficiis contra decretum interponendis intra dies triginta non vſum, delapſo hoc termino noua incipit praeſcriptio.

§. 557. Si ſententia, qua eſt reiectus, culpa ſua vires rei iudicatae eſt nacta, mutari res nequit.

§. 558. Et licet ius actione petitum, ſententia, vires rei iudicatae nacta, actori re vera fuerit adiudicatum, nihilominus tamen contra eum noua praeſcriptio ex non-vſu incipere poteſt.

§. 559. Qua ſolutiones aut praeſtationes, certo tempore, aut occaſione certa praeſtandas nouae praeſcriptionis initium ab iſto die ducitur, quo primum debebatur ſolutio aut praeſtatio.

§. 560. Qua iura alia praeſcriptio noua initium demum capit anno praeterlapſo inde ab eo die, quo ſententia vires rei iudicatae eſt nacta.

§. 561. Admonitio mera extraiudicialis ad praeſcriptionem interrumpendam ſola non ſufficit.

§. 562. At mutua iuris agnitione ſemper interrumpitur praeſcriptio.

§. 563. Ex eiusmodi interruptionis tempore praeſcriptio tamen de nouo poteſt incipere.

§. 564. Praeſcriptione iam conſummata, extincti iuris agnitio praeſcriptionis effectus eatenus tantum tollit, quatenus ex hac agnitione ſecundum leges nouum iuris fundamentum exoritur.

Pacta de praeſcriptione.

§. 565. In genere ex partium arbitrio pendet, in pacto contrahendo praeſcriptioni et iuribus inde oriundis ante renuntiare; et ei terminos etiam conſtituere legitimis breuiores aut longiores.

§. 566. Eiusmodi tamen pactum, ſub poena nullitatis conuentionis in iudicio eſt proclamandum (promulgandum, *verlautbaren*) et, ſi fundum ſpectat, aut ius

Source : BIU Cujas

in re conſtitutum, in libros de fundis et hypothecis iudiciales eſt referendum.

§. 567. Pacta huius generis, quae negotium definitum aut obiectum definitum non ſpectant, legitimis effectibus deſtituuntur, quatenus quid definire de praeſcriptione debent.

§. 568. Praeſcriptio conſummata ex non-vſu legalem producit praeſumtionem, obligationem olim exortam tempore interiecto vno modo aut alio fuiſſe extinctam. Effectus praeſcriptionis.

§. 569. Quae quidem praeſumtio infirmari tantum poteſt probatione plena, obligationem adhuc durare, et alterum mala fide et quam optime ſcientem ſe velle eius implemento ſubducere.

§. 570. Qui iuris ſui partem exercet, eo totum ſibi conſeruat.

§. 571. At contra, iurium plurium in ſe diuerſorum, etſi ex vno eodemque iuris fundamento oriundorum, alterum per praeſcriptionem poteſt extingui, licet alterum exercitio continuato conſeruetur.

§. 572. Poſſeſſor, qui ius ſuum exercere modo diuerſo poteſt, in iure ſuo eo non reſtringitur, quod huc vſque vno tantum exercitii modo fuerit vſus.

§. 573. Ius in fundo alieno, reſpectu totius eo non amittitur, quod eius exercitium huc vſque in certa tantum fundi parte factum.

§. 574. Si in vtroque caſu (§. 572. 573.) ille, cui ius competit, in modo exercitii, aut intuitu circuitus, in quo ius exercetur, praeſcriptione limitari debeat, neceſſe eſt, vt obligatus aut tertius poſſeſſionem iuris prohibendi contra eum acquiſiuerit, atque per praeſcriptionis tempus obtinuerit. (Tit. VII. §. 86.)

§. 575. Quod ad condominos iurium et i. rum indiuiduarum aut communi nomine poſſeſſarum attinet, illud, quod ſocii vnius intuitu praeſcriptionem impedit aut interrumpit, reſpectu eiusdem rei aut iuris reliquis etiam prodeſt.

Source : BIU Cujas

§. 576. At contra, vnus ex pluribus coniunctim obligatis, quorum obligatio ex vno eodemque iure oritur, praefcriptione nullo modo fe poteft defendere ea fola ratione, quod ius contra eum non fuerit exercitum.

§. 577. Cui fi debeat prodeffe praefcriptio, requiritur, vt ipfe officii praeftationem illi, cui ius competebat, exactione facta recufauerit, et ius habens per legitimum temporis fpatium acquieuerit. (Tit. VII. §. 126.)

§. 578. Hinc neque ius contra totum corpus in genere exercitum amittitur in membra fingula propter eam cauſam ſolam, quod contra ea in ſpecie intra tempus legitime praeſcriptum ius illud non fuerit exercitum, ſed neceſſario requiritur, vt eius immunitatem modo §. 577. definito ſpeciatim acquifiuerint.

II. Praefcriptio ex poſſeſſione. Praefcriptio ordinaria.

§. 579. Praeſcriptio ex poſſeſſione locum habet in caſibus omnibus, quibus quis rem aut ius, ex titulo ad acquirendum dominium in ſe habili per tempus legibus definitum quiete et bona fide poſſedit.

§. 580. Ex eiusmodi poſſeſſione praeſcripta res et iura eatenus tantum acquiruntur, quatenus in genere dominium huius generis rerum et iurium poteſt tranſire in acquirentem.

§. 581. Res legibus ciuili commercio exemta praeſcriptione nulla poteſt acquiri.

§. 582. Eadem eſt ratio rerum diſpoſitionibus priuatis legitimis commercio exemtarum, quatenus iſtae diſpoſitiones obligare poſſunt acquirentem. (Tit. IV. §. 15-19.)

§. 583. Praeterea errore in rei qualitatibus praeſcriptio ex poſſeſſione non impeditur.

§. 584. Res et iura, quae quis vi aut furto in ſuam redegit poteſtatem, et in alium tranſtulit, ab hoc, licet bonae fidei ſit poſſeſſor, praeſcriptione ordinaria non poſſunt acquiri. (§. 648.)

Source : BIU Cujas

§. 585. Si vero poſſeſſor proxime antecedens rem aut ius bona fide iam poſſedit, exceptio, rem aut ius a tertio fuiſſe furto aut vi ablatum, praeſcriptionem non impedit.

§. 586. Qui poſſeſſorem antecedentem nominare nequit, contra eum in regula ſtat praeſumtio, rem eum acquiſiuiſſe ab eo, qui eam vi aut furto in ſuam redegit poteſtatem. (Tit. XV. §. 37-39.)

§. 587. Qui ob qualitatum perſonalium defectum dominii rerum certarum aut iurium acquirendi eſt incapax, idem ea neque per praeſcriptionem acquirere poteſt.

§. 588. A tempore demum incapacitatis remotae incipere poteſt praeſcriptio.

§. 589. Quidquid poſſeſſionis apprehenſionem in iuris ſenſu impedit, idem et initium praeſcriptionis ex poſſeſſione impedit. (Tit. VII. §. 96-108.)

§. 590. Quidquid initio praeſcriptionis in genere obſtat, idem et impedit huius ſpeciei praeſcriptionis initium. (§. 512. ſeqq.) Initium.

§. 591. Qui poſſeſſionem ex titulo ad acquirendum dominium inhabili aut mala fide acquiſiuit, nunquam poteſt praeſcriptionem ex poſſeſſione incipere. (§. 663.)

§. 592. In primis contra ſententiam, vires rei iudicatae nactam, is, in quem ea lata eſt, praeſcriptionem ex poſſeſſione incipere nequit.

§. 593. At contra, praeſcriptionis initium ex poſſeſſione non impeditur qualitatibus perſonalibus, propter quas praeſcriptio ex non-vſu initium capere nequit, (§. 535. 540. 541.)

§. 594. Si tamen contra eiusmodi perſonas praeſcriptionis tempus, ante impedimentum remotum, eſt praeterlapſum, iis reſtitutio in integrum contra praeſcriptionis ex poſſeſſione decurſum aeque competit, quam in praeſcriptione ex non-vſu. (§. 537. ſeqq.)

Source : BIU Cujas

§. 595. Atque etiam contra eos impuberes, minores, insanos aut mente captos et mutos surdosque simul, quibus secundum leges tutor erat vel curator constituendus, praescriptio ex possessione nulla potest incipere, dum curator non est datus.

Continuatio. §. 596. Si ius, quod solito exerceri potest, per praescriptionem ordinariam debet acquiri, exercitium eius post possessionis apprehensionem quotannis semel minimum fiat, necesse est. (§. 649.)

§. 597. Si eiusmodi ius per annum integrum plane non exercetur, praescriptio interea dormit.

§. 598. Annorum, intra quos ius quieuit, in computando praescriptionis spatio non habetur ratio.

§. 599. Initio et fine possessionis probato, exercitium possessi iuris tempore interiecto etiam continuatum fuisse praesumitur.

§. 600. At de vtroque temporis momento supra denominato requiritur probatio singularis, ad legum praecepta, plena et absoluta, aut adimpleta.

Interruptio. §. 601. Quidquid possessionem interrumpit, idem quoque praescriptionem interrumpit in ea fundatam. (Tit. VII. §. 111. sqq.)

§. 602. Si vero quis possessionem rei, a semet ipso derelictae, iterum apprehendit, antequam ab alio fuerat occupata, temporis interuallum, quo res in nullius fuit possessione, de praescriptionis tempore non deducitur.

§. 603. Per actionis oblationem, aut iudicialis protestationis interpositionem praescriptio ex possessione eatenus interrumpitur, quatenus eius insinuatio possessori facta eam est secuta.

§. 604. Possessori nihil prodest, si intra temporis spatium, quo oblata actio et subsecuta insinuatio, praescriptionis tempus consummatum sit.

§. 605. Si vero actor actionem recepit, aut progressum rei ita neglexit, vt iudex secundum leges ordi-

Source : BIU Cujas

ordinationis proceſſus, acta reponere iure potuerit, praeſcriptio pro non interrupta habenda.

§. 606. Idem obtinet, ſi actor aut proteſtans decreto reiectus, poſt decreti inſinuationem plus triginta diebus quieuit.

§. 607. At contra, actione aut proteſtatione poſſeſſori rite inſinuata, hic praeſcriptionem ea re interruptam iterare nunquam poteſt.

§. 608. In caſibus, vbi leges loco citationis ſolitae citationem edictalem admittunt, poſterior et hic in locum indicationis (notificationis) ſuccedit.

§. 609. Caeterum nihil inde diſcriminis, vtrum actio aut proteſtatio poſſeſſionem tantum ipſam, an poſſidendi ius etiam ſpectet.

§. 610. De actione coram iudice non competente inſtituta, aut de proteſtatione eidem oblata, praecepta §. 552. 553. locum obtinent.

§. 611. Actus extraiudiciales praeſcriptionem ex poſſeſſione eatenus tantum interrumpunt, quatenus poſſeſſionis iniuſtae poſſeſſorem conuincunt, aut plenam poſſeſſionem ipſam tollunt.

§. 612. Hinc merae pignerationes poſſeſſionem non interrumpunt, ſi pignoratione facta nihilominus exercitium iuris continuatur.

§. 613. Quilibet poſſeſſionis ſucceſſor, ſiue heres ſit, ſiue minus, anteceſſoris praeſcriptionem continuare poteſt, modo ipſius poſſeſſio bona ſit fide munita.

§. 614. Eiusmodi ſucceſſor praeter caſum §phi 584. praeſcriptionem etiam incipere poteſt, licet anteceſſoris poſſeſſio malae fuerit fidei.

§. 615. Quatenus quis mala fide ad poſſeſſionem rei peruenit, neque praeſcriptionem anteceſſoris continuare poteſt, neque praeſcriptionem nouam reſpectu huius rei incipere, non magis contra anteceſſorem ſuum in poſſeſſione, quam contra rei dominum.

Source : BIU Cujas

§. 616. Heredi, qui poſſeſſoris defuncti praeſcriptionem continuat, in computando temporis ſpatio legitimum etiam deliberandi tempus prodeſt.

§. 617. Ad nouam rerum in hereditate inuentarum praeſcriptionem incipiendam heres ſingulari titulo indiget nullo.

§. 618. Qui hereditatis poſſeſſionem mala fide acquiſiuit, is domino etiam rerum et iurium ſingulorum in ea comprehenſorum, opponere praeſcriptionem nequit.

§. 619. At malae fidei vitio reſpectu veri heredis ſublato, dominus rei ſingularis, quae eſt in hereditate, hoc vitium hereditatis poſſeſſori obiicere nequit; ſimulac ratione rei huius ſingularis fides mala nulla fuit.

Temporis ſpatium.

§. 620. Praeſcriptio ordinaria decem annorum ſpatio abſoluitur.

§. 621. Si vero is, contra quem praeſcriptio currit, extra prouinciam verſatur, quisque abſentiae annus putatur annus dimidius, aut menſes ſex.

§. 622. Prouinciae ambitum in ſenſu iuris definiunt fines geographici regionis, in qua iuſtitiae collegium prouinciale eſt conſtitutum.

§. 623. Abſentiae extra prouinciam, quae annum non durauit integrum continuum, in computando praeſcriptionis tempore nulla habetur ratio.

§. 624. In fauorem perſonarum moralium, iuribus corporationum gaudentium, decennii terminus ſemper duplicatur.

Praeſcriptio tricennalis.

§. 625. Qui plenus quidem bonae fidei eſt poſſeſſor, at titulum poſſeſſionis docere non poteſt, in eius fauorem praeſcriptio triginta demum annis abſoluitur.

§. 626. In hac praeſcriptione longiori temporis duplicatione non opus, licet is, cui obſtat, fuerit abſens.

§. 627. Atque hic quidem requiritur probatio, praeſcribentem rem aut ius tanquam ſuum proprium occupaſſe et poſſediſſe.

Source : BIU Cujas

§. 628. At contra probatio, occupationem originarie ex titulo, ad acquirendum dominium inhabili, esse factam, praescriptioni eatenus tantum nocet, quatenus ea simul possessionis mala fides est probata.

III. Infolitae praescriptiones ex non vsu et possessione.

§. 629. Contra fiscum, ecclesias atque alia corpora, quibus ex ipsorum priuilegiis paria iura sunt concessa, locus tantum est infolitae praescriptioni annorum quadraginta quatuor.

Praescriptio quadraginta quatuor annorum.

§. 630. Neque discrimen inde statuendum, vtrum possessio, ex qua praescriptio fluit, titulo nitatur, an minus.

§. 631. At contra, bona possessionis fides et in huiusmodi praescriptione requiritur.

§. 632. Atque etiam in praescriptione ex non-vsu fisci, ecclesiarum aliorumque corporum iura extinguuntur tantum annis quadraginta quatuor praeterlapsis.

§. 633. Sed hae personae morales ad hoc iuris beneficium prouocare tantum possunt ex iisdem fundamentis, ex quibus restitutio in integrum contra praescriptionem quamuis locum habet. (§. 512-534.)

§. 634. Quid in praescriptione bonorum domanialium et regalium iuris sit, suo loco est definitum. (Part. II. Tit. XIV.)

§. 635. Fiscus et alia corpora, quae paribus gaudent iuribus, priuilegiis respectu praescriptionis ipsis concessis tum quoque vti possunt, si vel is, cui praescriptio prodesse contra ea debeat, priuilegiis paribus est munitus.

§. 636. At contra ille, in quem ab eiusmodi persona aut corpore ius est translatum, in praescriptione suis tantum iuribus potest vti.

§. 637. Quatenus vero fiscus, tanquam antecessor considerandus, aut aliud eiusmodi corpus ad possessionem euincendam successori tenetur, eatenus fiscus et eiusmodi corpus contra praescribentem, in successoris fauorem, iuribus suis propriis vti possunt.

Source : BIU Cujas

§. 638. Qui itaque, exempli gratia, a fiſco rem emit, quae iam ex tempore, praeſcriptioni ordinariae ſufficiente, in tertii erat manibus; rem iſtam nihilominus repetere poteſt, ex iure venditoris ſui, ſi contra hunc venditionis tempore annorum quadraginta quatuor praeſcriptio nondum erat conſummata.

§. 639. Fiſcus, eccleſiae et alia eiusmodi corpora, quae in perſonae priuatae iura ſuccedunt, praeſcriptionem contra anteceſſorem iam conſummatam exceptione longioris temporis ſpatii, ipſis conceſſi, impugnare nequeunt. (Tit. XI. §. 405. 406.)

§. 640. In rebus et iuribus indiuiduis aut communi nomine poſſeſſis priuilegium fiſco, eccleſiae etc. conceſſum, prodeſt etiam compoſſeſſori iisdem priuilegiis non ornato.

Praeſcriptio ex poſſeſſione ab anno CIↃIↃCCXL.

§. 641. Rei aut iuris poſſeſſio plena quieta in anno CIↃIↃCCXL tuetur poſſeſſorem in omnibus caſibus a fiſci petitionibus.

§. 642. At hoc poſſeſſionis iure, in detrimentum aliorum reipublicae ciuium, vti nemini licet.

§. 643. Annus CIↃIↃCCXL a primo Ianuarii vsque ad vltimum Decembris putatur.

§. 644. Quod ad prouincias, in quibus annus eiusmodi normalis vel nullus vel alius locum habet, conſtitutiones hac de re editae (ſ. obſeruantiae hactenus extantes) valent.

§. 645. Ius quoque, quod in poſſeſſione anni CIↃIↃCCXL eſt fundatum, praeſcriptione ex non-vſu poſt hunc annum incepta, poteſt extingui.

§. 646. Si fiſcus, modo per ſe legitimo, anno CIↃIↃCCXL agnouit, alteri ius contra ſe competere, eiusmodi agnitio, eandem habet vim, quam vera poſſeſſio, licet exercitium in hoc anno re vera ſubſecutum doceri nequeat,

§. 647. At quod ad eum, qui neque eiusmodi agnitione gaudet, neque anno CIↃIↃCCXL ius re vera exercuit; curſus praeſcriptionis ex non-vſu

Source : BIU Cujas

iam ante contra eum inceptae, ſubſecuta anni huius normalis definitione non interrumpitur.

§. 648. Ad praeſcriptionem rerum furtiuarum et raptarum, quae ſecundum §. 584. a primo bonae fidei poſſeſſore per praeſcriptionem ordinariam acquiri non poſſunt, temporis ſpatium annorum quadraginta requiritur. Praeſcriptio XL. annorum.

§. 649. Si quis iura, quibus non quotannis aut ſolito, ſed tantum in certis annis, aut occaſionibus certis exiſtentibus vti poteſt, ter minimum diuerſis temporibus exercuit; ea annorum quadraginta poſſeſſione acquiruntur.

§. 650. Quod quidem temporis ſpatium ab iſto die computatur, quo eiusmodi ius primo exercuit.

§. 651. Si probatur, data occaſione, qua quis ius exercere potuiſſet, iuris exercitium eſſe omiſſum, et haec praeſcriptionis ſpecies pro interrupta iudicanda.

§. 652. Atque adeo praeſcriptio inde ab ea occaſione de nouo incipit, qua iuris exercitium de nouo eſt factum.

§. 653. Si vero, qui ius ſibi arrogat, in omittendo exercitio expreſſe declarauit, ſe illud non ob iuris defectum, ſed fauore tantum et indulgentia in obligatum omittere, praeſcriptio non eſt pro interrupta habenda; ſed iſte caſus habetur pro caſu non exiſtente.

§. 654. Si obligatus illius, cui ius competit, declarationem, de exercitio iuris mero fauore et indulgentia omiſſo, tanquam rem notam accepit; haec declaratio eandem vim habet, ac ſi iuris exercitium et in hoc caſu re vera eſſet factum.

§. 655. A publicis oneribus et vectigalibus nullo modo liberatur obligatus eo ſolo, quod per tempus vel longiſſimum ea non ſoluerit.

§. 656. Si vero apparet, fuiſſe quem monitum de ſoluendo onere aut vectigali, ob ſtatum ſuum et relationem per ſe praeſtando, at eum praeſtatione re- Praeſcriptio L. annorum.

Source : BIU Cujas

cuſata ab eo tempore per annos quinquaginta fuiſſe immunem, is immunitatem modo legitimo acquiſiuiſſe praeſumitur.

§. 657. Quae quidem eius immunitas eo vſque eſt tuenda, quamdiu non efficitur, eum ſine iure eam ſibi arrogaſſe.

§. 658. Si fundus aut ius, de quo praeſtandum vectigal, in libro cataſtrali nunquam fuit conſignatus, iam ea cauſa ſola, vectigal per annos quinquaginta non fuiſſe exactum, confirmat immunitatis legitime acquiſitae praeſumtionem.

§. 659. Itaque et in hoc caſu praeceptum §phi 657. locum inuenit.

§. 660. Si rei aut iuris fines (limites) legibus, pactis aut ſententiis, rei iudicatae vim nactis, clare ſunt definiti, ius fines iſtos transgrediendi, praeſcriptione L. annorum tantum poteſt acquiri.

§. 661. Eiusmodi quieta annorum quinquaginta poſſeſſio, nulla poſſeſſionis tituli ratione habita, ad praeſcriptionem iam ſufficit.

§. 662. Si is, cui finium ſecundum §. 660. definitorum transgreſſio eſt detrimento, illi contradixerit, poſt autem continuata nihilominus transgreſſione per annos triginta quieuerit, praeſcriptio contra eum eſt conſummata.

§. 663. At vero neque annorum quinquaginta poſſeſſio tuetur eum, qui malae in ea fidei poteſt conuinci.

§. 664. Iura contra leges prohibentes expreſſas praeſcriptione nulla poſſunt acquiri.

Effectus praeſcriptionis ex poſſeſſione.

§. 665. Per praeſcriptionem conſummatam poſſeſſor rei aut iuris dominium acquirit.

§. 666. Quod tamen dominium latius non extenditur, quam poſſeſſio ipſa fuit extenſa.

§. 667. Qui vero per praeſcriptionem acquiſiuit vniuerſitatem, ſ. complexum rerum aut iurium, ei dominium competit rerum ſingularum et iurium omnium, quae complexus in ſe continet.

Source : BIU Cujas

§. 668. Commoda, quae participans factis suis rei communi parat, et in praescriptione ex possessione participantibus reliquis prosunt.

§. 669. Quod ad pacta de praescriptione ex possessione attinet, valent omnia, quae intuitu pactorum de praescriptione ex non-vsu (§. 565. seqq.) sunt praescripta.

TITVLVS DECIMVS.

De acquisitione dominii mediata.

§. 1. Acquisitio rei dominii mediata, praeter necessarium titulum, requirit et factam rei traditionem. (Tit. VII. §. 58. Tit. IX. 2-6.) I. De acquisitione mediata generatim.

§. 2. Acquisitionis dominii mediatae titulus voluntatis declarationibus, legibus et iudicis sententia potest constitui.

§. 3. Nouus etiam possessor eiusmodi titulo munitus dominium rei traditione in regula tum demum acquirit, si prior, a quo possessio huic est vacuefacta, ipse fuit dominus. (Tit. XV. §. 42. seqq.)

§. 4. Si domini prioris possessio, sine eius consensu, a iudice vacua declaratur, traditio etiam nouo possessori per iudicem fieri debet. (Tit. VII. §. 60.)

§. 5. Quo casu excepto, iudicialis traditio ad acquirendum dominium nunquam requiritur.

§. 6. At vero de fundo coram iudicio dispositurum, dominium acquisitum suum iudici rei oportet probare, et in librum hypothecarium referendum curare. II. De acquisitione mediata dominii fundorum speciatim.

§. 7. Possessor in libro hypothecario consignatus (s. intabulatus) in omnibus, cum tertio de fundo initis conuentionibus, eius habetur dominus.

Source : BIU Cujas

§. 8. Qui cum eiusmodi poſſeſſore conſignato, (ſ. intabulato) eiusmodi conuentiones init, huius iura neque dominus, qui in libro hypothecario non eſt conſignatus, neque is, qui ius ſuum ab hoc tantum deriuat, poteſt impugnare.

§. 9. Quin potius domino, qui in libro hypothecario non eſt conſignatus, quod ad detrimentum ipſi inde oriundum attinet, iura damni huius reſarciendi reſeruantur tantum ſecundum praefinitiones legales contra poſſeſſorem, qui in libro hypothecario eſt conſignatus (ſ. intabulatus.)

§. 10. Si vero, qui cum poſſeſſore conſignato de fundo init conuentiones, haud ignorat, eum non eſſe dominum verum, in detrimentum domini veri ius inde nullum poteſt acquirere.

§ 11. Idem locum habet, ſi ius poſſeſſoris conſignati dubium eſt aut controuerſum, et ſi iſtae dubitationes in libro hypothecario ſunt notatae.

§. 12. Ad praecauendos dominii fundorum incertitudinem atque proceſſus inde oriundos, poſſeſſor quisque nouus curare tenetur, vt ius poſſeſſionis ſuum in librum hypothecarium reſeratur.

§. 13. Atque ad id impelli a iudice, ſub quo res ſita, ex officio poteſt et debet.

§. 14. Intra quos terminos hoc fieri debeat, et quibus mediis poſſeſſor cunctans ſit impellendus, in ordinatione hypothecarum eſt definitum.

§. 15. Voluntatis declarationes et pacta omnia, quibus de fundi dominio diſponitur, vel in iudicio vel a iuſtitiae commiſſario ſunt conſcribenda.

§. 16. Ex fundamento pacti mere priuati, licet ſcripti, relatio tituli in librum hypothecarium locum non habet.

§. 17. Eiusmodi tamen pactum effectus habet punctationis, atque ideo ad conficiendum inſtrumen-

Source : BIU Cujas

tum iudiciale solemne ex eo agi potest. (Tit. V. §. 120. seqq.)

§. 18. Si plures acquirendi dominii rei immobilis titulum habent per se legitimum, caeteris praefertur is, qui titulum suum deriuat a domino in libro hypothecario consignato.

§. 19. Si omnes titulum suum a domino in libro hypothecario consignato deducunt, praefertur is, qui primus suum titulum in librum hypothecarium referendum curauit.

§. 20. Quorum si nullus hanc relationem iam impetrauit, is, cuius titulus ratione temporis prior est, petere eam in primis potest.

III. De acquisitione mediata dominii rerum mobilium speciatim.

§. 21. Qua res mobiles plurium, dominium ex titulo per se legitimo petentium, in regula reliquis praefertur is, cuius titulus ab eo deducitur, qui verus huc vsque fuit dominus.

§. 22. Si omnes titulum suum ab vna eademque persona habent, in rebus etiam mobilibus litem decidit momentum temporis, quo prior ortus titulus. (§ 20)

§. 23. Quorum plurium autem vni si fuerit concessa rei possessio, hic caeterorum excludit dominii petitiones, nulla temporis, quo ortae sunt, ratione habita. (Tit. VII. §. 74-76.)

IV. Bona fides deficiens dominii acquisitionem impedit.

§. 24. Qui scit, eum, a quo titulum suum deriuat, non esse verum dominum, is neque consignatione in libro hypothecario, neque traditione dominium potest acquirere.

§. 25. Neque ille, qui consignationis aut traditionis tempore alterius titulum antiquiorem non ignorat, in huius detrimentum opponere potest consignationem aut traditionem prius factam.

Source : BIU Cujas

TITVLVS VNDECIMVS.

De dominii acquirendi titulis, ex pactis inter viuos oriundis.

Sectio Prima.

De emtionis venditionis pactis (ſ. de negotiis emti et venditi.)

Definitio et principia,

§. 1. Emtionis negotium eſt pactum, quo alter contrahentium ad transferendum dominium rei, et alter ad certam pecuniae ſummam pro eo ſoluendam ſe obligat.

§. 2. Quae de pactis in genere, eadem et valent de negotiis emti et venditi.

ſpeciatim de emtione neceſſaria.

§. 3. Rei dominus ad eam vendendam contra ſuam voluntatem tum demum poteſt cogi, ſi tertius ius ad eam emendam quaeſitum legibus expreſſis, pactis, aut vltimae voluntatis declarationibus, dominum obligantibus, eſt conſecutus.

§. 4. Res etiam publica tunc demum ad rem vendendam ſuam cogere aliquem poteſt, ſi ad reipublicae ſalutem eſt neceſſaria venditio.

§. 5. Quantum terrae requiritur ad conſtruendam aut dilatandam viam publicam, aut ad canalem vel alueum reddendum nauigabilem, ad tantum reipublicae eum in finem vendendum fundorum confinium poſſeſſores poſſunt cogi.

§. 6. Idem locum habet, ſi reipublicae videtur neceſſarium, in ſecuritatem publicam locum ſepire munimentis.

Source : BIU Cujas

§. 7. Exorta annonae caritate reipublicae ad famem auertendam imminentem competit ius, poſſeſſores, quibus frumenti eſt copia, ad frumentum venditandum impellendi; reſeruatis tamen iis, quibus ipſi carere non poſſunt.

§. 8. In caſibus omnibus venditionis neceſſariae, legibus fundatae, ex iuratorum taxatorum iudicio conſtituendum (definiendum) eſt pretium, ſi de eo conſenſus nequeat effici.

§. 9. In quo quidem definiendo non ſolum pretii communis, ſed extraordinarii etiam habenda eſt ratio.

§. 10. An caſus neceſſitatis venditionis in reipublicae ſalutem exiſtat, iudicio et deciſioni principis reipublicae reſeruatur.

§. 11. De pretio autem definiendo frumenti dominus legitime in iudicio eſt audiendus.

§. 12. Ad perficiendam quamuis emtionem (perfectionem cuiusuis emtionis) requiritur, vt venditor, perſona, in quam dominium tranſeat, res vendenda et pretium ſoluendum ſufficienter definiantur. Requiſita emtionis validae, generatim,

§. 13. Ad deſignandam perſonam, in quam dominium tranſeat, ſufficit, ſi ex pacto apparet, ex cuius deciſione, aut a quo euentu determinatio propior debeat pendere. intuitu perſonae contrahentium,

§. 14. Caſus vero aut euentus, a quo pendet determinatio perſonae, in quam dominium tranſeat, ita comparatus ſit neceſſe eſt, vt intra certum tempus re vera certo exiſtat aut eueniat, atque eo certe et haud dubie determinetur perſona.

§. 15. Quibus requiſitis deficientibus, pactum habetur non contractum.

§. 16. Idem obtinet, ſi is, ex cuius deciſione ſ. iudicio futuri domini determinatio pendet, iudicium interponere recuſat.

§. 17. Qui ſi deciſionem ſuam cunctando differt, et ſi contrahentes intra certum tempus de termino,

Source : BIU Cujas

quo perſona determinetur, inter ſe conuenire nequeunt, iudex, petente vna parte aut altera, hunc terminum debet praefigere.

§. 18. Quod ſi nec intra hunc terminum a iudice praefixum deciſio ſ. iudicium ſit ſubſecutum, pactum habendum pro non contracto.

§. 19. Ad perficiendam emtionem validam requiritur, vt et venditori ius ſit, de dominio rei diſponendi, et emtor capax, eiusmodi rem acquirendi et poſſidendi.

§. 20. Qui res aut bona alius adminiſtrat, ex iis aut eorum fructibus et emolumentis, quoad mandatum (commiſſum) durat, ſine ſpeciali domini conſenſu per emtionem acquirere nihil poteſt.

§. 21. Auctionis commiſſarius, et praeco (proclamator, *Ausrufer*) ex iis rebus, quas vendunt, (diſtrahunt) neque ipſi, neque per alios neque pro aliis aliquid emant.

§. 22. In venditionibus ſub haſta (ſub licitatione iudiciali) neque ea perſona iudicialis, quae venditionem dirigit, neque ea, quae venditionis protocollum conficit, licitari poteſt.

§. 23. Si vero nihilominus eiusmodi perſona excluſa (§. 21. 22.) rem emit, ex arbitrio eorum, quorum intereſt, pendet, vtrum emtoris, cui emere non licet, licitationem ratihabere velint, an minus.

§. 24. Quam ſi non ratihabent, res cum periculo et ſumtibus eius, cui emere non licet, iterum eſt venditanda.

§. 25. Si is, cui emere non licet, rem in auctione emtam ſibi iam arrogauit, pro malae fidei poſſeſſore habendus, donec accedat eorum, quorum intereſt, ratihabitio.

§. 26. Quatenus tutores pupillorum res vendere, emere, aut eorum nomine emtionis contractus inire poſſunt, ſuo loco eſt definitum. (Part. II. Tit. XVIII.)

Source : BIU Cujas

§. 27. Eo, quod pro re emta soluta fuerit pecunia aliena, aut quod res fuerit alii destinata, emtoris ad venditorem relatio nullo in casu mutatur.

§. 28. Res omnes, communi commercio non exemtae, obiectum emtionis venditionis contractus esse possunt. (Tit. IV. §. 14-19.) intuitu obiecti,

§. 29. Si res post emtionem quidem perfectam (conclusam), at ante traditionem secutam, commercio eximitur, emtio pro non facta habenda.

§. 30. Obiectum emtionis ita est determinandum aut designandum, vt iusta de eo dubitatio locum habere non possit.

§. 31. Si propior obiecti, quod vendi debet, determinatio ab euentu futuro pendet, pactum ex pactorum aleae (negotiorum fortuitorum) regulis est diiudicandum. (Sect. VI.)

§. 32. Si res vendita mensura aut pondere est determinata, in casu dubio intelligitur mensura et pondus forense loci, quo res tradenda est.

§. 33. Si electione emtori ex rebus determinatis pluribus reseruata, vna earum aut altera, ante electionem factam, siue casu siue venditoris concursu, fuerit deleta, corrupta aut alio modo amissa, emtor pacto non amplius obligatur.

§. 34. Venditor, qui data opera aut culpa lata, iacturae ansam dedit, emtori tenetur ad praestandum, quod interest.

§. 35. In vtroque tamen casu §. 33. definito, ex emtoris arbitrio pendet, si rerum istarum plurium vel vna tantum adhuc superfit, an pacto velit stare; at tum, quod interest, petere nequit.

§. 36. Si vero rerum, ex quibus emtori erat electio concessa, vna fuerit proprio eius concursu deleta, aut amissa, emtor pacto stare tenetur; si vel nulla ipsi amplius superfit electio.

§. 37. Si venditori reseruata est electio, quam rerum determinatarum plurium emtori exhibere velit,

Source : BIU Cujas

respectu ipsius omnia sunt obseruanda, quae de emtore sunt sancita. (§. 33. 36.)

§. 38. Si ex contractu non apparet, vtrum emtori an venditori competat electio, pro emtore decidendum.

§. 39. Si emtionis obiectum pacti initi tempore non amplius adfuit, emtio pro non perfecta habenda, si parti vtrique id fuit adhuc incognitum.

§. 40. Si venditori tantum fuit notum, rem non amplius esse, is emtori tenetur ad praestandum, quod interest.

§. 41. Si emtori tantum id fuit notum, et si intentio licita alia nulla in negotio cognosci certe potest, negotium intuitu emtionis pretii promissi, aut iam soluti, ex regulis de donationibus diiudicandum.

§. 42. Si pars substantiae rei venditae iam pacti contracti tempore non amplius adfuit, atque id fuit vtrique parti incognitum; pactum non contractum habetur.

§. 43. Quod si solus emtor sciuit, contractus valet, intuitu quoque pretii constituti.

§. 44. Sin venditor tantum sciuit, emtor pacto non est obligatus, et ab illo praestationem eius, quod interest, petere potest.

§. 45. Si emtor pacto stare velit, praecepta de euictione locum obtinent. (§. 192-214.)

Intuitu emtionis pretii.

§. 46. Pretium in certa determinata pecuniae summa constitat necesse est.

§. 47. Pretium vel per se, vel relatum ad euentum futurum rite determinatum sit.

§. 48. Si emtionis venditionis pretium arbitrio tertii fuerit commissum, vtraque pars iudicio huius tertii se submittere debet; neque emtor exceptione laesionis vltra dimidium (§. 58. seqq.) vnquam vti potest.

§. 49. In eo casu tantum, si vna aut altera pars dolo adduxit tertium, ad hoc, nec aliud pretium de-

Source : BIU Cujas

terminandum, emtio pro non perfecta habenda, et qui dolose egit, ad praestandum id, quod interest, tenetur.

§. 50. Si contrahentes pretii determinationem plurium personarum arbitrio commiserunt, quae de arbitrio et iudicio interponendo, inter se conuenire non possunt, summa, quae computatis determinationibus omnium est media, verum emtionis pretium constituit.

§. 51. Quorum arbitrorum si vel vnus tantum arbitrium suum interponere nequit, aut illud interponere pertinaciter recusat (§. 16. 17. 18.) emtio pro non facta habenda.

§. 52. Atque etiam relatione ad aliam summam, iam determinatam, emtionis venditionis pretium definiri potest.

§. 53. At eiusmodi determinatio eatenus tantum pro sufficiente habenda, quatenus summa, ad quam a contrahentibus facta relatio, certo erui potest.

§. 54. Emtione venditione relatione ad pretium forense loci certi, sine vllo additamento, facta; intelligendum est medium forense pretium temporis, quo facta emtio venditio. (subsecuta compositio.)

§. 55. Plura quam venditor in contractu celebrando expresse sibi reseruauit, peti non possunt nomine compotationis ad confirmandam emtionem, pecuniae redemtionis clauium, pecuniae redemtionis capistri, aut congiarii.

§. 56. Si emtionis pretii monetae species non est determinata, moneta numorum solidioris argenti (moneta crassa currens argentea, *Courant*) intelligitur. (Tit. V. §. 257-259.)

§. 57. Emtionis pretium decem thalerorum, vel minus, numis paruis (*Scheidemünze*) solui potest; si vero thaleros decem excedit, neque tamen triginta attingit, deficiente expressa determinatione dimidia

Source : BIU Cujas

pars altera numis maioribus solidioris argenti, altera vero numis paruis (minutis) soluenda.

De laesione vltra dimidium.

§. 58. Exceptio, emtionis pretium rei venditae pretio non esse proportione conueniens, (correspondens) ad contractum infirmandum sola non sufficit.

§. 59. Quod si vero ista proportio tam sit iniqua, vt emtionis venditionis pretium, rei pretium duplum excedat, eiusmodi proportionis iniquitas confirmat in emtoris fauorem praesumtionem legalem erroris, pactum reddentis inualidum. (Tit. IV. §. 75. seqq.)

§. 60. Quae praesumtio nisi tollatur rebus reliquis, in tractando et pacto perficiendo circumstantibus; emtori ius est ad rescindendum pactum agendi. (§. 250. seqq.)

§. 61. Pretium ad confirmandam hanc exceptionem aestumatione rei peritorum iuratorum tantum potest erui.

§. 62. In aestumando respiciendum ad pretium, quod rei fuit tempore pacti contracti.

§. 63. At pretium tamen, temporis interuallo ab emtione facta vsque ad aestumationem, mutatum non praesumitur.

§. 64. Si aestumationis principia legibus praescripta, aut ex prouinciae consuetudine alias publice vsitata, mutata sunt, eorum est habenda ratio, quae emtionis factae tempore locum habuerunt.

§. 65. Emtor, qui huic exceptioni expresse renuntiauit, ea vti nequit.

§. 66. Ne tum quidem, si ex pacto ipso, ex obiecti eius natura, aut circumstantiis ante pactum aut in eo contrahendo incidentibus appareat, in determinando emtionis pretio non pretii rei communis sed extraordinarii rationem fuisse habitam.

§. 67. Neque si emtor rem ipsam restituere non amplius potest.

§. 68.

Source : BIU Cujas

§. 68. Tandem ſi intra temporis ſpatium Tit. V. §. 343. definitum, ad reſcindendum pactum ex hoc fundamento non egit.

§. 69. Venditor emtionem ex eo fundamento, quod rei pretium emtionis venditionis pretium vel duplo plus excedat, impugnare nequit.

§. 70. Negotia, in quibus pretium dicis cauſa (propter oſtentationem) tantum eſt conſtitutum, ad emtionis venditionis regulas diiudicari nequeunt. De emtionibus ſimulatis.

§. 71. An negotium verum ſub eiusmodi emtione ſimulata latens ſit validum, an minus, ad regulas huius negotii proprias eſt diiudicandum.

§. 72. Si tantum emtionis pretii ſumma in inſtrumento dicis cauſa maior aut minor fuerit determinata pretio, quod contrahentes conſtituerunt; exinde pactum in et per ſe nondum redditur inualidum.

§. 73. Quin potius pretium tunc inter contrahentes determinandum ad conuentionem veram, modo per ſe legitimo factam

§. 74. Si pretium verum ore tenus tantum fuerit conſtitutum, locum inueniunt praecepta Tituli V. §. 155. ſqq. prout traditio iam facta, vel non facta.

§. 75. De forma emtionis pactorum valent omnia, quae ſupra praecepta ſunt de forma pactorum generatim, et ſpeciatim eorum, quae de dominio rerum immobilium celebrata ſunt. (Tit. V. §. 109. ſeqq. Tit. X. §. 15. 16. 17.) Forma emtionis pactorum.

§. 76. Emtio venditio legitime concluſa eum effectum producit, vt venditor ad rem tradendam, emtor vero ad pretium ſoluendum obligetur. Obligationes venditoris,

§. 77. Quae de traditione et poſſeſſionis apprehenſione generatim ſunt ſancita, ea quoque valent de traditione rerum venditarum. (Tit. VII. §. 58. ſeqq.) *a*) ad rem tradendam,

§. 78. Res plena et cum omnibus ſuis pertinentiis eſt tradenda. *b*) qua pertinentias.

§. 79. De quibus ſi in pacto nihil ſingulare eſt definitum, locum habent definitiones legales. T. II. §. 42. ſqq.

Source : BIU Cujas

§. 80. Is contrahentium, qui plura aut pauciora, quam definitiones legales conſtituunt, ad pertinentias vult referri, id expreſſe in conuentionibus ſibi paci ſcatur neceſſe eſt.

§. 81. Si deſint pertinentiae, quae emtionis perfectae tempore adfuerunt, aut, quae ſecundum definitiones legales ſubſtantiae partes ſunt habendae, (Tit. II. §. 4.) venditor ad earum euictionem praeſtandam eſt obligatus.

§. 82. Fundo ad certum inuentarium vendito, neque plures neque pauciores pertinentiae tradendae, quam in inuentario ſunt conſignatae.

In venditionibus ad corpus ſ. per auerſionem, vel maſſae quantae et qualis.

§. 83. Si praedium, quo iure quaue conditione, (prout ſtat et iacet), eſt venditum, ad pertinentias referuntur omnia, quae tempore emtionis venditionis perfectae in praedio fuerunt, aut ad illud pertinuerunt, et quae ad vtilitatem aut commoditatem oeconomiae exercendae fuerunt neceſſaria, aut huc vſque ad oeconomiam exercendam ſunt adhibita.

§. 84. Huc pertinent in primis fructus et copiae in praedio extantes omnes, ſiue ſint collecti, ſiue accreuerint, ſiue ſint venditi.

§. 85. In primis ligna caeſa et nondum vendita.

§. 86. Neque minus omnia, quae in praedio ſunt, iumenta, pecora vtilitati inſeruientia, et fetura, etiamſi alias ſecundum definitiones legales ad inuentarii pertinentias non referantur.

§. 87. At contra, ſi pertinentiae ſecundum determinationes legales neceſſariae non adſunt, pertinentiae, quae deſunt, non ſunt reſtituendae.

§. 88. Si domus, qua eſt conditione, eſt vendita, emtori praeter pertinentias legales, quatenus adſunt, ſupellex omnis competit, quae tempore emtionis venditionis perfectae in domo fuit, et ad habitationem commodam eſt neceſſaria et vtilis.

§. 89. Ad fabricam et aliam officinam, per auerſionem (ad corpus) venditam, copiae, quae adſunt, itidem

Source : BIU Cujas

materia, quae laborando adhuc consumitur; non vero merces iam factae ad pertinentias referuntur.

§. 90. Taberna vel per auersionem vendita, mercium copiae, in casu dubio, non simul venditae habendae.

§. 91. At contra, pertinentiis bibliothecae et musei rerum naturalium per auersionem venditarum accensentur etiam statuae atque res aliae, quae huc vsque ad repositoria et receptacula rerum naturalium exornanda sunt adhibitae.

Tempus et locus traditionis.

§. 92. Nullo traditionis tempore determinato, emtor obligationibus ex sua parte praestitis traditionem sine mora postulare potest.

§. 93. Traditio rei et emtionis pretii solutio fieri vno eodemque loco debet, nisi aliud sigillatim fuerit conuentum.

§. 94. Caeterum de loco et tempore hic quoque locum habent determinationes generales in titulo de pactis praescriptae. (Tit. V. §. 230-251.)

Intuitu periculi, onerum et fructuum vsque ad traditionem.

§. 95. Dum venditor emtori rem non tradidit, in omnibus venditionibus voluntariis, nisi ad corpus s. per auersionem sint factae, aut aliud expresse fuerit conuentum, periculum et damnum est venditoris. (§. 342.)

§. 96. Hoc quoque obtinet, si traditio vel mero casu retardatur.

§. 97. Traditione venditoris culpa dilata, hic emtori non solum tenetur ad damnum rei datum resarciendum, sed etiam, si dolus eius aut culpa lata moram produxit, ad lucrum cessans praestandum.

§. 98. Si emtor vero causa est morae traditionis, venditor ad praestandum illud tantum damnum obligatur, quod dolo suo aut culpa lata in re orta est.

§. 99. In casibus omnibus, quibus traditio sine venditoris culpa retardatur, hic ab omni periculo emtori praestando se liberare potest, si rem in iudicio deponit, et custodiendam tradit.

Source : BIU Cujas

§. 100. Si res vendita ante traditionem casu plane perit, aut deletur, ita, vt traditio nulla fieri possit, contractus habetur resciſſus. (Tit. V. §. 364. seqq.)

§. 101. Si venditor culpa sua traditionem fuerit moratus, is emtori ad damnum refarciendum pro ratione gradus culpae suae tenetur. (Tit. VI. §. 10. sqq.)

§. 102. Si emtor sua culpa rei acceptationem fuerit moratus, venditor damni reparationem petere potest.

§. 103. Ad quam damni reparationem solutio quoque pretii, de quo est conuentum, pertinet, simul-ac emtor, vel leui culpa, causa est, quod res tempore idoneo ab eo non fuerit accepta.

§. 104. Si non mora solum traditionis, sed rei etiam ipsius interitus, quo impossibilis facta traditio, vnius partis culpa aut alterius est exortus; locum habent tituli de pactis praecepta generalia. (Tit. V. §. 360. 363. seqq.)

§. 105. Quamdiu venditor tenetur ad rei venditae periculum et onera praestanda, tamdiu ei quoque in regula ius competit, fructus et emolumenta ex re percipiendi.

§. 106. Merces locationis conductionis, et merces aedium habitatarum emtori et venditori pro cuiusque possessionis tempore diuiduntur.

§. 107. Vsurae, (census pecuniarius) mercedes conducti, in frumento consistentes, decimae, pecuniae, quae pro immunitate ab operis soluuntur, gabella demigrationis et detractionis, et aliae huius generis praestationes in tantum ad emtorem pertinent, in quantum dies earum post traditionem venit.

§. 108. Quidquid substantiae rei post pactum consummatum accretionibus et accessionibus naturalibus accedit, et traditionis tempore, vi iuris vtendi soliti, ab ea nondum est separatum, emtoris est, eique cum re simul est tradendum.

Source : BIU Cujas

§. 109. Nemo contrahentium contra alterius voluntatem re et emtionis venditionis pretio ſimul vti poteſt.

§. 110. Si itaque venditor emtionis venditionis pretium vel in totum vel ex parte accepit, accepti vſuras legitimas, ſ. lege conſuetas, vsque ad traditionem, niſi aliud fuerit conſtitutum, praeſtare tenetur.

§. 111. Si emtor accipere eſt moratus, venditor offerre ſe poteſt ad reddendas rationes fructuum et emolumentorum perceptorum, et ad hos exhibendos pro vſuris pendendis.

§. 112. Et hic quidem venditor latam tantum culpam praeſtat.

§. 113. Si venditor cauſa eſt traditionis retardatae, emtor ab eo ſummum vſurarum modum, perſonis ſuae claſſis conceſſum, poſtulare poteſt.

§. 114. Si dolus aut culpa lata ſubeſt morae venditoris, emtor petere poteſt, vt pro vſuris pendendis rationes fructuum perceptorum reddantur.

§. 115. Et hic quidem venditor culpam quoque leuem praeſtare tenetur.

§. 116. Si emtionis pretii ſolutio ante traditionem expreſſe fuerit pacta, aut ſponte ſine reſeruatione praeſtita, venditor, quamdiu non ſua culpa differtur traditio, neque ad vſuras pendendas, neque ad rationes fructuum perceptorum reddendas, tenetur.

§. 117. Rei per auerſionem aut ad corpus venditae emtor, contractu ſubſignato, ſtatim in ſe ſuſcipit cum fructibus et emolumentis et iuribus omnibus ſimul ea pericula et onera, quae alias poſt traditionem demum eum affeciſſent. In primis in venditionibus per auerſionem,

§. 118. Quo in caſu, ſi venditor contractu ſubſignato vsque ad traditionem in poſſeſſione rei manet, et ratione fructuum ac emolumentorum, et onerum atque periculi iura tantum et officia habet adminiſtratoris rerum alienarum. (Tit. XIV. Sect. II.)

Source : BIU Cujas

§. 119. A quibus tamen in traditionis mora, casu aut emtoris culpa exorta, se liberare potest, si rem iudicialiter curandam et administrandam exhibet.

§. 120. At interitus rei, ante traditionem casu aut culpa venditoris sic deletae, vt nulla traditio amplius fieri possit, venditorem afficit.

invniuersitate rerum.

§. 121. Si rerum vniuersitas est emta, eiusmodi negotium, qua fructus et pericula, emtioni per auersionem (in quanto et quali) aequiparatur.

§. 122. Sin vero rerum singularum numerus ad propiorem tantum designationem vniuersitatis s. complexus est adscriptus, inde natura emtionis, tanquam ad corpus factae, non mutatur.

§. 123. Si vero emtor certum rerum numerum ex vniuersitate s. complexu in pacto sibi reseruauit, tunc praecepta infra §. 207. data locum obtinent.

Quomodo res vendita tradenda,

§. 124. Venditor rem ita tradere debet, vt emtor inde de re emta secundum contractus sententiam disponere possit.

§. 125. In fundis quidem assignatio iudicialis in libro hypothecario per se sola ad traditionem nondum sufficit;

§. 126. Venditoris autem est, agere, quae ex sua parte requiruntur omnia, vt res iudicialiter emtori assignetur.

§. 127. In genere traditio secundum praecepta tituli septimi §. 58. seqq. fieri debet.

in primis inter absentes.

§. 128. Inter absentes rerum mobilium traditio est perfecta, simulac res emtoris mandatario est exhibita, aut cursui publico, aut aurigae, aut nautae commissa.

§. 129. Transmissio tamen vel ex emtoris voluntate fiat, vel transmissionis modus ab emtore venditoris arbitrio expresse aut tacite sit commissus necesse est.

Source : BIU Cujas

§. 130. Atque etiam, ſi ea traditione dominium et periculum ad emtorem tranſire debeat, ſupponitur, emtionem ipſam inter abſentes plene fuiſſe perfectam.

§. 131. Si vero emtio venditio eo demum tempore perficitur, quo res aut merx iam tranſportatur, ab eo tantum temporis momento, quo pactum eſt perfectum, dominium atque periculum ad emtorem tranſit.

§. 132. Si emtor pacti perfecti tempore nondum ſciuit, rem iam eſſe in via, dominium et periculum ab eo demum temporis momento ad emtorem tranſit, quo transmiſſionis modum cognouit, eumque expreſſe aut tacite approbauit.

§. 133. In omnibus caſibus (§. 129-132.) modus transmittendi a venditore electus tacite habetur approbatus, ſi emtor, quam primum de eo erat certior factus, diſſenſum curſu publico abeunte primo non declarauit.

§. 134. Si emtoris bona ad concurſum creditorum redierunt temporis interuallo, a traditione ſecundum §. 128. facta vsque ad rerum in eius domicilium delationem re vera ſubſecutam; venditor rem poteſt in natura recipere ſecundum ordinationis de concurſu creditorum determinationem propiorem.

c) De euictionis præſtatione generatim.

§. 135. Venditor emtori ad rem ita euincendam obligatur, vt emtor ex pacto eam tanquam dominus (tanquam ſuam) poſſidere, et ea vti, et de ea diſponere poſſit.

in ſpecie contra tertii petitiones.

§. 136. Hinc emtori contra omnes tertii actiones ſ. petitiones, intuitu rei venditae, euictionem praeſtare debet.

§. 137. At emtor tamen iuri ſuo, euictionem praeſtandam petendi, valide poteſt renuntiare.

§. 138. Eiusmodi autem renuntiatio in eum caſum extendi non poteſt, ſi venditor tertii petitionem, quam haud ignorauit, emtori non indicauit, aut ſi hanc petitionem factis ſuis propriis firmauit.

Source : BIU Cujas

§. 139. Si vtraque pars expreſſe de re aliena contraxit, negotium conſiderandum eſt, tanquam pactum, quo tertii factum eſt promiſſum. (Tit. V. §. 40. ſeq.)

§. 140. Si quis heres eſt ſcriptus eius, qui rem ſuam, ſine ipſius conſenſu, alteri vendidit, eo non quidem impeditur, quo minus rei dominium agendo petat;

§. 141. At heres eadem praeſtare emtori debet, ad quae hereditatem relinquens fuit obligatus, quatenus hereditas ad ea praeſtanda ſufficit.

§. 142. Si venditoris heres ſine reſeruatione eſt factus, venditionem ab hoc concluſam impugnare nequit.

§. 143. Emtorem a tertio de re emta conuentum curare oportet, vt venditori, ſi euictionis praeſtationem ab eo vult petere, iudicialiter lis denuntietur.

§. 144. Quae litis denuntiatio fiat neceſſe eſt, ſimulac emtori libellus actionis tertii eſt inſinuatus, aut ſaltem vsque ad inſtructionis terminum.

§. 145. Qua denuntiatione negleta nondum quidem amittitur emtoris ius euictionis praeſtationem a venditore petendi;

§. 146. At contra emtorem, ſecundum ordinationis proceſſus definitionem propiorem, valent omnia venditoris fundamenta et probandi media, quibus emtori contra tertium aſſiſtere potuiſſet, et quibus emtor ipſe in lite (proceſſu) cum tertio non eſt vſus.

§. 147. Quae de hoc caſu ſunt ſancita, ſi emtor proceſſum a tertio motum ipſe ſuſcipit, venditore non adhibito, ea tunc quoque valent, ſi eo non adhibito litem cum tertio compoſuit.

§. 148. Neceſſitati denuntiationis litis iudicialis valide poteſt pactis renuntiari.

§. 149. Emtor euictionis praeſtationis cauſa contra venditorem immediatum agere tantum poteſt, atque huic relinquere debet, vt ad anteceſſorem ſuum regrediatur.

Source : BIU Cujas

§. 150. Si vero venditoris immediati bona ad concurſum redierunt; aut ſi hic prouincias regias reliquit; aut ſi eius domicilium eſt ignotum; emtori licet, contra venditoris anteceſſorem agere, eumque ad euictionis praeſtationem litem denuntiando prouocare.

§. 151. Sed contra emtorem huius exceptiones valent omnes, quas opponere immediato ſucceſſori ſuo poteſt.

§. 152. Quae §. 143-151. antecedentibus in emtionis negotio praeſcripta ſunt de neceſſitate litis denuntiandae illi, qui praeſtare euictionem debet, ad rem contra tertium euincendam; ea et valent in pactis omnibus aliis, ex quibus contrahens ab altero euictionis praeſtationem poſtulat. (Tit. V. §. 317. ſqq.)

§. 153. Quatenus partes ſpeciatim conuenerunt de iis, quae venditor emtori, tanquam indemnitatem, pro petitione tertii praeſtare debeat; conuentis ſtandum. Quid re euicta venditor emtori praeſtare debeat,

§. 154. Si nihil eſt conuentum, et ſi emtor, tanquam bonae fidei poſſeſſor, pro re ipſi plane ademta a tertio accipit reſtitutionem pretii pro ea ſoluti, et impenſarum in rem factarum, contra venditorem amplius agere nequit. (Tit. XV. §. 25. ſeqq.) ſi res tota emtori eſt ademta.

§. 155. Quin potius venditor pro ratione culpae commiſſae emtori tantum tenetur ad damnum reſarciendum, ex emtionis negotio praeter ea re vera ortum.

§. 156. Ad quod damnum pertinent etiam impenſae in emtionem factae, itidem ſumtus in proceſſum cum tertio erogati.

§. 157. Emtionis pretii vſuras eiusmodi emtor a venditore poſtulare ex eo tantum temporis momento poteſt, quo rei fructus et emolumenta vna cum re tertio tradere debuit.

§. 158. Caeterum tertio ob emtionis pretium, quod emtori, tanquam bonae fidei poſſeſſori erat reſtituendum, et ob fructus ei concedendos, iura re-

Source : BIU Cujas

ſeruantur integra petendae indemnitatis a venditore, quatenus hic malae fidei fuit poſſeſſor.

§. 159. Emtor vero, haud ignorans, ſe rem alienam emere, euictionis praeſtationem a venditore petere nequit, ſi rem deinde tanquam malae fidei poſſeſſor domino vero, emtionis pretio non refuſo, reddere debet.

§. 160. Si et venditor ſciuit; ſe rem alienam tanquam rem ſuam vendere; fiſco cedit, quidquid ex pacto emtionis pretio aut alias accepit.

§. 161. Si emtor ob eam cauſam ſolam, quod in re emenda diligentiam debitam non adhibuit, reſpectu veri domini malae fidei poſſeſſori aequiparatur, (Tit. VII. §. 12. ſeqq.) venditor emtionis pretium ſolutum refundere ei tenetur.

§. 162. Praeterea quoque venditor eiusmodi emtori ſecundum praefinitionem propiorem §phi 155-156. ad indemnitatem eſt obligatus.

§. 163. Si venditor malae fuit fidei poſſeſſor, a temporis momento, quo emtor rei fructus reſtituere debuit, ſoluti emtionis pretii vſuras ſoluere, aut eius vſuras ab emtore acceptas refundere tenetur.

ſi partes aut pertinentiae tantum ſunt ademtae,

§. 164. Si per actionem tertii non res tota, ſed eius pars tantum aut pertinentia, aut ius cum ea venditum emtori ademta, in caſibus, vbi emtori a toto pacto reſilire licet, praecepta tituli quinti §. 325. ſeqq. locum inueniunt.

a) ſi emtor a pacto recedere poſſit et velit;

§. 165. Si emtor vti hoc iure poſſit et velit, venditor, reſtituto rei reſiduo, acceptum emtionis venditionis pretium omne reſtituere debet.

§. 166. At in venditoris commodum de eo detrahenda ſunt, quae forſan tertius emtori, tanquam bonae fidei poſſeſſori, compenſare debet.

§. 167. Emtionis pretii vſurae ſemper compenſantur cum rei fructibus, ab emtore perceptis.

§. 168. De reliquis damnis et ſumtibus, prout emtor etiam intuitu partis huius ſingulae etc. vel bo-

Source : BIU Çujas

nae fidei vel malae fuit poſſeſſor, praecepta §phi 154. 155. 156. 159. 161. 162. locum habent.

§. 169. Si emtor in caſu, §. 164. reſilire nequeat aut nolit, reſpectu partis huius et pertinentiae, eadem valent principia, quae intuitu rei totius ſunt praeſcripta. (§. 154-163.) δ) ſi recedere nequeat, aut nolit.

§. 170. Pretium partis ademtae, pertinentiae aut iuris, ſi totum ad taxam eſt venditum, ſecundum taxam, alias vero ſecundum aeſtumationem rei peritorum iuratorum eſt definiendum.

§. 171. Emtor autem, licet ipſi compenſatio competat, eam tamen non poteſt poſtulare, niſi ſecundum proportionem taxae aut aeſtumationis rei totius ad conſtitutum emtionis venditionis pretium minus.

§. 172. Ex iisdem principiis, ex quibus pretium ademtae partis aut pertinentiae inter emtorem et venditorem determinatur, pretium quoque eſt definiendum inter emtorem, qui bonae fidei poſſeſſor fuit, et verum dominum, a quo illi compenſatio praeſtanda.

§. 173. Vniuerſitate rerum mobilium vendita, ſi emtor totam emtionem reſcindere nequeat aut nolit, (Tit. V. §. 339. ſeqq.) reſpectu partis ex ea ademtae ſingulae valent omnia, quae de rebus ademtis ſingulis generatim iuris ſunt.

§. 174. Si in emtione vniuerſitatis partis vniuscuiusque pretium ſingulare eſt conſtitutum, id quidem norma eſt indemnitatis, emtori praeſtandae.

§. 175. Onerum fundo impoſitorum ordinariorum venditor tunc demum euictionem praeſtare tenetur, ſi ea adeſſe negauit, aut euictionem expreſſe in ſe ſuſcepit. Euictionis praeſtatio ob onera rei impoſita,

§. 176. Venditione ſecundum taxam facta, venditor onerum ordinariorum, in taxa non deductorum, euictionem praeſtare tenetur.

§. 177. Si vero emtor pretium taxatum non omne ſoluit, compenſationem tantum ſecundum proportionem emtionis pretii ad taxam poſtulare poteſt.

Source : BIU Cujas

§. 178. Si intra tempus emtionis perfectae et traditionis subsequendae fundo imponuntur onera aut tributa noua publica permanentia, emtor a pacto resilire potest.

§. 179. Quod si nolit, noua onera ab ipso sunt suscipienda, neque ob ea emtionis pretii deminutionem postulare potest.

§. 180. Vectigalia bellica, pecunia pro redimendo incendio hostili soluenda, (contributiones bellicae) et onera extraordinaria, fundis singulis demum imposita post emtionem factam, aut post traditionem secutam, a venditore ferenda, quatenus eiusmodi oneris extraordinarii aut tributi soluendi obligatio iam ante traditionem exstitit.

§. 181. Si igitur e. g. incendii damnum, quod resarciendum est conferenda pecunia de fundis in societate assecurationis aedium combustarum consignatis, iam ortum fuerit ante venditionem aut traditionem fundi ad istam societatem pertinentis, venditor soluere tenetur pecuniam, ex fundo vendito soluendam, licet ea postea demum indicatur.

§. 182. Publicorum onerum et vectigalium residua omnia, quae ad tempora ante traditionem pertinent, venditorem emtori praestare oportet.

§. 183. Seruitutes priuatas, onera et praestationes, quae non omnibus eiusdem generis fundis in eadem prouincia solent esse impositae, venditor emtori in emtionis venditionis actu indicare aut earum euictionem praestare tenetur.

§. 184. Debita et obligationes priuatas fundo inhaerentes venditor semper praestare debet, nisi emtor eas expresse in se susceperit.

§. 185. Venditoris ignorantia eiusmodi onerum, fundo inhaerentium (§. 180-184.) ab euictionis praestatione eum nullo modo liberat.

Source : BIU Cujas

§. 186. Neque, emtione venditione per auerſionem facta, venditor ab euictionis praeſtatione iſtorum onerum liberatur.

§. 187. Niſi ex contractus ſententia clare appareat partium animus, ſe nolle eorum euictionem poſtulare et praeſtare.

§. 188. In iis caſibus, vbi ex eo, quod eiusmodi onus rei inhaeret, defectus ſimul ſequitur qualitatis, in pacto expreſſe praefinitae, aut tacite praeſumtae; quod ad facultatem a pacto toto recedendi emtori competentem, locum inueniunt principia generalia de euictionis praeſtatione. (Tit. VII. §. 319. ſqq.) *a*) ſi emtor reſilire poteſt et vult,

§. 189. Si venditor eo iure vti non poteſt, aut non vult, onus ſi in pecunia aut rebus naturalibus conſiſtit, ad legitimum vſurarum modum in ſortem eſt redigendum, et ad eam ſortem definienda compenſatio, a venditore praeſtanda. *b*) ſi reſilire non poteſt, aut non vult,

§. 190. Sin vero onus conſiſtit in factis aut praeſtationibus, quae in ſummam pecuniae annuam reduci nequeunt, onus a rei peritis iuratis ea proportione aeſtumandum, qua verum fundi pretium onere adhaerente deminuitur.

§. 191. De emtoris, contra quem ob eiusmodi onus tertius egit, obligatione venditori litem denuntiandi, praecepta §. 143. ſeqq. locum obtinent.

§. 192. Res in eadem qualitate eſt tradenda, de qua emtor eſt pactus. ob deficientes qualitates

§. 193. Si qualitatis ſingularis in pacto nulla eſt facta mentio, res eius qualitatis eſſe debet, quae rei eiusdem generis ineſſe ſolito praeſumitur.

§. 194. Caeterum in eodem ſtatu eſt tradenda, quo fuit tempore emtionis venditionis factae.

§. 195. Si rei qualitas, quae tempore emtionis venditionis fuit, erui nequit, ſtatus immediate antecedens quaeſtionem decidit.

§. 196. Rei ſtatus intra emtionis et traditionis tempus in eſſentialibus mutatus non praeſumitur.

Source : BIU Cujas

§. 197. Res vitiosa dicitur, si destituta est qualitatibus in emtione vel expresse definitis, vel tacite praesumtis.

§. 198. De vitiosa rei venditae qualitate locum habent praecepta Tit. V. §. 319. seqq.

§. 199. Si animal intra viginti et quatuor horas post traditionem morbo laborare deprehenditur, praesumtio valet, illud iam ante traditionem morbo laborasse.

§. 200. At emtor sub iuris sui iactura morbum cognitum venditori tam mature indicare tenetur, vt de temporis momento, quo morbus ortus est, inquiri adhuc possit.

§. 201. Si venditor in loco non est, indicatio loci iudicio aut rei perito fiat, necesse est.

§. 202. Si animal intra viginti et quatuor horas post traditionem periit, venditor ad satisfactionem emtori praestandam est obligatus, si clare erui non potest, morbum post traditionem demum esse exortum.

§. 203. Si morbus praeterlapsis XXIV. horis post traditionem demum apparet, damnum emtoris est, si erui non potest, morbum iam ante traditionis tempus adfuisse.

§. 204. Porci, qui intra octo dies post traditionem granosi (*finnig*) deprehenduntur, iam antea granis fuisse infecti praesumuntur.

§. 205. Eadem quoque est praesumtio de equis, qui asthmatici (*dämpfig*) et cardiaci (*herzschlägig*) scabiosi, re vera retrogradi (*stätig*) gutta serena laborantes, (*schwarzer Staar*) lunatici (*mondblind*) pituitosi (*rotzig*) intra quatuor hebdomadas a die traditionis deprehenduntur.

§. 206. In casibus omnibus, quibus ob defectum, a venditore praestandum, a pacto recedere non licet, et emtionis pretii totius restitutio locum non habet, compensatio emtori praestanda arbitrio rei peritorum iuratorum est definienda.

Source : BIU Cujas

§. 207. Si rei menſurae determinatae, aut ponderi aut numero definito, ad quae praeſtanda venditor ſe obligauit, in traditione aliquid deeſt, emtor rem accipere non tenetur. ob quantitatis defectum.

§. 208. At ei tamen integrum eſt, petere, vt poſt exhibeantur, quae deficiunt.

§. 209. Quodſi intra tempus ad tradendum praefixum praeſtari poteſt, emtori a pacto reſilire non licet.

§. 210. Si emtor rem ſemel acceptam, in cuſtodiam ſuam recepit, ob eam rationem, quod res non plena ſit exhibita, reddere eam venditori nequit, ſed praeſtatione eius, quod deficit, contentus eſſe debet.

§. 211. Quantum ſit praeſtandum ad rem ſupplendam, determinatur ex praeceptis §phi 170. 171.

§. 212. Caeterum an venditae rei quantitas, deſcriptionis tantum et propioris determinationis cauſa, fuerit adiecta, an eo animo, vt euincatur, ex contracti ſententia in primis diiudicandum.

§. 213. Emtione, venditione per auerſionem facta, deſignatio, in tractatibus non niſi ad edocendum emtorem data, eſt tantum euincenda ratione exiſtentiae titulorum (rubricarum) in ea denominatorum, non autem ratione numeri, magnitudinis, ambitus aut prouentus.

§. 214. Quo caſu excepto, niſi ex circumſtantiis aut pacti tenore aliud apparet, valet praeſumtio, determinatam quantitatem eſſe euincendam.

§. 215. Si venditor ad rem pacto conuenienter tradendam eſt paratus, emtor eam ſtatim accipere tenetur. Obligationes emtoris

§. 216. Quidquid venditorem ob traditionem dilatam excuſat, illud quoque emtori reſpectu ſuſceptionis prodeſſe debet. 1) intuitu rei ſuſceptionis,

§. 217. De effectibus morae, ex emtoris culpa exortae, et venditoris iure, rem tum iudicio cuſtodiendam et adminiſtrandam tradendi, valent determinationes in §phis 98-104. adductae.

Source : BIU Cujas

§. 218. Si res eſt interitui obnoxia, aut ſi metuendum eſt, ne ſumtus cuſtodiae et adminiſtrationis dimidium excedant emtionis pretium, venditori competit ius, diſtractionem iudicialem petendi.

§. 219. De pretio inde exacto venditor impenſas tantum et ea poſtulare poteſt, quae ei ex emtionis contractus ſententia competunt.

§. 220. Si pecunia inde exacta non ſufficit, emtor, quod deficit, ſoluere tenetur.

a) intuitu ſoluendi pretii.

§. 221. Si emtor rem accepit, emtionis pretium ſtatim ſoluere tenetur, niſi aliud in pacto fuerit conſtitutum.

§. 222. Si vero defectus rei venditae praeſtationis, (*Gewährsmängel*) aut iura, quae tertio in rem competunt, ante factam emtionis pretii ſolutionem apparent, emtor poteſt pretii partem proportioni conuenientem retinere et in iudicio deponere.

§. 223. Quo ſi venditor contentus eſſe non vult, de euictione inſtante pro iudicis arbitrio cautionem idoneam praeſtare debet.

§. 224. De emtionis pretio fides praeſumitur habita, ſi venditor intra dies octo poſt factam traditionem in iudicio non offert actionem ſolutionis numeratae emtionis pretii in contractu pactae, et in traditione non praeſtitae.

§. 225. Abſenti venditori hic terminus ab eo demum tempore currit, quo de ſolutione non ſubſecuta certior factus actionem iudici competenti offerre potuit.

§. 226. Simulac venditor de emtionis pretio fidem habuit, vti amplius nequit iure contractum reſcindendi et rem ipſam repetendi, quod ſecundum §. 230. ipſi competit.

§. 227. In caſibus omnibus, vbi emtor ſine cauſa legali non praeſtat ſolutionem, quae in traditione ex pacto debetur, pecunia numerata; morae vſuras inde a traditionis die ſoluere tenetur.

§. 282.

Source : BIU Cujas

§. 228. Si venditor in accipiendo emtionis pretio cunctatur, aut pretium accipere recusat, emtori ius est, venditoris periculo et sumtibus pretium in iudicio deponendi.

Resciſſio emtionis venditionis pacti;

§. 229. In emtionibus venditionibus rerum mobilium, quae quinquaginta thaleros non attingunt, venditor recedere a pacto potest, simulac tempus ad mercem deducendam praeteriit.

1) ob implementum non praestitum,

§. 230. Neque minus venditor traditionem recusare et contractum rescindere potest, si emtor non praestat emtionis pretii solutionem, quam in traditione soluere pecunia numerata promiserat.

§. 231. Quibus casibus exceptis, pars ea, quae asserit, pacti implementum sine causa legitima sibi denegari, aut minus rite praestari, in regula tantum ad implementum agere potest.

§. 232. At in casibus omnibus, vbi leges contrahenti ius concedunt a pacto recedendi ob implementum ab altero denegatum, idem quoque valet de emtione venditione cum effectibus propius ibi determinatis. (Tit. V. §. 396-407.)

§. 233. Si emtor rem restituens secundum istas determinationes fructuum et emolumentorum, tempore interiecto perceptorum, rationem reddere debet, vsuras emtionis pretii interea solutas deducere de iis potest.

§. 234. Sin venditor emtionis pretium ipsum aut omne aut ex parte iam accepit, legitimae accepti vsurae de fructibus et emolumentis compensandis deducantur.

§. 235. Sin vero ad determinationes easdem emtor, rem restituens, fructus et emolumenta interea perceptos sibi seruat, venditor pretii pacti vsuras postulare potest.

§. 236. At vero emtori licet, fructus et emolumenta computare, et, prout pretium ipsum aut eius vsuras venditori soluit, legitimas pretii soluti vsuras aut vsurarum restitutionem petere.

Source : BIU Cujas

§. 237. Si emtor, intuitu rei reſtituendae malae fidei poſſeſſori aequiparatur, periculum praeſtat et damnum vſque ad temporis momentum, quo res re vera eſt reſtituta.

§. 238. Idem obtinet, ſi emtor recedit ex fundamento ſententiae, in ipſius quidem fauorem latae, at vires rei iudicatae nondum nactae.

§. 239. Si vero emtor ex lege bonae fidei poſſeſſori in omnibus aequiparandus, damnum rei illatum vſque ad reſtitutionem factam non niſi in tantum praeſtat, in quantum bonae fidei poſſeſſor ad praeſtandum obligatur.

§. 240. Vtra pars alteri emtionis venditionis ſumtus refundere et reſtitutionis impenſas ferre debeat, exinde eſt definiendum, an emtor bonae fidei poſſeſſori ſit aequiparandus, an malae.

§. 241. Si altera pars a pacto recedit fundamento ſententiae in ipſius fauorem latae, ſed vires rei iudicatae nondum nactae, neutra pars petere poteſt ab altera refuſionem impenſarum in emtionem venditionem factarum.

§. 242. At contra, reſtitutionis impenſas in hoc caſu ferre recedens tenetur.

§. 243. Caeterum re iam tradita, vel in caſibus §. 232. determinatis, a pacto recedere eatenus tantum licet, quatenus res venditori adhuc poteſt reſtitui.

§. 244. Quae reſtitutio ſi fieri non amplius poteſt, illud eſt attendendum, quod alteri parti vi pacti et legum, tanquam implementum aut indemnitas ab altera eſt praeſtandum.

§. 245. Si voluntas a pacto recedendi intra anni ſpatium poſt traditionem factam in iudicio declaratur, iudicium petere tantum poteſt ſportulas ſolitas, pro expeditione et intabulatione praeſtandas.

§. 246. Sin vero ea declaratio poſt tempus longius eſt facta, reliquae etiam ſportulae praeſtandae ſunt, et ſumtus in poſſeſſionum mutationibus definiti ſoluendi.

Source : BIU Cujas

§. 247. Si emtio venditio ante traditionem factam aut post eam vtriusque dissensu rescinditur, pactum conditiones determinat etiam intuitu expensarum inde oriundarum. 2) dissensu mutuo,

§. 248. De quibus si nihil in pacto est constitutum, ab vtraque parte dimidiae ferendae expensae.

§. 249. Vtrum sportulae tantum pro expeditione et intabulatione praestandae, an aliae etiam in possessionum mutationibus solitae sportulae et expensae sint soluendae, ab eo pendet, quatenus traditio ex emtionis venditionis pacto iam facta fuit, an minus.

§. 250. Si emtor tantum in casu §. 58, ob defectum proportionis inter emtionis et rei pretium resilit, rem in statu eodem, quo tempore fuit traditionis, restituere tenetur. 3) ob laesionem vltra dimidium.

§. 251. Deteriorationes sua culpa, licet leuissima, exortas praestat.

§. 252. De mero casu venditori non respondet.

§. 253. Ratione meliorationum bonae fidei emtori aequiparatur.

§. 254. Pretii vsurae in regula cum fructibus et emolumentis ex re perceptis compensantur.

§. 255. Ratione praediorum vero prouentus, qui ex praedio secundum rei peritorum taxationem percipi potuissent, cum emtionis pretii vsuris computantur, in quantum venditor eas accepit, aut pretium ipsum ei est solutum.

§. 256. Ex hac computatione si apparet, venditorem retinendis vsuris cum emtoris damno fore locupletiorem, huic id, quod excedit, exhibere debet.

§. 257. De omnibus iuribus legitimis et obligationibus emtoris et venditoris supra laudatis aliter partes statuere possunt, pactis secundariis, quatenus ista in forma legali contrahuntur. De pactis secundariis.

§. 258. Emtio venditio, sub conditione suspensiua facta, non perficitur, priusquam existit conditio. 1) De emtione venditione conditionata.

Source : BIU Cujas

§. 259. Si venditor emtori rem iam antea tradidit, hic, nisi aliud figillatim est statutum, pro administratore tantum rei alienae habendus.

§. 260. Sin vero, soluto iam ab emtore fine conuentione expressa singulari emtionis pretio, emtio venditio non perficitur, ita vt res et pretium sint restituendae; illius fructus et huius vsurae compensantur.

§. 261. Si emtionis venditionis rescissio sub conditione, si certus casus incidat, est pacta, dominium rei iam per traditionem transit ad emtorem.

§. 262. Et postquam casus incidit, nihilominus, si dominium ad venditorem redire debet, requiritur, vt ipsi de nouo tradatur.

§. 263. Conditio adiecta in casu dubio habetur pro resolutiua, si venditor ante, quam est adimpleta, rem emtori tradidit.

§. 264. Rebus sub certis conditionibus venditis et traditis, istae conditiones tertio in acquirendo iure in rem non nisi in tantum obstant, in quantum probari potest, eum earum notitiam habuisse.

§. 265. At si eiusmodi conditiones, rebus immobilibus adiectae in libro hypothecario sunt consignatae, earum ignorantia tertius excusare se nunquam potest.

a) de reseruato dominio.

§. 266. Si venditor rei venditae et traditae dominium sibi in eum casum reseruauit, si emtor pretium, cuius fides est habita, aut certam eius partem in termino definito non soluat, hoc pactum adiectum vim habet conditionis resolutiuae. (§. 261. 262.)

§. 267. Si vero venditor in termino definito summam soluenda minorem fine reseruatione accipit, iure suo rem ipsam repetendi priuatur.

§. 268. Si dominii reseruatio pacto adiecta est fine certi solutionis termini praefinitione; rei immobilis venditor inde ius tantum consequitur, residui emtionis venditionis pretii in librum hypothecarium referendi.

Source : BIU Cujas

§. 269. Intuitu rerum mobilium eiusmodi indeterminata reseruatio effectus producit nullos.

§. 270. Ratione casuum, §. 266. 268. praecepta §. 264. 265. locum habent.

§. 271. Quidquid praeterea de conditionibus pacto adiectis generatim est praeceptum, idem quoque in emtionis venditionis pacto locum obtinet. (Tit. IV. §. 99. seqq. Tit V. §. 226.)

§. 272. Si emtio venditio sub ea conditione est facta, vt emtio venditio tum demum valida declaretur, si intra certum tempus melior non fuerit oblata conditio, haec conuentio pro conditione suspensiua habenda. 3) De relatione melioris conditionis s. pacto addictionis in diem.

§. 273. Quod si venditor recedendi ius sibi reseruauit, si intra certum tempus melior se obtulerit emtor, conditio est resolutiua.

§. 274. Si sensus verborum in pacto adhibitorum est dubius, praesumtio, si traditio expresse est promissa, aut re vera facta, stat pro conditione resolutiua, alias vero pro suspensiua. (§. 263.)

§. 275. Si in pacto terminus non est praefinitus, intra quem emtoris melioris oblatio debeat admitti, ea tantummodo vsque ad traditionem perfectam locum habere potest.

§. 276. Si traditio quoque perfecta est sine adiectione termini, intra quem emtor melior admitti debeat, in se aut per relationem ad certum factum aut euentum definiti; eiusmodi pactum secundarium effectus legitimos non habet.

§. 277. Ius fluens ex eiusmodi pacto secundario in se valido et firmo (§. 272.) ad venditoris quoque heredes transit.

§. 278. Et creditores eius, intuitu huius iuris, in eius locum succedunt, si ante termini decursum bona eius ad concursum redierunt.

§. 279. Qui melior emtor sit habendus, ex venditoris iudicio et decisione vnice pendet.

Source : BIU Cujas

§. 280. Si plures rem communi nomine vendiderunt, in regula ille tantum melior emtor habendus, quem omnes meliorem agnoſcunt.

§. 281. Si venditores plures de praecipua primi aut ſecundi emtoris oblatione in varias abierunt ſententias, haec ſententiarum diuerſitas ſecundum principia de communi dominio eſt dirimenda. (Tit. XVII. Sect. I.)

§. 282. Neque licitatio melior (licitationis praeferentia) vnius plurium venditorum, neque vnius plurium emtorum ad remouendum emtorem primum admittitur.

§ 283. Negotium, ex cuius fundamento emtor prior alteri cedere debeat, verum emtionis venditionis negotium, neque aliud, neque mixtum ſit, neceſſe eſt.

§. 284. Si igitur e. g. emtor ſecundus non totum emtionis venditionis pretium in pecunia offert, ſed loco illius, in totum aut ex parte, permutationem, contractum vitalitium, conceſſionem iuris etc. caſus pacti ſecundarii (lateralis) non adeſt.

§. 285. Neque remoueri emtor prior poteſt conditionibus emtoris ſecundi ſecundariis, (lateralibus) quae pecunia aeſtimari nequeunt.

§. 286. Si emtor melior verus obuenerit, venditoris eſt, iſtum emtori priori denominare, et meliorem ſibi oblatam conditionem plene indicare.

§. 287. Emtor prior, cui conditiones oblatae placent, iure protimiſeos gaudet.

§. 288. Si venditor doloſe egit vel in denuntiando emtore meliore, vel indicandis conditionibus, ab eo oblatis; iure ſuo reſeruato priuatur, et emtori damnum reſarcire et ſumtus refundere tenetur.

§. 289. De exercendo iure protimiſeos emtor prior, de meliore, qui obuenit, emtore rite (§. 286.) certior factus, intra dies octo voluntatem declarare debet, ſi in conuentione terminus praefixus eſt nullus.

Source : BIU Cujas

§. 290. Si emtio prior rescinditur eo, quod melior emtor obuenerit; emtor prior, cui res erat iam tradita, quod ad tempus interiectum, omnibus bonae fidei possessoris iuribus gaudet.

§. 291. At neque eiusmodi emtor re simul potest et pretio vti.

§. 292. In quantum igitur emtionis pretium nondum soluerat, in tantum, at ex sua electione, vel eius vsuras per tempus interiectum soluere, vel fructuum et emolumentorum rationem reddere tenetur.

§. 293. Integrum tamen est partibus, de vsurarum praestatione et fructuum ratione in casum, si a contractu recedant, aliud constituere.

§. 294. Si res plures coniunctim vno eodemque pretio venditae, aut si rerum complexus (s. vniuersitas) venditus, emtoris melioris reseruatio locum tantum habet intuitu complexus totius, non vero rerum aut particularum singularum.

§. 295. De iure protimiseos et retractus suo loco agitur. (Tit. XX. Sect. III.) 4) de iure protimiseos et retractus,

§. 296. Emtione venditione sub reseruatione iuris de retrouendendo facta, in casu dubio praesumitur, venditori rem eodem, quod pro ea accepit, pretio esse restituendam. 5) de retrouenditione a) de pretio retrouenditionis,

§. 297. In exercenda retrouenditione, nisi de alio fuerit conuentum, fructus et emolumenta, aut vsus rei venditae, et vsurae pretii pacti, compensantur. b) de vsuris et fructibus,

§. 298. Reemtor rem accipere tenetur in eo statu, in quo est eo tempore, quo ius suum exercet. c) de deteriorationibus,

§. 299. Si vero, qui adhuc fuit possessor, rem pretio deminuit, licet leuissima tantum culpa, aut alienanda pertinentia aut inuentarii particula, reemtori, quod deficit, compensare tenetur.

§. 300. Istarum particularum defectus et deminutionis, ex solito earum vsu, casu, aut leui etiam pos-

Source : BIU Cujas

ſeſſoris culpa exorti, non niſi in tantum habetur ratio, in quantum poſſeſſor eiusmodi defectum ex prouentibus ſecundum regulas oeconomiae bonae more ſolito exercendae reſtituere debebat et poterat.

d) ſi res integra periit,

§. 301. Si res integra periit, ius de retrouendendo reſoluitur; interitus ſiue caſu, ſiue poſſeſſoris culpa, aut leui aut leuiſſima, fuerit ortus.

§. 302. At poſſeſſor, qui iacturae aut interitus rei data opera aut culpa lata anſam dedit, ei, cui ius reemtionis competit, damnum inde ortum, et lucrum ceſſans omne plene reſtituere tenetur.

e) de meliorationibus,

§. 303. Meliorationis impenſas reemtor poſſeſſori ſecundum eadem principia reſtituere tenetur, ſecundum quae dominus bonae fidei poſſeſſori eas compenſare debet. (Tit. VII. §. 204. ſeqq.)

§. 304. Meliorationum ſine vllo poſſeſſoris concurſu ex natura aut caſu ortarum compenſationem petere nullam poteſt poſſeſſor, contra quem locum habet reemtio.

§. 305. Si vero poſſeſſor labore ſuo, et opera, et interceſſione apud tertium, et beneficiis a tertio pro meritis ſuis acceptis, aut limitatione oeconomica iuris vtendi ipſi competentis, meliorationem ſubſtantiae permanentem effecit, haec ipſi compenſanda pro ratione meliorationis pretii veri tempore reemtionis.

f) de impenſis in conſeruationem factis,

§. 306. Impenſarum in meram conſeruationem ſubſtantiae aut pretii (ſ. valoris) factarum, licet extraordinariarum, reſtitutio poſſeſſori non competit.

§. 307. Si vero poſſeſſor, contra quem reemtionis ius locum habet, in refectionem rei ſubſtantiae, aduerſis caſibus laeſae, impenſas plures fecerit, quam erogari poterant ex anni, quo caſus accidit, reditibus, deductis ſumtibus ad rei vſum oeconomicum neceſſariis; reemtor reſtituere tenetur reliquum, (exceſſum.)

g) de ſolutione pretii in retrouenditione,

§. 308. Ius retrouenditionis, deficientibus expreſſis conuentionibus, exerceri tantum poteſt ſolu-

Source : BIU Cujas

tione reemtionis pretii in pecunia numerata, et adimpletis reliquis conditionibus, non ſola igitur eius oblatione.

§. 309. Lis vero de monetae ſpecie exorta diiudicanda ex principiis de reſtituenda acceptae pecuniae ſumma praeſcriptis. (§. 778. ſeqq.)

§. 310. Reemtionis ſumtus iudiciales et alios, niſi de alio eſt conuentum, reemtor ſuſtinere tenetur. *h*) de ſumtibus reemtionis,

§. 311. Quatenus retrouenditionis ius pactum contra tertium etiam effectus habeat, ex praeceptis §. 264. 265. eſt definiendum.

§. 312. Ius retrouenditionis et reemtionis contra rei poſſeſſoris voluntatem tertio cedi nequit. *i*) quatenus hoc ius cedi poſſit,

§. 313. Qui vero fundum acquirit, eo ipſo ſimul ius ſibi acquirit, pertinentias ſub lege reemtionis venditas ſibi reemendi.

§. 314. Si ad ius reemtionis exercendum certum tempus pacto aut lege eſt determinatum, hoc tempore praeterlapſo illud extinguitur. *k*) quamdiu ius retrouenditionis exerceri poſſit.

§. 315. Temporis determinatione ita expreſſa, vt inde terminus certus, quo retrouenditionis ius ceſſare debeat, non appareat; eiusmodi determinatio eundem producit effectum, ac ſi ad extinguendum ius tempus nullum eſſet praefixum.

§. 316. Si reemtionis iuris exercitio dies non eſt praefixus, hoc ius ad venditoris heredes non tranſit.

§. 317. Si venditor reemtionis ius ſibi heredibusque ſuis expreſſe reſeruauit, aut ſi alias ex pacti ſententia clare apparet, iuris huius exercitium quouis tempore locum habere, ius illud praeſcriptione nulla extinguitur.

§. 318. Quod quidem ius, ſi ſecundum determinationes allegatas ad heredes tranſit, exercere poſſunt heredes non ſolum legitimi, ſed pactis etiam aut vltimis voluntatis declarationibus vocati.

§. 319. De reemtionis iure poſteritati aut familiae venditoris reſeruato omnia valent, quae de

Source : BIU Cujas

retractus iure intuitu praediorum gentiliciorum fancita ſunt. (Part. II. Tit. IV. Sect. IV.)

§. 320. Si venditores aut heredes plures aequali reemtionis iure gaudent, ius illud exerceri tantum poteſt conſenſu omnium vnanimi.

l) de mutui aut pignoris negotio, ſub retroëmtione latente,

§. 321. Si ſub reſeruato iure de retroëmendo negotium vſurarium latet, emtio venditio eſt nulla, et actus habetur pro pacto pignoraticio.

§. 322. Vtrum negotium mutuum (crediti) fuerit, an vera emtio venditio, a iudice, ſi plene res erui non poteſt, diiudicandum ex contrahentium qualitate; ex conditione rei, ſic dictae, venditae, prout ea emtori vero eſſe vſui potuit, an minus; ex termino intra emtionem et retroëmtionem praefixo longiori aut breuiori; et ex rei circumſtantiis obuenientibus reliquis.

§. 323. In primis praeſumtio oritur negotii mutui vſurarii, ſi emtionis venditionis pretium, et reemtionis retrouenditionis pretium inter ſe maiorem in modum differunt;

§. 324. Et tum, ſi res eſt vendita fructus ferens et emolumenta, et pretium vtrumque, ratione veri rei pretii habita, vilius eſt definitum, ſimul autem retroëmtionis terminus ſolito breuior eſt praefixus.

§. 325. Solito breuior habendus terminus, qua res mobiles, elapſus ante ſex menſes; qua res immobiles, elapſus ante tres annos.

§. 326. Caeterum, ſi negotio non vera emtio venditio ſed mutuum tantum ſubeſt, relatio inter partes diiudicanda regulis, in legibus (Tit. XX. Sect. I.) in eum caſum praeſcriptis, ſi pignoris adminiſtratio pignoris detentori eſt conceſſa.

m) Vtrum in caſu dubio ius retrouenditionis emtori, an venditori competat,

§. 327. In regula ius retroëmtionis in venditoris commodum pactum fuiſſe cenſendum.

§. 328. Quod ſi vero emtor retraditionem expreſſe ſibi reſeruauerit, iura eius et obligationes diiudicandae ſunt ex iisdem praefinitionibus, §. 296. ſeqq.

Source : BIU Cujas

§. 329. Cenſus redimibiles, niſi ex contractu aliud appareat, ab eo tantum, a quo ſoluendi, at non ab eo, qui eos poſtulare poteſt, relui poſſunt. n) de cenſibus redimibilibus.

§. 330. Si vero debitor cenſuum redimibilium eos per annos tres continuos non ſoluit, ad eos reluendos, agere poteſt, cui ius eos exigendi competit.

§. 331. Si emtor aut venditor ius ſibi reſeruauit poenitentiae intra certum tempus, iſta reſeruatio habenda pro conditione reſolutiua. 6) De emtione poenitentiae.

§. 332. Traditione facta, et emtionis venditic. pretio ſoluto, eiusmodi pactum ex retroëmtionis regulis eſt diiudicandum.

§. 333. Si res emtori eum tantum in finem eſt data, vt eam exploret, emtio venditio effectus ſuos habet ab eo demum tempore, quo emtor expreſſe aut tacite declarauit, rem pactam ſibi placere. 7) De emtione cum pacto adiecto, ſi emtori placeat; ſeu pacto diſplicentiae.

§. 334. Pro eiusmodi tacita declaratione habendum, ſi emtor, re in poſſeſſionem accepta, pretium, de quo erat conuentum, absque reſeruatione ſoluit.

§. 335. At contra, ſimulac emtor declarat, rem ſibi diſplicere; iura mutua omnia et obligationes mutuae ex emtionis venditionis contractu, cui pactum eiusmodi ſecundarium eſt adiectum, eo ipſo ceſſant.

§. 336. Si emtor tempus certum, eum in finem ipſi praefinitum, vt declaret, an rem ſibi habere velit, praetermittit, voluntatis declaratione non facta; a pacto recedere non amplius poteſt.

§. 337. Sin terminus non eſt praefixus, venditori licet, iudicem adire, qui ſecundum praecepta Tit. V. §. 230. ſeqq. praefinitionem iſtam ſuppleat.

§. 338. Quoad emtor rem explorandi cauſa tenet, eos tantum caſus aduerſos praeſtat, qui lata eius aut leui culpa ſunt exorti.

§. 339. Rei explorandi cauſa datae vſus inſolitus emtori non competit, atque adeo ad omne damnum eo exortum, praeſtandum tenetur.

Source : BIU Cujas

De venditionibus iudicialibus

§. 340. In venditionibus etiam iudicialibus locum habent principia generalia de emtionis venditionis negotiis.

§. 341. Quatenus in venditionibus iudicialibus neceſſariis ab iſtis regulis recedatur, in ordinatione proceſſus eſt ſancitum.

§. 342. In primis in venditionibus iudicialibus neceſſariis, per adiudicationem, ad emtorem tranſeunt, dominium, fructus et emolumenta, periculum, et onera, licet res emta ipſi nondum ſit tradita.

§. 343. Rem in venditione iudiciali neceſſaria aut voluntaria ementi nihil prodeſt erroris emtionem inualidam reddentis praeſumtio, in emtoris fauorem §. 58. ex proportione iniqua rei pretii ad pactum emtionis pretium oriunda.

§. 344. Quod ad euictionis praeſtationem, venditio iudicialis neceſſaria emtioni venditioni per auerſionem aequiparanda. (§. 213.)

§. 345. Emtionis pretii ſolutio in quauis venditione iudiciali, niſi de alio fuerit conuentum, ſemper eo loco praeſtanda, quo facta eſt adiudicatio.

§. 346. In venditione iudiciali neceſſaria omni conſentire emtorem oportet, vt, ſi termino peremtorio pretii ſolutionem non praeſtiterit, res repetatur, et periculo et ſumtibus ſuis iterum publice a iudice venditetur.

§. 347. Venditio iudicialis neceſſaria poteſt reuocari ob neglecta formalia eſſentialia a legibus praeſcripta.

§. 348. In ſubhaſtatione formalia eſſentialia tum tantum neglecta cenſenda:

1) ſi ſubhaſtatio fuerit decreta ſine taxatione antecedente;

2) ſi promulgationis ſpecierum legibus praeſcriptarum vlla plane fuerit omiſſa;

Source : BIU Cujas

3) si iudex venditionis terminum vltimum praefixerit breuiorem, quam ex legibus fieri debeat;
4) si sine consensu eorum, quorum interest, omnium, res fuerit adiudicata, antequam terminus aduenit vltimus;
5) si in literis subhastationis patentibus affigendis aut refigendis, aut nouellis inferendis publicis plus diebus quatuordecim tempore fuerit peccatum;
6) si personae iudiciali secundum §phum 22. exclusae, plus licitanti, res fuerit adiudicata sine consensu expresso debitoris communis, et creditorum omnium.

§. 349. Auctioni iudiciali necessariae forma essentialis tum demum deest:

1) si auctionis terminus plane non fuerit publicatus;
2) si res sine consensu expresso omnium, quorum interest, auctionis commissario aut praeconi fuerit adiudicata;
3) si res, secundum leges sub hasta vendendae, auctione tantum fuerint distractae.

§. 350. At vero etiam ob defectum eiusmodi formalium essentialium adiudicationis reuocationem petere tantum venditor potest, aut ille, cuius ex iure quaesito interest; nunquam autem emtor.

§. 351. Petitio adiudicationis reuocandae sub iuris iactura intra annum et diem post factam adiudicationem offerenda iudici competenti eius iudicii, a quo facta adiudicatio.

§. 352. Quod ad res, quae auctionis tantum lege venduntur, reuocatio intra hebdomadas sex post factam adiudicationem fieri debet.

§. 353. Adiudicatione facta irrita, restituendum est pretium solutum emtori; qui tanquam bonae fidei

Source : BIU Cujas

poſſeſſor tractatur non ſolum, qua meliorationes et deteriorationes, ſed etiam qua impenſas in conſeruationem rei factas, et fructus atque emolumenta.

§. 354. De pretii nondum ſoluti vſuris locum obtinet praeceptum §. 292.

§. 355. Iudex, qui in eo peccauit, de damno et ſumtibus reſpondere tenetur iis, quorum intereſt.

§. 356. Ius tertii, ad quem res peruenit ab eo, qui plus licitando eam emerat, tum demum impugnari poteſt, ſi poteſt conuinci, peccati ſ. erroris commiſſi notitiam habuiſſe eo tempore, quo rem ſibi acquiſiuit.

§. 357. Ob neglecta formalia alia adiudicatio ſemel facta a parte neutra poteſt aboleri.

§. 358. Quin potius iudex negligentiae, cuius conuincitur, proportioni conuenienter punitur; et iis, quorum intereſt, omne praeſtat damnum, quod inde probatur exortum.

§. 359. Defectui autem, ſi indicatur ante adiudicationem factam, ſumtibus occurrendum eſt eius, qui cauſa erat defectus.

§. 360. In venditionibus iudicialibus voluntariis eorum, quorum intereſt, iura atque officia, inter ſe vnice diiudicanda ſunt ſecundum ipſorum conuentiones.

§. 361. Adiudicationis ſententia in eiusmodi ſubhaſtationibus eſt loco contractus.

§. 362. Caeterum et de adiudicatione abolienda valent tantum praecepta legalia de priuatorum emtione venditione ſancita.

Sectio Secunda.

De permutationis pacto.

§. 363. Permutatio eſt pactum, quo alter contrahens alteri obligatur ad transferendum in eum rei alicuius dominium, ea lege, vt aliam pro ea alter cedat.

Source : BIU Cujas

§. 364. In permutatione contrahens omnis, qua rem, quam dat, venditor, qua rem, quam pro ea accipit, emtor habendus.

§. 365. In quibuscunque circumstantiis emtor ob proportionem iniquam pretii rei et emtionis pretii, pro ea soluti, ab emtione potest recedere, in iisdem contrahentium vtrique ius a permutatione recedendi competit, ob eiusmodi proportionem iniquam rei acceptae et rei pro ea datae.

§. 366. In eiusmodi casu pretium rei vtriusque inuicem permutatae eruendum est a rei peritis iuratis.

§. 367. Rebus alienis permutatis, praecepta §. 154. sqq. locum inueniunt.

§. 368. At vero rem dans alienam, quatenus in genere ad euictionem praestandam est obligatus, accipienti, cui data res omnis ademta, restituere tenetur rem pro ea acceptam.

§. 369. Si vero, rem dans alienam, dolose egit, accipienti est electio: vtrum recipere rem permutatam velit, an postulare a dante plenam reparationem damni et lucri cessantis, orti ex ademtione rei, permutatione acquisitae.

§. 370. Si contrahentium alteri pars tantum rei permutatione acquisitae tertii petitione est ademta, vtraque res permutata est aestumanda, et deinde partis ademtae pretium proportione aequa definiendum.

§. 371. In quibuscunque casibus, emtione venditione rescissa, fructus et emolumenta rei, et emtionis pretii vsurae compensantur, in iisdem locum habet eadem compensatio fructuum et emolumentorum rerum permutatarum.

§. 372. In quibuscunque casibus emtor ob instantem tertii rei emtae petitionem ius habet emtionis pretium retinendi, et iudicialiter deponendi; in iisdem permutanti, si res permutata a tertio petitur, ius est, rem pro ea permutando acceptam tradendi iudicio custodiendam et administrandam.

Source : BIU Cujas

§. 373. Si pecunia permutatur pecunia, leges de ſolutionibus locum habent.

§. 374. Numi (numismata) memoriales, et monetae, quae raritatis cauſa quaeruntur, in hac etiam relatione pro pecunia non habendi.

§. 375. In eiusmodi numorum emtione aut permutatione exceptio laeſionis vltra aut infra dimidium nunquam locum habet.

Sectio Tertia.

De ceſſione iurium.

Definitio et principia generalia.

§. 376. Ceſſio iurium ſupponit pactum, quo quis obligatur, ad concedendum alteri dominium ſui iuris pro compenſatione definita.

§. 377. Actus ipſe, quo ius cedendum in alterum re vera transfertur, vocatur ceſſio.

§. 378. Si ius ſine compenſatione ceditur, actus pro donatione habendus. (Sect. IX.)

§. 379. Quid iuris ſit, ſi quis iuris ſui parti eum in finem renuntiat, vt eo reliquas ſibi ſeruet integras; id quidem eſt diiudicandum ex doctrina de transactionibus. (Tit. XVI. Sect. VIII.)

§. 380. Sola nominis aſſignatio pro eius ceſſione nondum eſt habenda. (Tit. XVI. Sect. V.)

§. 381. In ceſſione, proprie ſic dicta, locum habent regulae emtionis venditionis aut permutationis, prout pecunia numerata, ſiue res alia, ſiue ius pro ea data.

Quid cedi poſſit.

§. 382. Omnia iura, detentoris perſonae non inhaerentia, cedi aliis poſſunt.

§. 383. Ceſſio etiam litis pendentis eſt licita.

§. 384. Per ceſſionem litis pendentis neque qua forum, neque qua proceſſus ſtatum, quidquam mutatur.

§. 385. Perſonae iudiciales et iuſtitiae commiſſarii acquirere ſibi non poſſunt iura controuerſa, quorum cognitio pendet ab eo, cui ipſi adſcripti ſunt, foro, ſiue ſit in prima inſtantia, ſiue in ſequentium vlla.

§. 386.

Source : BIU Cujas

§. 386. Iura controuerſa ſeu litigioſa vocantur hic iura omnia, ceſſionis tempore ab obligato vel ex toto, vel ex parte non agnita.

§. 387. Si autem perſonae eiusmodi (§. 385.) nihilominus eiusmodi ceſſiones ſubierunt, ceſſiones ſunt nullae, et ceſſionarius tenetur cedenti, vti debitori, ad damnum reſarciendum, reipublicae autem ex vlteriori legum criminalium definitione ad poenam luendam.

§. 388. Iniuriarum actiones cedi alteri nunquam poſſunt.

§. 389. At omnino iuris ad indemnitatem ceſſio eſt licita, quatenus pecunia poteſt aeſtumari indemnitas.

§. 390. Quid pro iure ceſſo ſit ſoluendum, aut dandum, a partium conſenſu vnice dependet. De valuta in ceſſionibus.

§. 391. Hinc obligatus tueri contra detentorem ſe nequit eo, quod hic pretio iuſto viliori ius emerit.

§. 392. At vero de dolo omni in eiusmodi negotio commiſſo diſci nomine inquirendum, et ſecundum legum criminalium praeſcripta dolus puniendus.

§. 393. Cedentis declaratione, alteri ab eo momento ius competere iuris ipſi ceſſi, tanquam ſui, exercendi, et huius declarationis acceptatione, iuris dominium ipſum ad nouum detentorem tranſit. Forma.

§. 394. Si nomen ceditur, cuius documenta exiſtunt epiſtolis ſcripta, ceſſio ſemper, ſine ſummae diſcrimine, ſcriptis expediatur neceſſe eſt.

§. 395. Debitor ſine periculo ſoluere eiusmodi tantum ceſſionario poteſt, qui documenti (inſtrumenti) poſſeſſione, et ceſſione ſimul, ſcriptis ſibi facta, ſe legitimat.

§. 396. Solutione praeſtita, curare debet inſtrumentum ſibi exhibendum, aut ſolutionem factam in inſtrumento adnotandam, ſi tantum pars eſt ſoluta, de ſumma deinceps detrahenda.

Source : BIU Cujas

§. 397. Quibus cautionibus (§. 395. 396.) neglectis, debitor exceptione solutionis praestitae contra tertium bonae fidei nominis detentorem tueri se nequit.

§. 398. Cedenti vero solutio obstat, si cessio, ab ipso facta acceptanti, vel alio tantum modo potest probari.

§. 399. Si ex pluribus vnius eiusdemque instrumenti nominibus seu iuribus vnum tantum ceditur, instrumenti conficienda est copia fide munita; in qua cessio inscribenda; in instrumento principali autem est notandum, ex eius iuribus vnum esse cessum, et quod eorum cessum sit.

§. 400. De cessionibus nominum in libro hypothecario consignatorum, et cambiorum et assignationum mercatorum, ea, quae necessaria sunt, suo loco speciatim sunt praescripta. (Tit. XX. Sect. 1. Part. II. Tit. VIII. Sect. VIII. IX.)

§. 401. Ad transferendum dominium instrumentorum, in quemuis detentorem sonantium, cessione non opus est.

Effectus cessionis inter cessionarium et debitorem,

§. 402. Ex cessione detentor nouus succedit in cedentis iura cessa omnia et obligationes cum his coniunctas.

§. 403. Priuilegia etiam singularia, iuri cesso respectu naturae eius et conditionis attributa, vel sine expressa translatione ad nouum transeunt detentorem.

§. 404. Huc pertinent ea quoque priuilegia, quae iuri ipsi respectu qualitatis personalis detentoris prioris insunt; non vero iura mere personalia, quae, vti fisci iura praerogatiua fori et sportularum immunitatis, exerceri tantum poterant a detentore priori, iuris cessi occasione.

§. 405. Cessionarius iuribus suis personalibus praerogatiuis neque contra debitorem vti potest, neque contra reliquos eius creditores.

§. 406. Fisco igitur, ecclesiis, piis corporibus, aliisque personis moralibus priuilegiatis, quibus ab aliis personis priuatis iura ceduntur, ratione horum

Source : BIU Cujas

iurium ea iuris priuilegia non competunt, quae leges attribuunt petitionibus (praetenſionibus) et iuribus, originarie iis competentibus.

§. 407. Debitor ſummae ceſſae ceſſionario etiam poteſt opponere exceptiones et petitiones contrarias, quas cedenti opponere poterat, omnes.

§. 408. In genere debitoris obligatio ceſſione iuris alteri facta nunquam fiat deterior.

§. 409. Hinc debitoris conſenſus ad ceſſionis validitatem in ſe non eſt neceſſarius.

§. 410. Si debitori pro rerum circumſtantiis ſingularibus ratio eſt metuendi, vt ſuis contra cedentem exceptionibus aut petitionibus contrariis aduerſus ceſſionarium vti poſſit, harum exceptionum et petitionum contrariarum cautionem a cedente poteſt poſtulare.

§. 411. Diuerſitas ſtatus, religionis, et quaeſtus ceſſionarii non ita eſt diiudicanda, ac ſi debitori inde periculum eſſet metuendum.

§. 412. Debitori, qui ceſſionarium nominis, (ſ. praetenſionis) qualitate et quantitate definiti, modo legitimo ſemel creditorem agnouit, non amplius licet, ceſſionario opponere exceptiones et petitiones contrarias, quas ipſi eſſe contra cedentem putat. (Tit. V. §. 37. 38. 185-192.)

§. 413. Dum ceſſio facta non rite eſt debitori nuntiata, in debitoris fauorem valent transactiones eius cum cedente peractae omnes.

§. 414. Quaelibet a cedente, aut a iudice facta nuntiatio (notificatio) iam ſufficit ad obligandum debitorem, ne de iure ceſſo cum cedente amplius tranſigat.

§. 415. Si vero nuntiatio per ceſſionarium facta, hunc veritatem aſſerti probare oportet intra tres dies, producendo inſtrumento ceſſo et rite inſcripto, aut alio modo. (§. 394. ſeqq.)

§. 416. Quo termino non obſeruato, ſi iuris detentor originarius veritatem ſic dictae ceſſionis

Source : BIU Cujas

denegat, debitor poteſt cum vltimo de iure tranſigere.

§. 417. At omnes conuentiones inter cedentem et debitorem, ceſſione re vera facta, ſunt inualidae, ſi clare apparet, debitorem ceſſionis non ignarum iſtas conuentiones tantum celebraſſe, ad ſuum commodum cum ceſſionarii detrimento promouendum.

§. 418. Ceſſio, ſub conditione ſuſpenſiua aut reſolutiua facta, ſi debitori rite eſt nuntiata, hic, ante plenum rei exitum, neque cum cedente, neque cum ceſſionario, vnilateraliter, conuentiones inire validas poteſt.

§. 419. Si debitor ante rei exitum ſolutionem velit praeſtare, aut ſi ad ſoluendum ob terminum praeterlapſum ab vna alteraue parte admoneatur, ſolutio cedentis ſumtibus praeſtanda in iudicii depoſitum.

inter cedentem et ceſſionarium,

§. 420. Cedens praeſtare tenetur ceſſionario iuris ceſſi veritatem et legitimam validitatem.

intuitu veritatis, (realitatis)

§. 421. Si ius expreſſe tanquam dubium eſt ceſſum, aut ſi cedenti euictionis praeſtatio expreſſe eſt remiſſa; hic tantum ad eam tum eſt obligatus, ſi ceſſionarium celauit veram rei conditionem et circumſtantias ſibi cognitas, aut ſi alio modo doloſe egit.

§. 422. Cedens, qui ius manifeſte falſum conſulto tanquam dubium tantum indicauit, decipienti aequiparandus.

§. 423. Cedens, ad veritatem iuris ceſſi praeſtandam obligatus, ſi falſum ius apparet, et omne damnum refarcire et ſumtus reſtituere ceſſionario tenetur.

§. 424. Si in dolo fuit, ceſſionario omne id, quod intereſt, refundere tenetur.

§. 425. Quae tamen obligatio nunquam in eam ſummam extendenda, qua ius ceſſum excedit ſummam, a ceſſionario pro eo ſolutam, et quam lucrandi in hoc negotio ceſſionarius ſpem habebat.

Source : BIU Cujas

§. 426. Ceſſionario, cui de veritate et legitima validitate iuris ſibi emti lis mouetur, intuitu litis denuntiandae cedenti ad euictionem praeſtandam eadem ſunt obſeruanda, quae emtori, contra quem de re emta agitur, ſunt praecepta. (§. 143. ſqq.)

§. 427. Si nomen in libro hypothecario conſignatum (ſ. inſertum) eſt ceſſum, cedens eius ſecuritatem non praeſtat, niſi eam in ſe expreſſe ſuſceperit. intuitu ſecuritatis ſeu bonitatis.

§. 428. Quid iuris ſit intuitu cambiorum indoſſatorum (ſ. indoſſamentorum) et aſſignationum mercatorum, ſuo loco eſt ſancitum. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VIII. IX.)

§. 429. Aliorum etiam nominum ceſſorum ſecuritatem cedens non praeſtat, ſimul ac ceſſionarius nomen ſibi emit ſumma minori, quam re vera efficit, non expreſſe ſibi in pacto reſeruata euictionis praeſtatione.

§. 430. Quibus caſibus exceptis (§. 427. 428. 429.) cedens quoque iuris ceſſi ſecuritatem praeſtat, niſi euictionis praeſtatio ei fuerit expreſſe remiſſa, aut ius ratione ſecuritatis tanquam dubium ceſſum.

§. 431. Quin et in iis caſibus, vbi ſecundum principia antecedentia ſecuritatem praeſtare cedens tenetur, omnes mutationes poſt ceſſionem ſine vllo eius concurſu accidentes, afficiunt ceſſionarium, tanquam dominum.

§. 432. Atque etiam eiusmodi iactura, quae ceſſionarii culpa propria, licet leui, eſt exorta, in quouis caſu a ceſſionario ſuſtinenda.

§. 433. Caſus quoque, nominis exactionem impedientes, ceſſionarium ferre oportet.

§. 434. Ceſſionarius, qui nomen (praetenſionem) praeterlapſo tempore conſtituto, non ſtatim exegit, aut debitori ſponte ſine expreſſo cedentis conſenſu indulſit, iure regrediendi ad cedentem priuatur.

§. 435. Nomina, quorum dies antecedente renuntiatione (ſ. auiſatione) demum venit, ceſſionarius,

Source : BIU Cujas

ſub regreſſus iactura intra tres menſes poſt ceſſionem factam iudicialiter renuntiare (ſ. auiſare) debet.

§. 436. Si bona debitoris vſque ad diem praeſtitutum, aut lapſum temporis renuntiandi (ſ. auiſandi) ad concurſum creditorum redierunt, accipiendum eſt, nomen, quatenus ei in concurſu ſatisfieri non poteſt, iam ceſſionis tempore non fuiſſe bonum et ſecurum.

§. 437. Cedens itaque deminutionem praeſtare debet, quatenus in genere ab euictione praeſtanda, quod ad ſecuritatem, ſecundum principia antecedentia non eſt liberatus.

§. 438. Praeterea ceſſionarius, vel leuiſſimam culpam, in vrgenda executione commiſſam, praeſtat.

§. 439. At inde ab eo temporis momento, quo moram ſolutionis cedenti nuntiauit, leuem tantum culpam praeſtat.

§. 440. Nomine ceſſo ob ſecuritatis defectum vel integro vel ex parte perdito, et cedente ſecundum principia allegata ad euictionem praeſtandam obligato, cedens ceſſionario tenetur ad praeſtandum omne id, quod ſoluit aut dedit, vna cum damno et ſumtibus.

§. 441. Sin vero cedens in indicanda ſecuritate doloſe egit, praeceptum §. 424. 425. locum obtinet.

De ceſſionibus neceſſariis.

§. 442. In quibuscunque caſibus aliquis ſolutione pro altero aut loco alterius praeſtita, ſecundum legum praecepta in locum ſuccedit creditoris, cui ſoluit; in iisdem etiam ius ei competit, poſtulandi a creditore ceſſionem expreſſam iurium in debitorem.

§. 443. Creditorem, cui ſolutio praeſtita, ceſſionem pertinaciter recuſantem, iudex a ſoluente imploratus ad exhibendam ceſſionem cogere debet mediante executione.

§. 444. At in eiusmodi tamen caſibus cedens nominis (praetenſionis) neque veritatem neque ſecuritatem praeſtat, quatenus in negotio doli expers.

Source : BIU Cujas

Sectio Quarta.

De hereditatis emtione venditione.

§. 445. Hereditas re vera delata et vacans ſ. libera vendi tantum et cedi alteri valide poteſt. Quae hereditates vendi poſſint.

§. 446. Venditio hereditatis definitae aut indefinitae, venditori poſt demum deferendae, eſt nulla.

§. 447. Ea tantum eſt vera hereditatis emtio venditio, ſi ius hereditarium ipſum aut eius pars eſt vendita.

§. 448. Definito tantum complexu hereditatis rerum vendito, negotium non niſi ex legum praeceptis de venditione complexus rerum eſt diiudicandum.

§. 449. Idem obtinet, ſi hereditas tantum ad inuentarium de ea confectum eſt vendita.

§. 450. Niſi ex reliqua contractus ſententia appareat, relationem ad inuentarium tantum melioris determinationis et deſignationis cauſa fuiſſe adiectam.

§. 451. Hereditatem acquirendi aut adeundi incapax, eam neque emere ab alio vel capaci, neque vendere perſonae eiusmodi poteſt. Quis hereditatem emere et vendere poſſit.

§. 452. Heredis facultas (poteſtas) hereditatem vendendi ſecundum delationis tempus diiudicatur.

§. 453. Neque is vendere hereditatem valide poteſt, cui, tanquam indigno, iam delata eripitur.

§. 454. In vera hereditatis emtione venditor ſuccedit in heredis iura et obligationes omnes. Quid ſub hereditatis emtione venditione comprehendatur, vel non comprehendatur.

§. 455. Heredis iura ipſa et obligationes, intuitu hereditatem relinquentis et rerum ad hereditatem relictam pertinentium, manent immutatae, niſi de alio fuerit conuentum.

§. 456. Atque adeo res ita diiudicatur, ac ſi hereditas ſtatim emtori, non venditori fuiſſet delata (ac ſi hereditas in emtorem, non vero venditorem eſſet delapſa.)

§. 457. Quidquid ad heredem vi iuris hereditarii peruenisſet, iuris hereditarii emtori cedit.

Source : BIU Cujas

§. 458. Ad venditorem tranſeunt quoque, quae poſt acquiruntur, et heredi, vi iuris hereditarii venditi, ex vacantibus portionibus quorundam coheredum aut legatariorum accreſcunt.

§. 459. At contra, ſub hereditatis venditione non comprehenduntur iura, quae ex ſubſtitutione pupillari aut fideicommiſſaria heredi competunt in hereditatis relictae partem, quae iam ad alium peruenit.

§. 460. Idem valet de legatis, quae heredum vni ſunt praelegata, aut de iis, quae ei per donationem mortis cauſa ſunt data.

§. 461. Res et iura, quae venditori non ab hereditatem relinquente, ſed per eum tantum, et eius morte contingunt, in caſu dubio non cenſendae ſimul venditae.

Rationes (ſ. nexus) intuitu legatariorum, creditorum et debitorum.

§. 462. Ius creditorum hereditatis et legatariorum non mutatur hereditatis venditione.

§. 463. Quibus licet, ſatisfactionis ſuae cauſa agere contra hereditatis emtorem, aut ipſum hereditatis heredem.

§. 464. Ac licet emtorem primo conuenerint, iis tamen regreſſus ad venditorem, heredem, eſt ſaluus.

§. 465. Quod tamen ius, ſi vti eo velint, ſimulac contra emtorem agunt, expreſſe debent ſibi reſeruare, et iſtam reſeruationem venditori iudicialiter indicare.

§. 466. Si creditores et legatarii hereditatis venditorem conueniunt, emtor ad cauſam illius agendam omni modo tenetur.

§. 467. De lite emtori denuntianda ad euictionem praeſtandam omnia valent, quae in doctrina de euictionis praeſtationibus (§. 143. ſqq.) praeſcripta ſunt emtori, a venditore eam poſtulaturo.

§. 468. Praeſtationes perſonales, quae pecunia aeſtimari non poſſunt, emtor neque ſuſcipere, neque venditori pro iis ſatisfacere tenetur.

§. 469. Heredi, qui emtoris in ſoluendo mora damnum ſenſit, damnum ab emtore reſarciendum.

Source : BIU Cujas

§. 470. Ad hereditatis onera, quae emtor vi pacti ſuſcipit, ſumtus etiam funeris defuncti referuntur, quatenus ab herede (ſucceſſore) nondum ſunt erogati.

§. 471. Rationes (ſ. nexus) inter hereditatis emtorem et hereditatis debitores diiudicandae ex principiis in ceſſionibus aſſumtis.

§. 472. Hereditatis debitor, qui emtorem non expreſſe agnouit creditorem ſuum, ei non ſolum poteſt opponere petitiones contrarias (ſ. praetenſiones reconuentionales) eas, quae contra defunctum ipſi competunt, ſed eas etiam, quae in heredem.

§. 473. Omnes hereditatis emtiones venditiones ſub poena nullitatis in iudicio ſunt perficiendae. Forma.

§. 474. Emtione venditione eo modo facta, hereditatis dominium et periculum tranſit ad emtorem. Effectus hereditatis emtionis venditionis.

§. 475. Quatenus tamen traditio naturalis eſt neceſſaria, qua emtor hereditatis poſſeſſionem acquirat, eatenus venditor et eam praeſtare tenetur.

§. 476. Emtori hereditatem in eo ſtatu exhibere debet venditor, quo ipſi eſt re vera delata.

§. 477. Res vero ſingulas, a morte hereditatem relinquentis vſque ad emtionem factam per rerum aut negotiorum naturam et ordinem ab hereditate ſeparatas, venditor emtori praeſtare non tenetur.

§. 478. Contra vero emtor accipit omnia, quae vel poſt hereditatem relinquentis mortem hereditati demum acceſſerunt.

§. 479. Documenta gentilicia, et ſcripta, et imagines gentiliciae, quae emtori pretio et vſui praecipuo eſſe nequeunt, in caſu dubio non cenſendae ſunt ſimul venditae.

§. 480. Venditor, qui ante pactum perfectum hereditatem relinquentis ſortes debiti (debita originalia) ſoluit, aut legata praeſtitit, nulla earum ſatisfactione in venditione ſibi reſeruata ab emtore eam petere nequit.

Source : BIU Cujas

§. 481. Idem valet de impenſis a venditore, vſque ad emtionem venditionem factam, in hereditatis ſubſtantiae conſeruationem et meliorationem erogatis.

§. 482. At fructuum et emolumentorum intuitu, et onerum inde praeſtandorum, hereditatis venditor vſque ad pactum perfectum bonae fidei poſſeſſori eſt aequiparandus.

§. 483. Ab emtionis factae tempore omnes fructus et emolumenta atque onera ad emtorem tranſeunt.

Euictionis praeſtatio.

§. 484. Venditor emtori ius tantum hereditarium praeſtare tenetur, non vero hereditatis ſingulas res aut iura ſingula.

§. 485. Quin potius eatenus hereditatis emtio venditio emtioni venditioni per auerſionem aequiparanda.

§. 486. Neque emtor ob defectum proportionis pretii, ab emtione recedere vnquam poteſt.

Si nullum ius hereditarium praeſtari poteſt.

§. 487. Venditor, qui emtori nullum ius hereditarium praeſtare poteſt, pretium acceptum debet refundere.

§. 488. Idem valet, ſi venditor emtori ius quidem verum hereditarium, at ſubſtitutione aut fideicommiſſis oneratum vendidit, non indicatis oneribus.

§. 489. Praeter emtionis pretii reſtitutionem venditor emtori, pro gradu culpae in paciſcendo commiſſae, ad id quoque praeſtandum tenetur, quod ob pacti nullitatem intereſt emtoris.

§. 490. Nunquam autem emtor ſub lucri ceſſantis praetextu petere poteſt pretii, quod fuit hereditati, maioris eam partem, qua hereditatis pretium excedit emtionis pretium ab ipſo ſolutum.

§. 491. De eo, quod hereditatis emtori ab herede, hereditatem adeunte, eſt compenſandum, et de hereditatis fructibus et emolumentis, et vſuris pretii, pro ea ſoluti, valent praecepta §. 154-162.

Source : BIU Cujas

§. 492. Si inueniuntur ius hereditarium venditum participantes ante non cogniti, emtori relinquitur, a contractu recedere. Si plures coheredes adsunt.

§. 493. Qui si a pacto recesserit, regulae §phi 487. seqq. locum habent.

§. 494. Sin vero non resilit, diminuendum est pretium pactum, pro ratione hereditatis portionis, quam emtor amittit.

§. 495. Si hereditas venditori sub certa tantum conditione est delata; parte vtraque in emendo vendendo eius nescia, pactum ipsum est nullum. In hereditate sub conditione relicta.

§. 496. Sin vero venditor conditionem, quam non ignorabat, emtorem celauerit, huic a pacto recedendi ius est.

§. 497. In quo casu aeque locum obtinent praecepta §. 487. sqq.

§. 498. Si vero conditio suspensiua hereditati adiecta ita est comparata, vt implementum eius a venditore dependeat, huic licet, conditionem statim adimplendo defectui mederi, pactumque seruare integrum.

§. 499. Emtor quoque, si eius interest, vt contractus valeat, necessitatis via iudiciali ad conditionem adimplendam cogere venditorem potest.

§. 500. Conditione autem adiecta resolutiua, et eius quidem generis, vt in venditoris sit potestate, efficere, ne conditio exsistat; et in hoc casu valent praecepta §. 498. 499. data, si quidem id effici statim potest.

§. 501. Si venditor non statim potest efficere id, quod fieri debet ad praecauendam conditionis resolutiuae existentiam; emtori, qui nihilominus pacto vult stare, ius competit, postulandi a venditore cautionem omnium, quae a venditore ipsi forent praestanda, si conditione incidente ius hereditarium amitteretur.

§. 502. Sin vero conditio eius est generis, vt eius implementum ab emtore ipso possit praestari, ex huius

Source : BIU Cujas

arbitrio pendet, an velit ſuſcipere negotium, et a venditore petere reparationem damni inde ipſi oriundi.

Si alia impedimenta iuri hereditario obſtant,

§. 503. Si impedimenta legitima alia ius hereditarium ipſum, aut eius exercitium, aut rerum hereditariarum ſingularum poſſeſſionem, et fructuum et emolumentorum perceptionem morantur, aut difficiliores reddunt; emtori non eſt ius petendi damni reparationem, quam ſibi non expreſſe reſeruauit.

§. 504. At damni reparationem poteſt petere, ſi impedimenta aut difficultates venditoris propria culpa lata aut leui ſunt exortae.

ſi is, cuius hereditas eſt vendita, adhuc eſt ſuperſtes.

§. 505. Si emtione facta apparet, eum, cuius hereditas eſt vendita, emtionis venditionis tempore, adhuc fuiſſe ſuperſtitem, negotium eſt nullum, licet hic paulo poſt diem obierit ſupremum.

§. 506. Si contrahentium alter haud ignorauit, eum, cuius hereditas vendita, eo tempore nondum fuiſſe mortuum, hic alteri omne damnum, ex pacto nullo ortum, reſarcire et impenſas reſtituere tenetur.

De iure detractus ſ. cenſu emigrationis in hereditatis emtionibus venditionibus.

§. 507. Si vendita hereditate emigrationis cenſui ſubiecta, non ipſa hereditas, ſed emtionis venditionis pretium tantum exportatur, cenſus tantum de pretio exigitur.

§. 508. Sin vero hereditas ipſa exportatur, illi, cui competit ius detractus (cenſus emigrationis) petendi, et ius eſt petendi, vt rerum exportandarum, emigrationis cenſui ſubiectarum, deſignatio plena ipſi exhibeatur, et vt res iudicialiter aeſtumentur.

§. 509. Si in caſibus, vbi de pretio tantum cenſus praeſtandus, ſpecioſa exoritur ſuſpicio vilioris, quam pactum eſt, emtionis pretii indicati, in detrimentum eius, cui cenſus emigrationis exigendi ius competit; huic petere licet pretii indicati confirmationem iuratam ab emtore et venditore.

§. 510. Caeterum is, cui cenſum iſtum exigendi ius competit, de eius ſolutione in primis agere poteſt contra emtorem, tanquam hereditatis poſſeſſorem.

Source : BIU Cujas

Sectio Quinta.

De contractu aeſtumatorio.

§. 511. Si quis rem ſuam pretio definito vendendam alteri tradit, ea lege, vt intra terminum praefixum vel res ipſa reddatur, aut pretium detur definitum, contractus eſt aeſtumatorius.

§. 512. Eiusmodi contractus aeſtumatorius de rebus mobilibus tantum poteſt celebrari.

§. 513. Rei dominium ad accipientem ſtatim tranſit elapſo termino praefixo.

§. 514. Detentor prior rem intra hoc temporis interuallum repetere nequit.

§. 515. Si vero accipiens, praeterlapſo termino definito, pretium conſtitutum non exhibet, detentori priori ius eſt vindicandi ſibi rem ipſam, ſi nondum vendita apud accipientem adhuc reperitur.

§. 516. Vſque ad terminum delapſum detentor prior damnum fert et iacturam, ſine accipientis culpa lata aut leui exorta.

§. 517. Accipiens contra, rem ante terminum aut termino praefixo redditurus, omnes acceſſiones naturales, tempore interiecto exortas, ſimul debet reſtituere.

§. 518. Et refarcire tenetur omne damnum et iacturam rei culpa ſua, vel leui, data.

§. 519. Sed dum rem in poſſeſſione habet, competunt ipſi omnes fructus et emolumenta et commoda, quae res praeter acceſſiones naturales poteſt praeſtare, niſi de alio fuerit conuentum.

§. 520. Si orto de bonis accipientis concurſu ante terminum delapſum res apud eum adhuc eſt inuenta, detentori (poſſeſſori) priori aut rem reſtituere, aut pretium, de quo eſt conuentum, pro ea ſoluere creditores oportet.

§. 521. Reſtitutionis termino, tempore concurſus exorti, iam praeterlapſo; aut re in bonis debitoris

Source : BIU Cujas

communis non amplius inuenta, detentor prior nomen in concurſu indicare, et expectare debet ſatisfactionem de pretio pacto ſecundum ordinem, prioritatis ſententia ipſi indicandum.

§. 522. Si cui res ad vendendum tradita, ſolutionis aut reſtitutionis termino certo praefinito nullo, merum mandatum eſt, ſ. commiſſum.

§. 523. Idem obtinet, reſtitutionis quidem termino, non autem pretio definito.

§. 524. Idem valet, ſi rem accipienti in venditionis ſuſceptae compenſationem lucrum certum aut aliud praemium eſt promiſſum.

§. 525. Neque minus, ſi res immobilis pacti obiectum conſtituit.

§. 526. In omnibus autem caſibus, et detentoris prioris et emtoris reſpectu legitima eſt venditio, ab accipiente facta, ſiue is rem vi contractus aeſtumatorii ſiue meri mandati ſ. commiſſi habuerit in cuſtodia.

Sectio Sexta.

De contractibus aleam continentibus et ſpei dubiae.

Definitio. §. 527. Conuentiones, quibus res certa aut pretium definitum promittitur aut datur, in ſpem lucri incerti adhuc futuri, aut in conceſſionem commodorum futurorum, quae ſecundum rerum naturam et ordinem poſſunt quidem ſperari, ſed per ſe adhuc ſunt indefinita, vocantur pacta aleam continentia, ſ. pacta fortuita. (*gewagte Verträge.*)

Principia generalia. §. 528. Pactum, cuius obiectum eſt ſpes lucri incerti futuri ſola, eſt validum, licet lucrum exiſtat (ad exiſtentiam peruenerit) plane nullum.

§. 529. Pactum, cuius obiectum fuerunt commoda, quae ſecundum rerum aut negotiorum naturam et ordinem ſperari quidem, at definiri nondum poterant, etiam valet, licet lucrum ſpei non reſpondeat.

Source : BIU Cujas

§. 530. Sin vero lucrum ſperatum ſine emtoris propria culpa plane non exiſtit (ad exiſtentiam peruenit), in eo caſu pactum reſcinditur.

§. 531. Si ex contractus ſententia et circumſtantiis dubium eſt, an ſpes tantum, an res ſperata ipſa pacti obiectum fuerit, res ſperata pro obiecto accipienda.

§. 532. Si pacti initi tempore iam certum erat, et vtrique parti cognitum, illud, quod ſpei nomine vendebatur, iam exiſtere, pactum ex emtionis venditionis aut permutationis principiis eſt diiudicandum.

§. 533. Quod ſi vni tantum parti erat notum, altera pars, cui non fuit indicatum, pacto non obligatur.

§. 534. Si pacti initi tempore iam erat certum, et parti vtrique aut emtori ſoli tantum cognitum, illud, quod ſpei nomine vendebatur, non eſſe extiturum, negotium ex regulis de donationibus eſt diiudicandum.

§. 535. Quod vero ſi ſpei venditori tantum erat cognitum, emtor pacto non obligatur.

§. 536. Quin potius venditor tenetur ad reſarciendum damnum omne datum et ad reſtituendas impenſas, emtori ex eo ortas, quod venditor illum ſuam celauit rei notitiam.

§. 537. Si tempore pacti initi certa iam erat, et parti vtrique cognita exiſtentia caſus aut euentus, ex quo dependet lucrum et damnum, ex negotio oriundum; at vero incerta adhuc lucri aut damni ipſius qualitas et quantitas; negotium nihilominus pro pacto aleam continente habendum.

§. 538. An pactum hoc tum ſit habendum pro pacto de ſpe ſola, an pro pacto, de lucro ſperato inito; atque adeo locum obtineat praeceptum §. 528. aut 530. ex contractus ſententia, atque, ſi res ferat, ex regula §phi 531. diiudicandum.

§. 539. In pactis aleam continentibus omnibus, vtraque pars tenetur, fide indicare alteri omnes paci-

Source : BIU Cujas

ſcendi tempore ſibi notas circumſtantias, ex quibus euentus exiſtentia, aut lucri inde ſperandi qualitas ex toto aut ex parte poteſt pendere.

§. 540. Si altera pars poteſt conuinci, celaſſe alteram circumſtantias, quae ex aequo rerum peritorum iudicio conferre potuiſſent ad capiendum conſilium pacti, vti conuentum, contrahendi; alteri ius competit, a pacto recedendi, et data repetendi.

§. 541. Qui eiusmodi circumſtantias alterum conſulto celat, ad plenam damni reparationem huic tenetur.

§. 542. In genere etiam in pacto aleae contrahendo altera pars alteri omnem praeſtat culpam leuem.

§. 543. Si venditor leui culpa ſua effecit, vt ſpes aut lucrum ſperatum cadat ad irritum, emtorem indemnem praeſtare debet.

§. 544. Sin vero data opera et lata culpa ſpei exiſtentiam aut lucri ſperati perceptionem impediuit, emtori ad omne, quod intereſt, compenſandum tenetur.

§. 545. Lucrum ceſſans, ſi propter negotii naturam erui alio modo nequit, in duplum emtionis pretii eſt definiendum.

1. De pactis aſſecurationis.

§. 546. De aſſecurationis pactis, tanquam aleae negotiis, in mercatorum iure agitur. (Part. II. Tit. VIII. Sect. XIV.)

2) De lotariis.

§. 547. Non niſi expreſſa reipublicae approbatione lotariae publicae, et tabernae, fortunae experiundae, (ollae fortunae) aliique eiusmodi ludi fortuiti poſſunt inſtitui.

§. 548. Deſignatio (norma, *Plan*) approbata et publice promulgata lex eſt, qua diiudicanda ſunt inſtituentis iura atque officia.

§. 549. In qua deſignatione ſimul definitum ſit neceſſe eſt, qua ratione ſecuritati eorum, quorum intereſt, in hoc negotio ſit proſpectum.

§. 550. Si inſtituens numerum ſortium in deſignatione definitum vendere non potuit, vſque ad tem-

Source : BIU Cujas

tempus, fortibus trahendis praefinitum, iis, quorum intereſt, reſtituere tenetur pecuniam lotariae commiſſam, cum ſummis, quas leges permittunt, vſuris.

§. 551. Si autem ii, quorum intereſt, termini prorogationem expreſſe approbarunt, aut ſi pecuniam lotariae commiſſam poſt hanc prorogationem publice promulgatam non repetierunt, vſque ad terminum de nouo praefixum praeterlapſum dimidium; ſtandum eſt pacto, et qui pecuniam lotariae commiſerunt, tractus morae neque vſuras petere poſſunt, neque damni inde orti aliam reparationem.

§. 552. Vſque ad tempus deſignatione praefinitum aut poſtea prorogatum, quo lotariae committi pecuniae poſſunt, inſtituens petenti cuique tenetur ad ſortes vendendas, ſi nondum ſunt diſtributae.

§. 553. Si vero hoc tempore praeterlapſo ſortes ſuperſunt nondum venditae, eas ſibi habere poteſt inſtituens lucro ſuo et damno.

§. 554. Inter lotariam inſtituentem et pecuniam lotariae committentem ſors redemta, aut teſſera ſ. nota lotariae, eſt loco pacti ſcripti.

§. 555. Eiusmodi ſortis ſiue notae ſola poſſeſſio detentori tribuit ius acquirendi lucri ſorti competentis.

§. 556. Quidquid leges de notis ſanciunt in quemuis detentorem ſonantibus (Tit. XV. §. 45-53.) idem valet in genere de eiusmodi ſortibus.

§. 557. Lotariam inſtituens, ſortes ſ. notas pro commiſſa pecunia parata tantum exhibeat.

§. 558. Si igitur pecuniae committendae fidem habuit, actio iudicialis ei denegatur, et compenſatio tantum conceditur ex lucro, eiusmodi ſorti competente.

§. 559. Lotariam inſtituentem collector ab eo conſtitutus eatenus obligat, quatenus mandati fines non exceſſit.

Source : BIU Cujas

§. 560. Quod vero mandatum in designatione (norma) aut modo eodem, quo illa, publice promulgandum.

§. 561. Quod si non factum, instituens per collectorem, ab eo constitutum, sine discrimine obligatur.

§. 562. Culpam etiam a collectore in conscribendis aut transmittendis sortium indicibus commissam praestare pecuniam committentibus instituens tenetur.

§. 563. Eodem modo collector, constitutus ab instituente, respondet de factis subcollectorum, quos sibi ipse substituit.

§. 564. Collectores ab eo, qui lotariam instituit, non constituti eum non obligant, nisi quatenus accipiendo pecuniam ab iis collectam, aut alio modo eorum facta ratihibuit.

§. 565. Lucrans de satisfactione sibi praestanda conuenire tantum potest instituentem.

§. 566. Exceptis iis casibus, vbi collector vel secundum lotariae auctoritate publica approbatae leges singulares ex propriis eam praestare tenetur, vel vbi propria auctoritate egit collectorem.

§. 567. In vtroque casu lucranti integrum est, solutionem vel ab instituente petere, quatenus ex §pho 564. eam praestare tenetur, vel a collectore.

§. 568. Instituentis et collectorum libri, in modum librorum accepti et expensi mercatoriorum scripti, inter hos, non vero contra alios, eandem vim probandi habent cum libris mercatoriis.

3) De sorte. §. 569. Vsus sortis licitus est tanquam remedium diuidundarum rerum communium indiuiduarum.

§. 570. Et adhiberi sors potest in communibus rebus diuiduis tanquam medium, quo determinetur, cui eorum, quorum interest, haec pars cedat aut alia.

§. 571. Quo tamen in casu prius, quam determinatio sorti committitur, definiri debent partes ipsae, et quae ad quamque partem pertineant, consensu eorum, quorum interest, aut sententia vires rei iudicatae nacta.

Source : BIU Cujas

§. 572. Et iudici forte in separando et diuidendo vti licet, si vel partes consentiunt, vel modus litem decidendi alius supereſt nullus.

§. 573. Determinatione per ſortem facta, dominium rei tranſit ad lucrantem.

§. 574. Determinatio per ſortem facta exceptione laeſionis vltra dimidium impugnari nequit.

§. 575. De ſolutione eius, quod lucrans reliquis, quorum intereſt, dare debeat, idem valet, quod de emtionis venditionis pretio eſt ſancitum.

§. 576. Quatenus igitur venditor ob pretii ſolutionem non praeſtitam a pacto poteſt recedere, eatenus reliquis ſociis, quorum intereſt, ius eſt, a ſortitione recedendi ob eius, quod dandum eſt, ſolutionem a lucrante non rite praeſtitam.

§. 577. Ob aes alienum e luſu contractum actio iudicialis locum non habet. 4) De luſu.

§. 578. Quae autem quis in luſibus licitis perdidit, et actu exſoluit, ea repetere nequit. (Tit. XVI. Sect. II.)

§. 579. De ſponſionibus quoque actio iudicialis tum demum admittitur, ſi palmarium ſtatim numeratum, vel in iudicio, vel apud tertium cuſtodiendum eſt depoſitum. 5) De ſponſionibus.

§. 580. Sponſiones ſunt inualidae, ſi alter de ſponſionis obiecti certitudine notitiam habens alteri de ea nihil indicauit.

§. 581. Pecuniae expreſſe petitae et mutuo datae ad ludendum, aut ſpondendum, aut ad ſoluendum palmarium perditum, in iudicio repeti nequeunt.

§. 582. Quatenus de re futura, quae tamen ſecundum naturae ordinem poteſt ſperari, pactum eſt per auerſionem, numero, menſura, aut pondere non determinatis, eatenus haec emtio venditio pertinet ad aleae negotia. 6) De venditione rerum futurarum.

§. 583. Eiusmodi tamen pacta, ſi pretium centum thalerorum ſummam excedit, ſub poena nullitatis in

Source : BIU Cujas

iudicio conficienda, nisi contrahentes vtrique sint mercatores.

§. 584. Periculum et lucrum ex eiusmodi pacto emtor solus sentit.

§. 585. Simulac res sperata existit, (ad existentiam peruenit) venditor ad eam tradendam est obligatus.

§. 586. Traditio habetur facta, simulac emtor rem, ex qua lucrum speratur, custodiendam atque curandam suscepit.

§. 587. Si autem res futura plane non existit, (ad existentiam peruenit) pactum habetur nullum, et venditor refundere pretium, at sine vsuris, tenetur.

§. 588. Si quis vendidit certam accrementorum futurorum partem, numero, mensura aut pondere definitam, emtio venditio eatenus tantum est valida, quatenus quantitas definita re vera prouenit.

§. 589. Si venditor quantitatem determinatam exhibere plenam nequit, emtor ad accipiendam quantitatem minorem non est obligatus.

§. 590. Quod si vero agricola (oeconomus) vendidit quantitatem definitam futurorum fructuum et prouentuum fundorum suorum, emtor facta emtionis pretii deminutione aequa quantitati ea deduci patiatur, quae deforent alias semini et oeconomiae sustinendae.

§. 591. Si fructuum futurorum quantitas definita est promissa, ratione fundi certi prouentuum non habita, negotium ex regulis de exhibitionibus conductis (*Lieferunkach*, *Lieferungen*) diiudicandum.

§. 592. Si venditor est ex rusticorum plebeiorum numero, in casu dubio praesumitur praestationem ex fundi sui prouentibus tantum promisisse.

§. 593. Exceptio tamen locum habet, si venditor eiusmodi exhibitionis conductae (conductionis) negotia (*Lieferungs-Geschäffte*) alias iam subiit.

§. 594. Cum rusticis plebeiis s. infimi ordinis prouentuum futurorum emtio venditio perfici tantum

Source : BIU Cujas

poteſt numero, menſura aut pondere, et quidem ad forenſe meſſis tempore pretium.

§. 595. Praeſtationes etiam permanentes, ad dies vitae hominis, aut in aliud temporis ſpatium certum, pacto definitae, ex regulis de aleae negotiis ſunt diiudicandae. 7) De emtione venditione permanentium praeſtationum.

§. 596. Quae de modo et tempore eiusmodi praeſtationum aut de aliis in pacto non ſunt definita, ita ſunt accipienda, vti leges in eum caſum ſanciunt, ſi eiusmodi praeſtationes alicui vi legis aut vltimae voluntatis diſpoſitionis competunt.

§. 597. De vidualitio ex mariti bonis vxori aſſignato, in titulo de nuptiis. (Part. II. Tit. I. Sect. VII.)

§. 598. Si vidualitii aſſignatio ab alio, quam marito, eius parentibus, aut conſanguineis eſt facta, huius quidem praeſtandi obligatio ceſſat, ſi vidua ad ſecundas tranſierit nuptias.

§. 599. Si vero aſſignatio pro pretio eſt facta, vidualitii praeſtandi obligatio iterum locum habet, (ſ. reuertitur) ſimulac vxor, quae ad ſecunda vota transierat, iterum facta vidua.

§. 600. At contra, vidualitium gratuito aſſignatum vires non recipit, ſi vxor iterum vidua fuerit facta.

§. 601. Matrimonii vinculum ſi ſententia iudiciali fuerit diſſolutum, vxore declarata innocente, idem eſt, ac ſi ſeparatio per mortem fuiſſet facta.

§. 602. Referuatum ruſticum (referuata ſedes ruſticalis *Altentheil*, *Ausʒug*) vocantur ea commoda, quae domum agrumque ruſticum accipiens ad dies vitae aſſignat poſſeſſori priori, ad eum alendum. 8) De referuato ruſtico ſ. de referuata ſede ruſticali.

§. 603. Eiusmodi referuatum ruſticum ſemper in iudicio conſtituatur neceſſe eſt.

§. 604. Iudici ius eſt, et eius eſt, prouidere ne poſſeſſor nouus abeunti concedat eiusmodi commoda immoderata, quibus ipſe facultate deſtituitur, rem familiarem adminiſtrandi, atque onera praeſtandi.

Source : BIU Cujas

§. 605. Determinationes ruſtici reſeruati propiores legibus prouincialibus reſeruantur.

9) De contractu vitalitio.

§. 606. Contractus vitalitius eſt pactum, quo quis pro accepta pecuniae ſumma obligatur ad praeſtandos reditus definitos, ad hominis vitae dies.

§. 607. Reditus vitalitii acquiri quidem etiam poſſunt, loco pecuniae numeratae, fundo, iure, aut re alia ceſſis.

§. 608. At tum contrahentes conuenire oportet de pecuniae pretio, quo res ſit aeſtumanda; atque id quidem pretium in transactionibus ſubſequentibus omnibus in locum rei datae ſuccedit.

§. 609. Qui ſoluit ſortem (ſummam capitalem) pro qua reditus ad vitae dies promittuntur, redituum vitalitiorum emtor vocatur.

§. 610. Determinatio quantitatis eiusmodi redituum, et ſortis, pro iis ſoluendae, a partium conſenſu vnice dependet.

§. 611. Redituum vitalitiorum emtori ius mere perſonale in venditorem competit, niſi ſingularis ſecuritas fuerit praeſtita.

§. 612. Reditus vitalitios emtor vel ſibi poteſt emere, vel tertio.

§. 613. Si poſterius, de iure, quod tertio inde competit, tituli de pactis in genere praecepta valent. (Tit. V. §. 74. ſqq.)

§. 614. Emtor redituum vitalitiorum paciſci ſibi poteſt eos praeſtandos ad dies vitae ſiue ſuae, ſiue tertii, ſiue venditoris.

§. 615. Si plures communiter eiusmodi reditus emerunt, accipiendum eſt, emtorem quemque ſuam tantum ratam pro perſonarum numero petere poſſe, niſi de alio fuerit conuentum.

§. 616. Hinc morte cuiusque eorum eius rata extinguitur in venditoris fauorem.

§. 617. Si vero reditus vitalitii ad dies vitae perſonarum plurium, praeter emtorem et venditorem,

Source : BIU Cujas

vel etiam ad dies vitae plurium venditorum fuerint pacti, tam diu soluendi sunt reditus omnes, quamdiu vnus eorum est superstes.

§. 618. Si contractus eo tendit, vt reditus vitalitii post personarum plurium mortem demum sint soluendi, deficientibus conuentionibus singularibus personae denominatae omnes debent esse mortuae, antequam peti reditus vitalitii possunt.

§. 619. Si redituum vitalitiorum emtor eos constituerit ad dies vitae suae duraturos: extinguuntur ipsius morte, siue naturali, siue violenta.

§. 620. Idem valet, si tempus vitae tertii pro termino est positum, quo reditus vitalitii debeant terminari.

§. 621. Si vero venditor emtoris aut tertii mortis ansam dolose dedit, pretium pro reditibus ad dies vitae solutum restituendum.

§. 622. De quo pretio venditor reditus eo vsque praestitos ne in tantum quidem deducere potest, in quantum vsurarum legitimarum modum superant.

§. 623. Sors (summa capitalis) emtoris heredibus cedit, aut ei, cui reditus sunt emti.

§. 624. Si nemo supereſt, cui secundum hanc determinationem ius in sortem competit, fiscus sibi eam vindicat.

§. 625. Si reditus ad dies vitae tertii sunt pacti, vitae genus periculosum ab hoc electum emtori nondum ius tribuit, a pacto recedendi.

§. 626. Venditoris vita pro redituum vitalitiorum termino posita, emtor rescindere pactum et sortem repetere potest, si venditor vitam amittit nece sibimet ipsi illata, aut poena capitali (criminali) commerita.

§. 627. Attamen reditus perceptos, quatenus sortis vsuras legitimas excedunt, in rationem tenetur inducere.

§. 628. At nisi vsurarum vsurae expresse pactae sint, earum hic non habetur ratio.

Source : BIU Cujas

§. 629. Computatio autem ſic eſt inſtituenda, vt, quidquid vltra vſuras legitimas fuerit ſolutum, in quouis anno de ſorte (ſumma capitali) deducatur, et in anno ſubſequente computentur vſurae legitimae ſortis, ea deductione facta reſiduae.

§. 630. Si inſtituta ea computatione ſors (ſumma capitalis) tota exhauritur, ſufficit; et emtor aut eius heredes compelli in caſu nullo poſſunt, ad reſtituendum aliquid venditori aut eius heredibus.

§. 631. Quae hic in §phis 627-630. ſunt praecepta, tunc quoque valent, ſi contractu vitalitio ſub conditione reſolutiua celebrato conditio iſta ſine emtoris aut venditoris concurſu efficitur.

§. 632. Si conditio reſolutiua venditoris culpa incidit, praeceptum §. 622. locum obtinet.

§. 633. Sin emtoris culpa; ſecundum praeceptum §. 629. huic deducitur, quidquid eiusmodi redituum in quouis anno accepit vltra vſuras legitimas.

§. 634. Si ex hac computatione apparet, emtorem eiusmodi reditibus annuis accepiſſe plura, quam ſortem cum vſuris legitimis; reſtituere tenetur reliquum, (exceſſum) eiusque vſuras ſoluere legitimas ab eo die, quo exceſſus exſtitit.

§. 635. In quibus caſibus donatio promiſſa reuocari poteſt, ob liberos poſtea genitos, in iisdem emtori vitalitii a pacto reſilire licet. (§. 1140. ſqq.)

§. 636. At vero tum reditus percepti omnes de ſorte (ſumma capitali) ſoluta ei detrahuntur.

§. 637. In fraudem (detrimentum) legitimae liberorum emtoris, qui pacti celebrati tempore iam exiſtebant, venditor ex hoc pacto nullum commodum percipere poteſt.

§. 638. Quodſi igitur emtor mortis tempore reditibus ipſi ſolutis tantam pecuniam nondum accepit, quantam ſors ſoluta cum vſuris legitimis conſtituit, computatione ſecundum §. 627-630. inſtituenda; ſor-

Source : BIU Cujas

tis reſiduum, quod venditor adhuc habet, hereditati reliquae eſt addendum ad definiendam legitimam.

§. 639. Si reliqua hereditas non conſtituit dimidium totius eo modo definiti, venditor ex ſorte, quam tenet, tantum conferre tenetur, quantum dimidio deeſt.

§. 640. Nemo quoque in fraudem creditorum ſuorum bona ſua cedat alteri ſub conditione redituum vitalitiorum.

§. 641. Emtoris creditoribus igitur licet, intra anni ſpatium poſt pactum celebratum contra negotium proteſtari, et proteſtationem venditori iudicialiter inſinuare.

§. 642. Quae quidem proteſtatio id efficit, vt eiusmodi creditor, deficientibus aliis mediis, quibus ſatisfieri ipſi poſſit, ſatisfactionem poſſit ex ſorte (ſumma capitali) petere, pro annuis reditibus alteri data.

§. 643. At vero venditori quoque licet, ſimulac eiusmodi proteſtatio ipſi fuit indicata, a pacto reſilire, ſortemque reſtituere deductis reditibus iam praeſtitis.

§. 644. Quod ſi tamen pacto ſtare velit, ius ei competit, tuendi ſe a creditorum eiusmodi proteſtantium actione futura, parte redituum vitalitiorum aequa retinenda et in iudicio deponenda.

§. 645. Anno a die contractus celebrati praeterlapſo, venditor ab emtoris creditoribus conueniri amplius nequit.

§. 646. At vero creditoribus in eiusmodi reditus vitalitios ipſos, dum ſunt praeſtandi, tanquam in obiectum ſatisfactionis, eadem iura competunt, quae iis ſunt in debitoris bona et reditus reliquos.

§. 647. Si redituum vitalitiorum venditor per annos tres continuos eos non praeſtat, emtori licet repetere ſortem, de qua venditor ob reditus annuos iam praeſtitos nihil deducere poteſt.

Source : BIU Cujas

§. 648. Quin potius inde a tempore, ex quo reditus vitalitios non praeſtitit, ſortis vſuras legitimas praeſtare tenetur.

§. 649. Si de vltimo vitae anno nihil ſingulare eſt conſtitutum, venditor anni totius reditus praeſtare tenetur, licet mors ſtatim anno ineunte acciderit.

§. 650. Initium cuiusque vitae anni, deficientibus aliis determinationibus, ab eo computatur die, quo prima erat praeſtanda ſolutio.

re. de ærario viduarum, ad dotandum et ad ſepeliendum.

§. 651. Aeraria communia, viduis, (*Wittwen-*) mortuis ſepeliendis, (*Sterbe-*) et dotandis filiabus (*Ausſteuer-Caſſen*) inſeruientia, ſine auctoritate publica non licet inſtituere.

§. 652. Iura et officia eorum, quorum intereſt, definienda ſunt ad normam approbatam a republica.

Sectio Septima.

De mutuo.

Definitio.

§. 653. Mutuum proprie ſic dictum eſt pactum, quo quis pecuniam vſu receptam ſignatam (cuſam), aut inſtrumenta pecuniae pretio paria, detentori cuique ſoluenda, ea lege alteri tradit conſumenda, vt qualitate et quantitate eadem reſtituantur.

de pactis de mutuando.

§. 654. Qui pacto valido ſe obligauit ad dandum alteri mutuum, adimplere pactum tempore praefinito tenetur, ſoluenda ſumma promiſſa, pecunia vel inſtrumentis, pecuniae pretio paribus.

§. 655. Quod niſi fecerit, alter ad pactum implendum poteſt agere, aut a pacto recedere, inſtrumentum repetere iam exhibitum, et reparationem petere damni, ex pacto non adimpleto orti.

§. 656. Contra eiusmodi actionem mutui promiſſor in primis exceptione rerum circumſtantium mutatarum (ſeu clauſula, rebus ſic ſtantibus) tueri ſe poteſt. (Tit. V. §. 360. ſqq.)

Source : BIU Cujas

§. 657. Huc in ſpecie referendum, ſi poſt promiſſum datum mutuatarii res et conditio, qua eius perſonam, vel qua bona, ſic fuerint mutatae, vt iſtis mutatis deminuatur ſecuritas perſonalis aut realis, cuius mutuans rationem habuit in promittendo.

§. 658. Mutuatarius, qui quaeſiuit mutuum, ſummam accipere tenetur ſcriptis promiſſam.

§. 659. Quam ſi accipere recuſat, alterum indemnem praeſtare tenetur.

§. 660. Quae damni reparatio, ſi damnum maius doceri non poteſt, ſic definienda, vt ſoluantur vſurae ſortis, de qua conuentum, legitimae ſemeſtres.

§. 661. Si mutui pactum, ſumma promiſſa ſoluta, eſt perfectum, mutuatarius pecunia aut inſtrumentis, pecuniae paribus, acceptis dominium earum acquirit. De mutui pacto ipſo, et quatenus inde pecuniae dominium tranſeat in mutuatarium.

§. 662. Qui ſciens pecuniam alienam ab altero, cui de ea diſponendi ius non erat, mutuam accipit, illam, quatenus adhuc adeſt, domino vero ſtatim reddere tenetur.

§. 663. Pecunia conſumta, accipiens domino vero ad ſortem et vſuras legitimas praeſtandas tenetur.

§. 664. Si quis ſub ſpecie mutui pecunia aliena doloſe eſt potitus, domino omne id, quod intereſt, praeſtat.

§. 665. Si accipiens ignorauit, mutuo ſibi dari pecuniam alienam, danti tamdiu ſecure ſolutionem poteſt praeſtare, quamdiu ei, petente vero domino, a iudice ſolutione non interdicitur.

§. 666. Accipiens, qui ante hanc interdictionem nondum renumerauit, ad ſolutionem praeſtandam ei tantum tenetur, qui verus pecuniae datae dominus eſt cognitus.

§. 667. Qui quidem verus dominus, quod ad conditiones, de quibus conuentum, in locum dantis ſuccedit.

Source : BIU Cujas

§. 668. Quin et conditionibus ſolito melioribus, per ſe autem licitis, accipienti a dante conceſſis, obſtrictus tenetur verus dominus illi, qui bona fide accepit.

§. 669. At vero a dante damni reparationem (indemnitatem praeſtandam) poteſt petere.

§. 670. Quamdiu pecuniae datae dominium inter dantem et tertium eſt adhuc litigioſum, accipientem ſolutiones omnes, interea praeſtandas, ſiue ſortis, ſiue vſurarum, partis victae ſumtibus iudicialiter oportet deponere.

§. 671. Si quis pecuniam ſuam alieno nomine mutuo dedit, pactum tantum ſubſiſtit inter accipientem, et eum, ſub cuius nomine mutuum eſt datum.

§. 672. Quae hic inter pecuniae dominum et eum, ſub cuius nomine ea eſt mutuo data, tranſacta ſunt, ad accipientis iura et officia nihil faciunt, quatenus transactionum non fuit particeps.

§. 673. Si temporis ſucceſſu pecuniae dominus mutuum petit, praecepta §. 665-670. locum habent.

De iis, qui mutui pacta celebrare poſſunt.

§. 674. Quatenus quis ſecundum leges in genere pactis obligari nequit, eatenus mutui ſumendi et contrahendi eſt incapax. (Tit. V. §. 9. ſqq.)

§. 675. De mutuis maritarum, liberorum, qui ſunt ſub patria poteſtate, corporum et vniuerſitatum, ciuitatis, eccleſiarum, aerariorum publicorum, minorum atque literarum ſtudioſorum ſuo loco ſeparatim agitur. (Part. II. Tit. I. Sect. V. Tit. II. Sect. II. Tit. VI. Tit. VII. Sect. II. Tit. VIII. Sect. II. III. Tit. XI. Sect. IV. Tit. XII. Sect. III)

§. 676. In iudiciis noſtris deneganda actio de mutuis, quae principes et principiſſae, natiuitate aut connubio ad regiam familiam pertinentes, contraxerunt, niſi conſenſus acceſſerit familiae principis regnantis.

§. 677. Quod tamen locum non habet intuitu principiſſarum, connubio ex regia familia egreſſarum.

Source : BIU Cujas

§. 678. Praefecto militari (*Officier*) militiam actu exercenti mutuum daturus curet neceſſe eſt, vt conſenſus praefecti regimento, (*des Chefs*) aut praefecti in regimento poſt eum primi (*des Commandeurs*) producatur. De militaribus in ſpecie.

§. 679. Qui conſenſus in regula a praefecto regimento, eo autem abſente, aut regimenti adminiſtratione ab eo tradita praefecto poſt eum primo, ab hoc impetrandus.

§. 680. Conſenſus in ſcripturam redigendus, et vel poſt inſtrumentum debiti conſignandus, vel accurata et perſpicua dati, ſummae mutuae et nominis creditoris ratione habita concipiendus.

§. 681. Si ſolutionis terminus pacto praefinitus prorogari debeat; ad hanc quoque prorogationem praefecti regimento, vel praefecti in regimento primi conſenſus ſcriptus aequalis requiritur.

§. 682. Si armorum pecuniis (*Gewehrgelder*) centurionis peditum aut equitum (*Compagnie- oder Eſcadronschefs*) caueri creditori debeat; pecuniae iſtae, conſentiente regimento praefecto aut primo poſt eum in regimento praefecto, ſpeciatim ſunt oppignerandae; quae quidem oppigneratio in librum regimenti hypothecarium eſt referenda.

§. 683. In quantum a regimento praefecto vel primo poſt eum (*Commandeurs*) eiusmodi conſenſus (§. 678-682.) concedendus aut denegandus, in eorum inſtructionibus eſt definitum.

§. 684. Deficiente regimento praefecti aut primi poſt eum conſenſu, pactum de mutuo, ſi debitor eſt praefectus militaris ordinis inferioris, (ſ. ſubalternus, *Subaltern-Officier*) eſt nullum; creditor nunquam ſperare reſtitutionem vllam poteſt; et quidquid fuerit datum, militum laeſorum (inualidorum) aerario (*Invalidencaſſe*) irreuocabiliter cedit.

§. 685. Mutua contra, praefectis in regimento ordinis ſuperioris, (*Staabs-Officier*) et centurionibus peditum et equitum data, vel ſine conſenſu ſunt quidem

Source : BIU Cujas

valida, eaque repetere tempore praefinito creditor poteſt. Quodſi vero eiusmodi mutua ſolui modo alio nullo poſſunt, niſi pecuniis de debitoris ſtipendiis proportione aequa deducendis; creditores, quorum nomina conſenſu carent praeceptis conueniente, poſtponendi ſunt iis, qui conſenſum legitimum curarunt afferendum.

§. 686. In genere quisque creditor praefecti militaris, licet nomen ſit in ſe validum, ſimulac debiti ſolutio praeſtari non poteſt, niſi ex debitoris ſtipendiis, contentus eſſe debet ſolutionibus terminis praefinitis, prout ſine militiae exercendae et debitoris alimentorum neceſſariorum detrimento definiri poſſunt, et nunquam petere poteſt debitoris arreſtum perſonale.

§. 687. Praefectus militaris, bona immobilia poſſidens, ea quidem oppignerare valide poteſt ſine conſenſu praefecti regimento, aut primi poſt eum; at ſi praeter ea conſenſus erat neceſſarius, (§. 684.) eiusmodi nomen ex eo tantum temporis momento ſit validum, quo in librum hypothecarium eſt relatum.

§. 688. Valide etiam aſſignationibus et modis aliis diſponit, vel ſine ſuperiorum conſenſu, de reditibus fundorum et praebendarum, de vſuris ſortium actiuarum, et de reditibus annuis aliis, ad eius ſtipendia non pertinentibus. Intuitu autem praefectorum militarium ordinis inferioris hoc tantum intelligitur de huius generis reditibus, quorum dies iam venit, aut proximo termino ſperatur; non vero de reditibus, quorum dies demum poſt tempus longe remotum venit, in fraudem et illuſionem legum aſſignatis aut ceſſis.

§. 689. Conſenſu regimento praefecti, aut primi poſt eum, ſuppleri nequit defectus requiſitorum legalium aliorum, ad mutui validitatem neceſſariorum. Collegia tamen, quibus minorum cura demandata eſt, conſenſum aut approbationem denegare nequeunt, ſi ob ſumtus praefecti militaris, adhuc minorennis,

Source : BIU Cujas

in militiam exercendam re vera erogandos, mutuum cum regimento praefecti aut poſt eum primi conſenſu contractum eſt, in caſibus, qui moram non patiuntur, atque in primis belli tempore.

§. 690. At contra, creditor deficiente conſenſu, ad mutui validitatem neceſſario, tum demum tueri ſe poteſt exceptione factarum in rem debitoris impenſarum, ſi docere poteſt, pecuniam ſuppeditatam ad militiae exercendae ſumtus non modo fuiſſe datam, ſed et re vera in eos impenſam; atque ipſi nullam fuiſſe copiam, conſenſum requiſitum quaerendi.

§. 691. At et in hoc caſu regimento praefecto aut primo poſt eum negotium indicandum eſt, ſimulac pecunia eſt ſuppeditata, et creditori data occaſio, eum ore tenus aut ſcriptis adeundi.

§. 692. Quod ad regimentis et cohortibus peculiaribus aliis (*anderer beſondern Corps*) praefectos et poſt eos primos attinet, ad mutuum contrahendum validum ſuperiorum conſenſus non requiritur.

§. 693. Idem valet de praefectis primis batallionum ſingulorum (*Commandeurs einzelner Bataillons*), qui vel ad regimentum nullum pertinent, vel belli tempore a regimentis ſuis ſeparati aliis copiis aut arcium praeſidiis ſunt additi.

§. 694. At tamen et hic creditorem in eorum armorum pecunias ius reale acquiſiturum mutuum curare oportet referendum in regimenti librum hypothecarium.

§. 695. Quatenus praefecti militares regimento, batallioni, aut cohorti alii praefecto, aut poſt eum primo, non ſubiecti, ad contrahendum mutuum conſenſu indigeant, et a quo conſenſus ſit impetrandus, ex ſpecialibus militiae inſtitutis et reliquis militiae exercendae rationibus eiusmodi praefecti militaris pendet.

§. 696. Hinc cum eiusmodi perſonis mutui negotium ſuſcepturum in primis de his inſtitutis atque rationibus inquirere accuratius oportet.

Source : BIU Cujas

§. 697. Signiferi et vexilliferi nobiles respectu facultatis contrahendi mutui praefectis ordinis inferioris in omnibus aequiparandi.

§. 698. Officiales regimenti (*Unterſtab*) valide mutuum contrahunt sine consensu regimento praefecti, aut post eum primi.

§. 699. At creditor tamen, solutione non praestita, in eorum personam eam peragere executionem nequit, qua officii eorum functio impeditur.

§. 700. Subpraefecti, (*Unterofficier*) milites gregarii eorumque vxores sine centurionis (*Compagnie- oder Eſcadronschefs*) consensu mutuum contrahere validum nequeunt.

§. 701. Neque fundos suos oppignerare valide sine eo consensu possunt.

§. 702. Debita subpraefecti et militis gregarii, qui centurionis consensum ad quaestum ciuilem exercendum in genere impetrauit, vel sine consensu expresso, sunt quidem valida;

§. 703. Creditori autem propter eiusmodi mutuum debitoris stipendium aut fundos apprehensuro curandum est, vt centurionis consensum expressum de mutuo dando impetret.

De personis ad gregem regium scenicorum s. ad spectacula regia pertinentibus.

§. 704. Personae, quae officiis cantorum, scenicorum et musicorum in spectaculis regiis vel in aula regia funguntur, actione de mutuo contracto in iudicio conueniri nequeunt, quamdiu manent in officio.

§. 705. At quatenus fundos possident, ex istis iudiciali hypotheca creditori legitime oppigneratis, creditor petere satisfactionem potest.

Quatenus mutua personis incapacibus data valida fiunt per versionem vtilem.

§. 706. Atque etiam post eorum dimissionem aut mortem creditor agere potest, vt ex eiusmodi debitoris bonis aut hereditate ipsi satisfiat.

§. 707. Si quis incapacitatem mutui contrahendi creditorem celauit, negotium ex praeceptis (Tit. V. §. 31-36.) est diiudicandum.

§. 708.

Source : BIU Cujas

§. 708. Quatenus pecunia, debitori alias incapaci suppeditata, re vera est versa in impensas necessarias et vtiles, quas sine culpa sua ex propriis praestare non poterat; eatenus creditori in regula ius competit, restitutionem petendi.

§. 709. Quae vtilis sit et necessaria iudicanda versio, loco suo propius est definitum. (Tit. XIII. Sect. III.)

§. 710. Vel in mutuo, ob versionem vtilem pro valido censendo, contra personas §. 704. denominatas, locum non habet ea, qua facultate fungendi officii forent priuati, executio, quamdiu officio funguntur.

§. 711. Ratione militum praeceptum §. 690. est obseruandum.

§. 712. Si quis, mutuo contracto valido, in statum venit, in quo eiusmodi pacta vel plane non, vel sine superiorum consensu contrahere non potest; eo non extinguuntur creditoris iura ex pactis antiquioribus.

§. 713. In quantum debiti agnitione, quae a personis incapacibus, sublata incapacitatis causa, declaratur, debitum fiat validum, ex praeceptis generalibus Tit. V. §. 37. 38. est diiudicandum. Agnoscendo.

§. 714. Pecuniae illi, qui in se mutua (s. conuentiones mutui) valida potest contrahere, in finem illicitum scienter datae, fisco cedunt. De mutuis, in finem illicitum datis,

§. 715. Merces in mutuis pro parata pecunia dari non debent. aut vbi merces numeratae pecuniae loco sunt datae,

§. 716. Ex instrumento debiti, aut cambio, in quo, licet merces fuerint datae, pecuniam numeratam datam fuisse scriptum est, non tenetur debitor, tanquam ex mutui negotio. s. de contractu mohatrae.

§. 717. Quin potius pactum totum est nullum, et qui merces accepit, tenetur tantam ad merces ipsas, in quantum adhuc extant, restituendas, aut si non amplius extent, ad soluendum pretium, quod mercibus fuit traditionis tempore.

Source : BIU Cujas

§. 718. Qui pro inſtrumento debiti, in quo pecuniam paratam fuiſſe ſolutam ſcriptum eſt, merces dedit, contra eum feneratoris iniqui ſtat praeſumtio.

§. 719. Quae ſi remoueri nequeat, quidquid ab accipiente ſecundum §phum 717. reſtituendum eſt, ex propiore iuris criminalis determinatione fiſco cedit. (Part. II. Tit. XX. Sect. XV.)

§. 720. Si inſtrumentum eſt datum de rerum datarum pretio emtionis venditionis conuento, negotium quidem ſubſiſtit, tanquam emtionis venditionis contractus, ſecundum principia poſthæc § 861 ſqq. praeſcripta;

§. 721. Quodſi vero apparet, debitori, qui numeratae pecuniae mutuum quaeſiuit, pro mutuo iſto merces, ſide emendas, fuiſſe oblatas, creditoris feneranди animus praeſumitur.

§. 722. Quae tamen praeſumtio ceſſat, ſi merces eius ſunt qualitatis, vt accipienti eas ſine detrimento vendendi fuerit occaſio.

§. 723. Si merces, quarum pretii ſides eſt habita, eius ſunt qualitatis, vt pro emtoris ordine et quaeſtu, huic vel in ſe, vel in quantitate ſuppeditata forent inutiles; ſub emtionis venditionis ſpecie feneraticius mutui contractus ſecundum §. 721. latere praeſumitur.

§. 724. Quae praeſumtio niſi probato alio rei geſtae ordine remoueatur, praeceptum §. 717. 719. locum obtinet.

§. 725. Si partim merces ſunt creditae, partim pecunia parata eſt data, de vtrisque autem coniunctim vnum tantum inſtrumentum exhibitum, in quo non definitum eſt, quantum pecuniae, quantum mercium datum ſit, praeſumtio valet, ſub eo negotio animum fenerandi latere.

§. 726. Quae ſi remoueri nequeat, in hoc quoque caſu locum inueniunt praecepta §. 717. 719.

De forma pacti mutui.

§. 727. Sola mutui acceptione ad reſtituendum acceptum obligatur debitor, vel ſine pacto ſcripti configuato.

Source : BIU Cujas

§. 728. Renumerationis tempus in hoc caſu ex praecepto §. 761. 762. determinatur.

§. 729. Si vero pactum mutui in tempus aliud definitum, pro vſuris ſoluendis aut ſub aliis conditionibus, contrahi debeat, ſine ſummae datae diſcrimine, pactum ſcriptum requiritur, ſi actio ad implendas eas conuentiones creditori debeat competere.

§. 730. Ad inſtrumentum debiti validum requiritur

1) valutae acceptae confeſſio;
2) certa determinatio, in quo valuta conſtiterit;
3) indicatio monetae ſpeciei, in qua fuerit ſoluta;
4) reſtitutionis promiſſio;
5) tempus reſtitutionis praeſtandae:
6) creditoris denominatio et deſignatio certa;
7) locus, et dies, quibus pactum contractum;
8) debitoris ſubſcriptio.

§. 731. Quatenus haec requiſita, quae in inſtrumento non ſunt expreſſa, probari alio modo poſſint, aut quatenus ſecundum legum definitiones ſupplenda ſint, ex praeceptis tituli quinti §. 127. ſqq. eſt diiudicandum.

§. 732. Inſtrumentum debiti fundat praeſumtionem veritatis eorum omnium, quae in eo ſcripta ſunt, donec contrarium probari non poteſt.

§. 733. Hinc valutae acceptae confeſſio contra eum, qui dedit inſtrumentum debiti, tamdiu valet, quamdiu ex rei inſtructione non cognoſcitur, eam in totum aut ex parte non fuiſſe datam. De valuta in mutuo

§. 734. Quae quidem cognitio debitoris agnitione poſtea ſubſecuta nondum excluditur.

§. 735. Exceptio valutae non acceptae non contra primum ſolum, ſed etiam contra ſequentium quemcunque inſtrumenti detentorem eatenus admittitur, quatenus in genere exceptiones contra cedentem ceſſionario etiam poſſunt opponi.

§. 736. In re nil mutatur eo, quod inſtrumentum debiti cum facultate cedendi (*auf Ordre*) datum.

Source : BIU Cujas

§. 737. Quatenus in mercatorum cambiis, cum facultate cedendi (*auf Ordre*) ſcriptis, exceptio locum habeat, loco ſuo eſt praeſcriptum. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VIII..)

§. 738. De inſtrumentis debiti, quorum relatio in librum hypothecarium iudicialem eſt decreta, et quae in eo ſunt conſignata, praeſumtio, valutam ex inſtrumenti ſententia re vera eſſe datam, tum demum locum inuenit, ſi debitor intra triginta dies et octo, poſt factam conſignationem contra valutam non acceptam libro hypothecario proteſtationem nullam inſeruit.

§. 739. At eo tempore praeterlapſo, non ſolum in primi detentoris fauorem ex inſtrumento oritur valutae datae praeſumtio, ſed etiam, ſi poſt hos triginta dies et octo, et in tempore interiecto, vbi nulla proteſtatio inſerta eſt, inſtrumentum tertio fuerit ceſſum aut pigneratum, debitor valutae non acceptae exceptione contra tertium vti omnino nequit.

§. 740. Qui ſibi inſtrumentum debiti exhiberi curat, et valutam in totum aut ex parte non numerat; at nihilominus ſummam in eo expreſſam iudicialiter petit, aut alii cedit; tanquam fraudator puniendus.

§. 741. Idem valet, ſi detentor inſtrumenti, valuta in totum aut ex parte ipſi reſtituta, nihilominus ex eo ſummam totam petit, aut alteri cedit.

§. 742. Si quis pro nomine, quod ex alio fundamento fluit, inſtrumentum debiti ſibi dari, et in eo valutam, tanquam numeratam, exprimi curauit, locum habent praecepta infra §. 866-868. data.

§. 743. Qui ſubſcriptionem ſuam falſo negat, nulla poteſt vti exceptionum, quas nomini opponere alias potuiſſet.

§. 744. Si debitor, qui inſtrumentum debiti exhibuit, erga primum eius detentorem abnegationis (ſ. diffeſſionis) huius reum ſe fecit; licet appareat, hunc detentorem valutam expreſſam in totum aut

Source : BIU Cujas

ex parte non dediſſe; fiſcus in eius locum ſuccedit, et ſibi ea vindicat, quae debitorem ob falſam ſubſcriptionis abnegationem ſoluere oportet, detentor vero lucrari nequit, quia re vera non numerauit.

§. 745. Si erga tertium bonae fidei detentorem inſtrumenti ſubſcriptionem fuerit diffeſſus; debitor quidem huic ſecundum §. 743. ad plenam ſolutionem praeſtandam tenetur;

§. 746. Si vero poteſt erui, detentorem primum valutam in totum aut ex parte re vera non dediſſe, huic fiſcus eripit ea, quae praeter valutae numeratae ſummam accepit a ceſſionario ſuo pro inſtrumento debiti ceſſo.

§. 747. Qui non ſubſcriptionem quidem, ſed meliora ſciens valutae acceptionem in iudicio in totum aut ex parte abnegat, abnegationis malitioſae afficitur poenis in ordinatione proceſſus conſtitutis.

§. 748. Quid iuris ſit de valutae non numeratae exceptione in cambiis, loco ſuo eſt praeſcriptum. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VIII.)

§. 749. Ibidem eſt definitum, quae perſonae cambialiter ſe obligare poſſunt. De mutuis cambialibus.

§. 750. Inſtrumenta debiti a perſonis, qui cambialiter ſe obligare nequeunt, in cambii forma data admittunt, debitore ſubſcriptionem recognoſcente, proceſſum executiuum.

§. 751. Et huius generis inſtrumenta eodem, quo cambia vera, iure fruuntur praelationis, in ordinatione proceſſus definito.

§. 752. In ipſius debitoris, qui inſtrumentum exhibuit, fauorem, inſtrumenti probandi vis per praeſcriptionem cum debito ſimul tantum extinguitur. Quamdiu inſtrumenti debiti vis probandi duret?

§. 753. At contra, in debitoris heredum fauorem probandi vis deletur praeſcriptione decem annorum a die mortis defuncti, qui inſtrumentum debiti exhibuit.

§. 754. Si in inſtrumento fuerit praefixus ſolutioni terminus, qui poſt hereditatem relinquentis mor-

Source: BIU Cujas

tem demum venit; praescriptio (§. 753.) a termino demum peremtorio (s. die solutioni praefixo) incipit.

§. 755. Cuius tamen decennalis praescriptionis is tantum est effectus, vt debiti veritas ex instrumento non amplius probari possit, sed actor alio modo probare debeat, debitum ab initio extitisse, et viuente hereditatem relinquente non fuisse extinctum.

§. 756. Qui effectus inde exoriatur, si debitum ipsum ex non-vsu praescribitur, suo loco est definitum. (Tit. IX. §. 568. seqq.)

Tempus restitutionis seu renumerationis.

§. 757. Ex contractu mutui debitor ad summam acceptam tempore constituto restituendam obligatur.

§. 758. Ante huius temporis decursum creditori solutionem, ne sub exceptione quidem rerum mutatarum, potest obtrudere.

§. 759. Creditori contra licet, ante peremtorii temporis decursum ad solutionem aut cautionem praestandam agere, si aliorum debitorum causa a debitore pignora fuerint sumta, aut debitor in custodiam fuerit traditus.

§. 760. Idem obtinet, si debitor, vt creditoribus se eripiat, fugae se dederit, aut si ex aliis causis sedem, eo vsque in prouinciis regiis fixam, plane permutare velit.

De renuntiationibus.

§. 761. Renumerandi tempore modo legitimo non definito, parti vtrique renuntiatio trium mensium licet.

§. 762. At si mutuum summam tantum quinquaginta thalerorum aut minorem constituit, renuntiatio quatuor hebdomadarum locum habet.

§. 763. In quibus circumstantiis debitor termini pacti aut legitimi peremtorii prorogationem possit petere, in ordinatione processus est definitum.

§. 764. Renuntiatio (s. auisatio) valido quidem modo etiam extraiudicialiter et oretenus fieri potest;

§. 765. At si creditor probare nequit, extraiudicialem renuntiationem in debitoris notitiam perue-

Source : BIU Cujas

niſſe, ſolutionis terminus ab eo tempore currere incipit, quo debitori iudicialis renuntiatio eſt inſinuata.

§. 766. Sin in contractu de renuntiatione iudiciali eſt conuentum, et de eius ſumtibus nihil conſtitutum, pars vtraque dimidiam ſumtuum partem ſuſtinere tenetur.

§. 767. Quo caſu excepto, iudicialiter renuntians (ſ. auiſans) ſumtus ſolus ſuſtinet.

§. 768. Si vero, renuntiationis iudicialis aut extraiudicialis acceptione recuſata, haec recuſatio poſtea nullo fundamento nixa cognoſcitur, recuſans etiam renuntiationis ſumtus ferre debet.

Locus, quo praeſtanda renumeratio.

§. 769. In regula debitor praeſtare tenetur renumerationem, a ſumtibus liberam, eo loco, quo creditor pacti contracti tempore ſedem habuit fixam.

§. 770. Si debitor alio loco habitat, vt adeo pecuniae ſint transmittendae, debitor periculum ſuſtinet, vſque donec pecuniae in creditoris domo rite traditae.

§. 771. Exceptio hic locum habet, ſi creditor transmittendi modum ipſe praeſcripſit.

§. 772. Si creditor ſedem ex eo loco, quo pacti contracti tempore habitauit, in alium transfert locum, mandatarium pecuniae accipiendae loco priori conſtituat, eumque debitori denominet.

§. 773. Quod ſi non fuerit factum, debitor creditori huius ſumtibus et periculo curſu publico poteſt transmittere pecuniam, aut iudicialiter eam deponere.

§. 774. Si inſtrumenta debiti in libro hypothecario ſunt conſignata, debitori in caſu §. 772. eſt electio; vtrum creditoris loco ſedis priori renumerationem velit praeſtare, an eo, quo liber aſſeruatur hypothecarius.

§. 775. Quae in §phis 772-774. ſunt praecepta, in eo quoque caſu locum habent, ſi debiti dominium ceſſione, iure hereditario, aut alio modo in tertium detentorem fuerit translatum; quatenus debitor ſolutionis loci mutationem ſibi placere non expreſſe declarauit.

Source : BIU Cujas

§. 776. Aeraria publica et corpora in mutuis contractis, (ſ. debitis) neque ratione loci reſtitutionis, prae debitoribus priuatis ius vllum praerogatiuum habent.

§. 777. At vero in mutuis menſae datis feneraticiae publicae, (*Banco*) et ſocietatibus, ad ſubleuandum aes alienum nobilium conſtitutis, (*Creditſyſteme*) pecuniam ſuo periculo et ſumtibus tradere creditor debet, et inde reportare.

De numorum genere ſ. monetae ſpecie.

§. 778. Sors in eadem monetae ſpecie reſtituenda, in qua data.

§. 779. Numorum genere in inſtrumento haud expreſſo, praeſumitur, valutam in numis maioribus ſolidioris argenti, (in moneta currenti craſſa argentea, *Courant*) tempore contractus vſitatis, fuiſſe numeratam.

§. 780. In mutuis decem thalerorum et minoribus numi parui (moneta minuta) intelliguntur.

§. 781. Si valuta in auro, ſine ſpeciei certae determinatione, eſt perſcripta, Boruſſici intelliguntur numi aurei, quinque thalerorum pretio cuſi.

§. 782. Ducatis indeterminate nominatis, ducati intelliguntur probi ponderis ad legem numariam (*Münzfuſs*) Boruſſicam aut Batauam.

§. 783. Si in inſtrumento certus numerus numorum monetae aureae aut argenteae eſt expreſſus, idem numerus accurate reſtituendus.

§. 784. Sin vero inſtrumentum certam tantum auri ſummam, ſine numorum determinatione, indicat, in computando numorum ſoluendorum numero ducati probi ponderis duos thaleros et dodrantem ($2\frac{3}{4}$) aequant, alii autem numi aurei Boruſſici pretio ſ. valore aeſtimantur, quo cuſi.

§. 785. Si in inſtrumento debiti, in terris Boruſſicis ſoluendo, moneta expreſſa extera, creditor monetam Boruſſicam auream et argenteam eiusdem generis tenetur accipere, quod in inſtrumento eſt denominatum.

Source : BIU Cujas

§. 786. Cuius tamen monetae ratio (ſ. proportio) ad monetam exteram in inſtrumento expreſſam eſt computanda ad loci, quo ſolutio praeſtanda, vſum, (valorem, *Cours*) et quidem qualis hic fuit tempore contractus perfecti.

§. 787. Si poſt datum mutuum lex numaria fuerit mutata, debitoris obligatio definitur ratione (ſ. proportione) legis numariae antiquioris ad recentiorem, et quidem renumerationis tempore ſubſiſtentem.

§. 788. Si monetae tantum ſpecies, in qua data valuta, in vſu non amplius ſit, et in hoc quidem caſu reſtitutio in numis tunc vſitatis praeſtanda eſt, et accipienda;

§. 789. At ſumma in his numis ſoluenda determinanda eſt proportione vſus (valoris, *Cours*), qui contractus initi tempore fuit numis datis et nunc iam vſitatis, aut eiusmodi numis, qui cum nunc vſitatis ad eandem legem numariam ſunt cuſi.

§. 790. Si moneta, in qua valuta eſt numerata, adhuc eſt in vſu, at intuitu tantum valoris externi principis auctoritate deminuta, bonitate interna non mutata; reſtitutio nihilominus in eadem moneta praeſtanda eſt et accipienda.

§. 791. Cuius monetae ſpeciei ſi prorſus non ſit copia, praecepta §. 788. 789. obtinent.

§. 792. Valoris vnius eiusdemque numorum generis viciſſitudo, in commercio vſitata, in mutuo renumerando non habetur ratio praeter caſum §. 785. 786.

§. 793. Si mutui valuta fuerit ſoluta in literis, quibus cauetur de pecunia ſocietati credita, (*Actien*) in literis pignoratitiis, (*Pfandbriefen*) aut in aliis literis, cuique detentori ſoluendis, renumeratio in literis eiusdem generis fiat neceſſe eſt.

§. 794. Si literae eiusdem generis, numerationis tempore non amplius extant, ſolutio quidem in pecunia numerata praeſtanda;

Source : BIU Cujas

§. 795. Summa autem ſoluenda eo modo (*Cours*) eſt definienda, quo literae datae, contractus tempore, pecunia numerata ſunt aeſtimatae.

§. 796. Si eiusmodi literae ſunt emtae, et de credito emtionis venditionis pretio inſtrumentum eſt ſcriptum, negotium diiudicandum eſt praeceptis infra §. 861-868. datis.

§. 797. Creditor, qui mutui reſtitutionem in numis minoris valoris, aut vilioris proportionis ſemel accepit, et ſine reſeruatione de mutuo recepto apocham dedit, ob damnum, quod ſentit, contra debitorem agere nequit, niſi ex huius parte dolus ſubſit.

§. 798. Qui numos ſoluit qualitatis melioris, quam debuit, ex iis tantum cauſis compenſationem poteſt petere, ex quibus leges repetitionem concedunt ſolutionis errore praeſtitae. (Tit. XVI. Sect. II.)

§. 799. Acceptio vſurarum iterata in qualitatis vilioris numis nondum fundat obligationem, ſortem quoque in eiusdem generis numis accipiendi.

§. 800. Neque ex ſolutione vſurarum iterum iterumque praeſtitarum in melioris qualitatis numis exoritur obligatio, ſortem in eodem numorum genere reſtituendi.

§. 801. In caſu tamen dubio praeſumitur, in iisdem numorum generibus conſtitiſſe mutui valutam, quibus vſurae praeſtitae ſunt et acceptae.

§. 802. Quae tamen praeſumtio locum non habet, ſi vſurarum ſolutio non ſemper in vno eodemque, ſed nunc in hoc, nunc in alio numorum genere eſt praeſtita.

De vſuris. §. 803. In mutuis vſurarum nomine veniunt omnia, quae pro pecuniae mutuo datae vſu creditori a debitore ſunt ſoluenda.

§. 804. In mutuis vſurae tantum quincunces, ſeu quinque pro centum thaleris quotannis ex pacto poſſunt conſtitui.

§. 805. Mercatoribus ſex et Iudaeis octo pro centum ſtipulari eſt permiſſum.

Source : BIU Cujas

§. 806. Iudaei, qui mercatorum chriſtianorum iuribus fruuntur, ad haec quoque iura intuitu modi vſurarum permiſſi diiudicandi.

§. 807. Determinationes propiores vſurarum modi, inter mercatores locum habentis, in mercatorum iure relatae inueniuntur. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VII.)

§. 808. In mutuis, ſub iudicialis hypothecae ſecuritate creditis, et mercatores et Iudaei vſurarum quincuncium modum obſeruare tenentur.

§. 809. Quatenus iis, qui credenda pecunia, mobilibus rebus pro pignore datis, publica auctoritate quaeſtum exercent, in ſummae minoris mutuis, ad breue tempus contractis, vſuras maiores ſibi ſtipulari ſit permiſſum, loco ſuo propius eſt definitum. (Tit. XX. Sect. I.)

§. 810. Quoduis lucrum et commodum, quod creditor a debitore pro mutuo ſibi pacifcitur, vſurarum naturam induit.

§. 811. Hinc in determinando, quantas a debitore petere poſſit vſuras creditor, lucri eiusmodi cuiusque habenda ratio.

§. 812. Si creditor pro vſuris, aut praeter eas praeſtationem rerum naturalium, aut rerum aliarum aut operarum certarum et ſeruitiorum ſibi ſtipulatus fuerit, et iſtorum in computando vſurarum modo legitimo habenda ratio.

§. 813. Si debitor eiusmodi res naturales ipſe colendo producit, aut praeſtare eiusmodi operas ipſe ſolet, in iis computandis pretium traditionis et praeſtationis tempore viliſſimum eſt aſſumendum.

§. 814. At eo caſu excepto computationis fundamentum ſit pretium ſiue merces, traditionis aut praeſtationis tempore ſolita.

§. 815. Creditori in regula ius non competit, in anteceſſum ſ. praenumerando deducendi mutui vſuras.

Source : BIU Cujas

§. 816. Quod vero si fuerit factum, summa deducta de sorte in instrumento scripta detrahitur, atque creditor tantum potest summae re vera, tanquam valutae, datae vsuras exigere, et renumerationem repetere.

§. 817. Creditor viliori vsurarum modo contentus, quam maximo ipsi permisso, vsuras quidem deducere praenumerando potest, non tamen vltra anni spatium.

§. 818. Vsurarum vsuras petere non licet.

§. 819. De vsuris tamen per biennium aut a longiori tempore restantibus noua instrumenta dari possunt, et earum vsuras stipulari licet.

§. 820. Eiusmodi tamen negotium, si validum esse debeat, in iudicio perficiendum.

§. 821. Ab eo, qui ad soluendum vsurarum residuum condemnatus ante elapsum terminum, in sententia definitum, solutionem non praestat, creditor et huius residui vsuras morae potest petere ab eo die, quo sententia rei iudicatae vires est nacta.

§. 822. Deficientibus determinationibus oretenus constitutis, vsurae pactae quouis anno praeterlapso sunt soluendae.

§. 823. Si sortis restituendae terminus anno breuior sit definitus, vsurae cum sorte simul sunt soluendae.

§. 824. Si in instrumento nullae promissae vsurae, vsuras petere creditor nequit.

§. 825. Poenae conuentionales, ad quas luendas debitor, vsurarum loco, scripto se obligauit, si non restituat tempore praefinito sortem, (s. summam capitalem) eatenus valent, quatenus sex, et si negotium sit cum mercatoribus aut Iudaeis, octo thaleros pro centum non excedunt.

§. 826. Si vero vsurae fuerint pactae, et poena simul conuentionalis determinata; et vsurae et poena conuentionalis simul sumtae non excedant dictum modum sex thalerorum et octo pro centum.

Source : BIU Cujas

§. 827. Neque vſuris neque poena conuentionali in pacto conſtitutis, debitor, qui ſolutionem non praeſtitit, nihilominus ad morae vſuras ſoluendas tenetur, ab eo die, quo ad reſtitutionem praeſtandam erat obligatus. De vſuris morae.

§. 828. Quae vſurae ob moram ſoluendae a reſtitutionis die currunt, in inſtrumento determinato.

§. 829. Si in inſtrumento nullus ſit reſtitutionis dies praefinitus, vſurae ex mora, facta renuntiatione, ſoluendae ſunt praeterlapſo tempore conuento, aut legitime definito.

§. 830. Sub nomine vſurarum morae peti quincunces in regula poſſunt.

§. 831. Et ſi in inſtrumento vſurae minores eſſent pactae, a die morae debitoris, vſuras etiam quincunces, creditor poſtulare poteſt.

§. 832. Mercatores et Iudaei ſummum vſurarum modum iis permiſſum, tanquam vſuras ex mora petere poſſunt, licet in inſtrumento ipſo minores tantum vſurae ipſis fuerint promiſſae.

§. 833. Praeter morae vſuras creditor nullam damni, ex mora debitoris ipſi orti, reparationem petere poteſt.

§. 834. Si vero debitor, ſoluendi mediis neceſſariis non deficientibus, data opera aut culpa lata reſtitutionem fuerit moratus, creditor, vſurarum ex mora aut poenae conuentionalis loco, agere poteſt ad reſarciendum damnum, ex hac mora ipſi datum.

§. 835. Vſurae, et pactae et ex mora ſoluendae, in ſortis monetae ſpecie praeſtandae. Praecepta de vſurarum ſolutione.

§. 836. Quae de reſtitutione ſortis ſ. debiti principalis (§. 769-777.) ſunt ſancita, eadem etiam in praeſtandis et exigendis vſuris locum habent.

§. 837. Si ſumma certa per decem annos continuos, tanquam debitae ſortis vſurae, eſt ſoluta, praeſumtio oritur, ſoluentem ſortem ipſam debere tanquam mutuum.

Source : BIU Cujas

§. 838. Quae quidem praefumtio nondum infirmatur eo ſolo, quod accipiens de ſorte ipſa inſtrumentum producere nequeat.

§. 839. Si vſurarum ſolutio §. 837. deſcripta per annos triginta fuerit praeſtita, creditor ſortem ipſam (ſ. ſummam capitalem) vi iuris per praeſcriptionem acquiſiti petere poteſt, et probatio, originarie mutuum non fuiſſe datum, in tantum modo admittitur, in quantum contra praeſcriptionem in genere probatio locum habere poteſt.

§. 840. Si ſumma ſortis, quam ſe debere debitor ſolutione vſurarum annorum plurium (§. 837. 839.) eſt confeſſus, neque in apochis fuerit expreſſa, neque alio modo poſſit erui, vſurae quotannis ſolutae, ad vſurarum modum legitimum putatae, ſortem conſtituunt.

§. 841. Sub vſuris publice receptis et legitimis (*landübliche Zinſen*) in legibus intelliguntur quincunces. (quinque pro centum.)

§. 842. Si creditor in mutuo feneraticio de vltimi termini vſuris apocham ſine reſeruatione dederit, pro debitore ſtat praeſumtio, et antecedentium terminorum vſuras fuiſſe ſolutas.

§. 843. Si de ſorte ipſa apocha ſine reſeruatione fuerit data, vſurae pactae cenſendae ſunt vel ſolutae vel remiſſae.

§. 844. At contra, non magis ex apocha, de ſorte ſine reſeruatione data, quam ex inſtrumenti retraditione ſequitur, vſuras ex mora a iudice adiudicatas eſſe ſolutas aut remiſſas.

§. 845. Vſurae ex mora, in iudicis ſententia omiſſae, neque a die ſententiae latae poſtea poſſunt peti, ſimulac de ſorte apocha eſt data ſine reſeruatione.

§. 846. Idem obtinet, ſi vſurae pactae fuerint quidem petitae, ſed a iudice in ſententia omiſſae, et creditor in hac ſententia acquieuerit.

Source : BIU Cujas

§. 847. At vſurae pactae in iudicio a creditore non petitae peti poſtea poſſunt tam diu, dum de ſorte apocha ſine reſeruatione non data.

§. 848. Si iudex vſuras morae petitas in ſententia omiſit, huius omiſſionis idem eſt effectus, ac ſi denegaſſet.

§. 849. Qui petitionem iudicialem vſurarum reſiduarum plus decem annis negligit, reſiduum, decem annorum ſpatium excedens, petere amplius nequit.

§. 850. At in hac tamen praeſcriptionis ſpecie creditori omnia proſunt, quae praeſcriptionis ſolitae initium ex non-vſu impediunt, aut eius continuationem interrumpunt.

§. 851. Quo caſu excepto vſurae, quarum ſolutionem debitor neglexit aut moratus eſt, poſſunt peti, in quantum adhuc debentur, ſi vel reſiduum ipſum, ob temporis diuturnitatem, ſortis principalis ſummam excedat.

§. 852. Multo minus debitor vlteriorem vſurarum ſolutionem ex ea cauſa ſola poteſt denegare, quod vſurae ſenſim ſolutae ſummam ſortis principalis iam ſuperent.

§. 853. Si res, quae ad obiecta mutui veri (ſ. proprii) non pertinent, ea lege datae, vt totidem res eiusdem generis et qualitatis reſtituantur; in regula praecepta de mutuo vero data locum inueniunt omnia. De mutuis impropriis.

§. 854. Accipienti eiusmodi res in eadem quantitate et qualitate, quibus eas accepit, reſtituendi et ius eſt et obligatio, ſiue earum pretium in tempore interiecto fuerit deminutum, ſiue auctum.

§. 855. In mutuis etiam impropriis vſurarum loco conueniri poteſt de certa rerum quantitate eiusdem generis, cuius ſunt res mutuo datae.

§. 856. At in mutuis quoque impropriis non admittuntur vſurarum modi, niſi in mutuis veris permiſſi.

Source : BIU Cujas

§. 857. Si de vfuris eiusmodi mutui improprii conuentum, vt detur pecunia, in diiudicando vfurarum modo ratio habenda eſt pretii, quod rebus mutuo datis fuit contractus perfecti tempore.

§. 858. Vbi in mutuis impropriis vfurae ſunt pactae, creditor ob reſtitutionis moram eodem tantum modo vfuras aut damni reparationem petere poteſt, quo in mutuis propriis licet. (§. 827-834.)

§. 859. Si nullis pactis vfuris debitor reſtitutionem moratur, creditori eſt electio: vtrum res velit in natura petere, vna cum legitimis morae vſuris, an rerum pretium, quale fuit debitae reſtitutionis tempore.

§. 860. Si creditor ſine cauſa idonea rem moratur recipere, debitori competit electio: vtrum rem ipſam velit reddere, an ſoluere pretium, quanti tempore reſtitutionis, conuentione conſtitutae, eſt aeſtimata.

De credendo. §. 861. Vbi aſſumendum ſit, res fuiſſe creditas, ſuo loco eſt definitum. (§. 224-227.)

§. 862. Quatenus quis mutua vera contrahendi eſt incapax, eatenus quoque res ei credi nequeunt.

§. 863. Operum confectorum aut operarum praeſtitarum mercedes, quarum ſolutionis fides eſt habita, et eiusmodi perſonae ſoluere tenentur.

§. 864. Idem valet de ſolutionibus vicariis, ab opifice ea occaſione factis, quatenus res ad debitoris vſum proprium fuerunt neceſſariae.

§. 865. At creditor tamen pro conuenta mercede maiori contentus eſſe debet mercede minori, eo tempore eoque loco vſitata, et pro pretio conuento maiori pretio rerum traditarum minori.

§. 866. Solutio reſidua omnis diiudicanda eſt ex natura negotii, ex quo enata eſt ſoluendi obligatio.

§. 867. Hinc negotii originarii, ex quo orta eſt ſoluendi obligatio, natura nondum mutatur; licet inſtrumentum de ſumma debita, tanquam de mutuo, fuerit exhibitum.

§. 868.

Source : BIU Cujas

§. 868. Intuitu vsurarum residui soluendarum eadem, quae in mutuo vero, praecepta locum obtinent.

Sectio Octaua.

De pactis, quibus res pro factis, aut facta pro factis promittuntur. (do vt facias, facio vt facias.)

§. 869. Conuentiones, quibus pecuniae aut res pro factis aut omissionibus susceptis, vel facta aut omissiones inuicem promittuntur, ex pactorum oneroforum regulis sunt diiudicandae. Principia generalia.

§. 870. Hinc ad essentiam horum pactorum pertinet compensationis promissio, facta illi, qui ad aliquid faciendum aut omittendum se obligat.

§. 871. Quae compensatio si in pacto non satis fuerit determinata, determinatio deficiens ex rerum peritorum arbitrio est supplenda.

§. 872. Nulla vero compensatione definita, pactum legitimis destituitur effectibus, et ad illud adimplendum agi nequit.

§. 873. Si vero, qui factum peragendum in se susceperat, factum re vera praestitit, et si id factum pertinet ad huius quaestus et vitae generis negotia solita; pro eo, vel sine expressa reseruatione, mercedem potest petere solitam ex rerum peritorum arbitrio.

§. 874. Si faciens ad eam classem non pertinet, neque sunt circumstantiae, ex quibus liberalitas legitime possit praesumi; nihilominus petere potest compensationem, at pro modo tantum vilissimo, a rerum peritis definiendo. (§. 1046. sqq.)

§. 875. Si pro facto susceptо non pecunia, neque aliud factum, sed res aut iuris cessio fuerit promissa, promittentis obligationes, intuitu implementi ab eo praestandi, determinandae sunt ex emtionis venditionis aut cessionis regulis.

Source : BIU Cujas

§. 876. In pactis, quibus res pro factis, aut facta inuicem promittuntur, ob laesionem pretii sic dictam, casu doli excepto, neque actio locum habet, neque exceptio.

§. 877. Et ex eiusmodi pactis, vti ex reliquis omnibus, consensu mutuo in forma legitima contractis, ad adimplementum agi potest.

§. 878. At altera parte implementum promissum recusante, pars altera a contractu recedere sine mora potest.

§. 879. Si ob implementi impossibilitatem eiusmodi pactum rescinditur, praecepta generalia tituli quinti §. 360. sqq. obtinent.

§. 880. Quo in casu, si pars altera ex parte sua, promisso facto praestito, pactum perfecte iam adimpleuit, et adimplendi impossibilitas alterius partis ex contrahentis alterius culpa oritur; hic illi, pro culpae commissae gradu, rei promissae pretium extraordinarium aut pretium affectionis soluere tenetur.

§. 881. Si contrahens, cui culpa sua adimplementum pacti, ab altera parte iam adimpleti, factum est impossibile, factum praestare quoque debebat; alteri damnum ex facto non praestito oriundum resarcire, et lucrum cessans pro culpae gradu compensare tenetur.

§. 882. Si pars altera pactum in totum iam adimpleuit, et alteri adimplementum ex sua parte mero casu fit impossibile; pars prior contenta esse debet compensatione rei promissae pretii communis, aut facti ab ipsa praestiti mercede solita.

§. 883. Si in eo casu, in quo pactum ob adimplementi impossibilitatem fit irritum, parti alteri, quae pactum quidem nondum in totum adimpleuit, at eius tamen ratione iam factum aliquod aut facta plura praestitit, vlterius adimplementum culpa sua fit impossibile; haec pars eius, quod iam praestitit, a parte altera eatenus tantum compensationem potest petere, quatenus haec ipsius damno fieret locupletior.

Source : BIU Cujas

§. 884. Idem obtinet, si ei, qui aliquid iam praestitit, praestatio vlterior casu fit impossibilis; at eiusmodi tamen casu, qui eius personae accidit.

§. 885. Sin vero merus casus effecit, vt illi, qui facta, ex pacto debita, iam ex parte praestitit, factorum reliquorum praestatio fiat impossibilis, hic ab altero contrahente factorum iam praestitorum compensationem potest petere ex rerum peritorum arbitrio solitam.

§. 886. Implementi impossibilitate ex parte alterius contrahentis, et quidem casu orta; ille, qui ratione pacti iam facta praestitit, eorum compensationem contractui conuenientem potest petere pro praestitorum ratione ad totum, in contractu promissum.

§. 887. Si ex hoc principio compensatio contractui conueniens definiri nequeat, praestanti compensatio solita ex rerum peritorum arbitrio sufficiat.

§. 888. Si contrahentium alteri pacti adimplendi impossibilitas culpa sua propria exoritur, is, qui ratione pacti iam facta praestitit, eorum compensationem, contractui conuenientem, secundum §. 886. potest petere, aut in casu §phi 887. compensationem summam, a rerum peritis definiendam.

§. 889. Praeterea alter contrahens pro culpae gradu praestare ipsi tenetur damnum verum et lucrum cessans inde oriundum, quod pactum praestandis factis reliquis non adimpleri, adeoque neque compensatio tota in contractu promissa peti possit.

§. 890. Qui ad meras omissiones obligatus contra istam obligationem agit, alterum pro culpae, cuius iure accusari potest, gradu indemnem praestare tenetur.

§. 891. Quod si autem ad factum omittendum vi et potentia, cui resistere non poterat, fuerit coactus, liberatur quidem ab obligatione omni, damni alteri contrahenti refarciendi;

Source : BIU Cujas

§. 892. At alteri tamen ea tenetur reſtituere aut compenſare, quae ab eo accepit in omiſſionis promiſſae compenſationem.

§. 893. Si ad omittendum obligato ab altero contrahente adimplementum praeſtari poteſt nullum, hic pro culpae ſuae gradu illi eſt obligatus ad reſarciendum damnum, quod ortum eſt ex facto per tempus interiectum omiſſo.

1) Pacta inter dominos et famulos conducticios.

§. 894. Pacta inter dominos et famulos conducticios, item cum operariis et mercenariis conductis vulgaribus ad hanc pactorum claſſem pertinent. (Part. II. Tit. V.)

2) Pacta cum operariis et mercenariis conductis.

§. 895. Operarius conductus perficere tenetur operas, vti eſt conuentum, ſub auctoritate et praecepto eius, qui eum conduxit.

§. 896. Cuius praeceptum quoad exequitur, conducenti neque de rerum exitu reſpondere, neque ſusceptum ad irritum cadens praeſtare tenetur.

§. 897. Quatenus autem operarii, conductoris praecepto et iuſſu ab obligatione reſarciendi damnum, tertio datum, liberentur nec ne, in titulo ſexto §. 45. ſqq. eſt definitum.

§. 898. Si operarius contra praeceptum agit, damnum inde ortum omne praeſtare tenetur.

§. 899. Praeter ea operarii vulgares et conductori et tertio culpam tantum latam aut leuem praeſtant.

§. 900. Operarius conductus, non niſi conductore conſentiente, in locum ſuum ſubſtituere alterum poteſt.

§. 901. Quod ſi fuerit factum conductore conſentiente, operarius vicarii facta, niſi ſigillatim de eo fuerit conuentum, non praeſtat.

§. 902. Exortis impedimentis inſuperabilibus, operarius alium in ſuum locum ſubſtituere non tenetur.

§. 903. Conductorem tamen de impedimento, ſimulac fieri poteſt, certiorem faciat neceſſe eſt.

§. 904. Quo caſu excepto operarius, qui neque vult operas ipſe perficere, neque cum conductore

Source : BIU Cujas

poteſt de ſiſtendo alio conuenire, impelli poteſt ſecundum leges ordinationis proceſſus, ad praeſtandum operas promiſſas, aut ad reſarciendum detrimentum, conductori ex operis non praeſtitis oriundum.

§. 905. Si tempus, ad quod pactum ſubſiſtere debeat, neque per ſe neque relatione ad perficiendas operas certas fuerit definitum, intuitu operariorum vulgarium pactum cenſendum eſt in vnum tantum diem initum, atque adeo parti vtrique die quouis peracto a pacto recedere licet.

§. 906. Idem valet, licet operarum pretium non ad mercedem diurnam, ſed pro orgyis, decempedis (virgis geometricis), aut alia menſura fuerit pactum, ſimulac modo apparet, non fuiſſe opus ipſum locatum, ſed menſuram definitam melioris tantum deſignationis cauſa adiectam.

§. 907. Sin autem operarius ad tempus, per ſe aut relatione ad perficiendas operas certas determinatum, fuerit conductus, ante termini decurſum in regula tum demum poteſt dimitti, ſi inuentus eſt haud idoneus, aut ſi officiis ſuis alias non ſatisfacit.

§. 908. Quo in caſu; pacto nempe cum operario ad tempus per ſe aut relatione ad perficiendas operas certas determinatum inito; ſi operis continuatio caſu, licet ad aliquod tempus tantum, interrumpitur, pars tamen vtraque a pacto poteſt reſilire, et operarius compenſationem contractui conuenientem tantum petere operarum praeſtitarum, at damni reparationem aliam nullam.

§. 909. At ſi conductor ſtans pacto poſtulet, vt operarius remoto impedimento operas continuet; hunc compenſata per tempus interiectum mercede diurna ſolita morem gerere conductori oportet.

§. 910. Si opus ad tempus aliquod, conductoris culpa lata aut leui, aut eius lubitu interrumpitur; operarius, ſublato impedimento, operas continuaturus

Source : BIU Cujas

per tempus quoque interiectum compensationem potest petere ex praecepto §. 909.

§. 911. Si vero a pacto velit recedere, operarum praestitarum compensatione contractui conueniente contentum esse eum oportet.

§. 912. In casibus §phi 909. 910. operario de compensatione, ipsi competente, deducitur quaestus, eo temporis interuallo aliunde operis suis factus, aut quem faciendi habuit occasionem, quae tamen probanda.

§. 913. Operis interruptione operarii culpa exorta, conductori a pacto recedere licet, et operarius operarum iam praestitarum eatenus tantum compensationem potest petere, quatenus inde conductoris commodum iam est promotum.

§ 914. Atque tum operarius conductori et damnum, ex operis interruptione ortum, praestare obligatur.

§. 915. Conductor autem stans pacto, si postulat, vt operarius, impedimento remoto, operas continuet; operas iam praestitas contractui conuenienter compensare debet.

§. 916. At operarius tunc quoque ex §pho 914. ad damni reparationem tenetur, et nullam lucri per tempus interiectum cessantis compensationem petere potest.

§. 917. Si opus casu quodam prorsus abrumpendum sit, operarum iam praestitarum compensationem operarius accipit contractui conuenientem; at praeterea pars neutra alteri ad damni reparationem obligatur.

§. 918. Sin conductoris culpa aut lubitu opus prorsus abrumpitur; hic non solum tenetur, operas iam praestitas contractui conuenienter compensare, sed operario etiam ex iudicis arbitrio mercedem soluere diurnam solitam, donec ipsi alia operas locandi data est occasio.

§. 919. Sin vero operarii culpa opus prorsus abrumpitur, hic non solum contentus esse debet ope-

Source : BIU Cujas

rarum praestitarum compensatione, conueniente commodo, a conductore ex operis praestitis percepto; sed huic refarcire etiam omne damnum, ortum ex opere ad irritum cadente.

§. 920. Quae in antecedentibus de operariis vulgaribus sancita sunt, in regula quoque tum locum habent, si opifices aut artifices sunt conducti ad certum opus perficiendum. 3) Pacta cum opificibus et artificibus.

§. 921. Qui vero tenentur, ad opus ex artis regulis perficiendum, et ad culpam in eo perficiendo commissam vel leuissimam praestandam.

§. 922. Si vero conductor certum modum, quo perfici opus debeat, expresse praescripsit; opifex, nisi leges politiae obstent, eum modum obseruare obligatur.

§. 923. At tum tamen culpam tantum leuem praestat, et, quatenus eiusmodi culpae accusari nequit, de exitu nullo modo respondere tenetur.

§. 924. In quibus casibus, operarius vulgaris secundum §phos 909. 910. 918. mercedem diurnam loco pecuniae pro manendo (seu in locum expectantiae, *Wartegeld*), potest petere; in iisdem opifici aut artifici aequa compensatio, ex iudicis arbitrio est definienda.

§. 925. Si opifex aut artifex non ad certas tantum operas est conductus, sed totum opus perficiendum per auersionem ipsi concessum, (commissum) in primis locum obtinent praecepta generalia §. 869. sqq. 4) Pacta de opere conducto.

§. 926. Et si opifex materiae suppeditandae susceperit negotium, eiusmodi pactum exceptione laesionis vltra aut infra dimidium a neutra parte impugnari potest. (§. 876.)

§. 927. Quin potius opifex obligationi satisfacere debet, licet damnum inde sentiat.

§. 928. In quibus casibus opus aut opera opifici aut artifici perficienda commissa, in iis omnibus

Source : BIU Cujas

negotium ipſe perficere obligatur, et opus perficiendum locatore inuito mandare alteri nequit.

§. 929. At niſi expreſſe de alio fuerit conuentum, alios adiutores et operis conſortes adhibere poteſt.

§. 930. Sed ſociorum a ſemet ipſo electorum et adhibitorum facta, tanquam ſua, praeſtare obligatur.

§. 931. Et conductori operarum competit ius contradicendi, ſi opifex ad perficiendas operas, quae ſcientiam et habilitatem deſiderant opificio et arti conuenientes, adhibet homines, iſtorum opificum ſocietati (ſ. corpori) non adſcriptos, et in genere operarios et adiutores manifeſto non idoneos.

§. 932. Opifex in regula, niſi de alio fuerit conuentum, ſolutionem poſtulare nequit, antequam opus, ex pacto perfectum, traditum ab eius locatore acceptum eſt.

§. 933. Opus locatum tempore definito perficiendum eſt et tradendum.

§. 934. Nullo tempore determinato, opus ab opifice ſine mora incipiendum et rite continuandum.

§. 935. Neque opifici competit ius, tradendi opus ante elapſum tempus expreſſe determinatum, et locatorem cogendi ad opus accipiendum.

§. 936. Si opifex non tradit opus termino definito, ab hoc tempore periculum fert operis et materiae a locatore ſuppeditatae.

§. 937. Praeterea huic praeſtat omne damnum, ex mora oriundum, pro gradu culpae, vel in pacto contrahendo vel in opere perficiendo commiſſae.

§. 938. In genere autem operis locatori integrum eſt a pacto recedere, ſi praeterlapſo tempore expreſſe definito, opus non traditur opificis culpa, aut caſu, qui eius perſonae accidit.

§. 939. Si operis perfecti acceptio a locatore ſine legitima cauſa retardatur, hic omne periculum ferre debet.

Source : BIU Cujas

§. 940. Praeterea operis locator tenetur vfuras ex mora ſoluere opifici mercedis pactae, inde a tempore definito, quo opus fuit perfectum, elapſo; et reſarcire omne damnum aliud, ex acceptione dilata ortum, aut reſtituere ſumtus in diuturniorem rei cuſtodiam erogandos.

§. 941. Solutiones pro opere locato praenumerando praeſtitae de mercede pacta deducuntur.

§. 942. Si partes de pretio, in locando non conſtituto, in traditione conuenire nequeunt, illud determinandum eſt a iudice, ex rerum peritorum aeſtimatione.

§. 943. In opere tradendo pars vtraque poſtulare poteſt, vt illud ſumtibus ſuis a rei peritis inſpiciatur.

§. 944. Si ſpectatores (inſpectores, *Schaumeiſter*) publica auctoritate non ſunt conſtituti, vtrique parti competit ius, rei peritum proponendi.

§. 945. Si rei periti in eo conſentiunt, opus probe et contractui conuenienter eſſe perfectum, locatorem illud accipere oportet, et promiſſam ſolutionem praeſtare.

§. 946. At ei tamen ſolutione praeſtita vlterior exceptionum deductio via iuris reſeruatur.

§. 947. Opere vero cognito improbo, locatori eſt electio; vtrum a contractu velit recedere, atque adeo acceptionem recuſare, an indemnitatem vitiorum cognitorum petere.

§. 948. At vero et opifici licet petere, vt de operis inutilitate, a locatore affirmata, iudex cognoſcat et pronuntiet.

§. 949. In quibus caſibus locator non obligatur ad accipiendum opus propter eius inutilitatem; in iis omnibus petere poteſt, electione libera, materiae ſuppeditatae vel reſtitutionem in eadem quantitate et qualitate, vel pretii compenſationem.

§. 950. Locatore eligente compenſationem pretii; ſi ipſe materiam emit, pretium, quo emit, ipſi reſtitu-

Source : BIU Cujas

endum, alias vero pretium, quod fuit materiae eo tempore, quo locatori tradita.

§. 951. Ratione vitiorum eorum, quae rei vſum non impediunt, mercedis pactae tantum deminutio, aut damni reparatio locum habet.

§. 952. At vero magno vitio in externa operum, ad magnificentiam et ornatum deſtinatorum, ſpecie et forma commiſſo, praeceptum §. 947. locum inuenit, licet hoc vitium in ſe rei vſum non impediat.

§. 953. Idem valet, ſi rei deeſt qualitas expreſſe pacta, licet in ſe non eſſentialis.

§. 954. Opifex vitia praeſtat contra artis ſuae regulas commiſſa; et in eo quidem de culpa commiſſa vel leuiſſima reſpondet.

§. 955. Si vero expreſſo locatoris iuſſu ab artis ſuae regulis ipſi erat recedendum, praeceptum §phi 923. hic obtinet.

§. 956. Si materiae electio et comparatio opifici fuit commiſſa, hic quoque culpam vel leuiſſimam praeſtare tenetur.

§. 957. Si locator operis materiam ſuppeditauit, non expetito de ea opificis iudicio, opifex de vitio, ex materiae qualitate orto, tum demum reſpondet, ſi de ea, operi locato manifeſto non idonea, locatorem non monuit.

§. 958. Sin vero locator de materia ab ipſo ſuppeditata opificis iudicium petit, hic in ea diiudicanda culpam tantum leuem praeſtat.

§. 959. Caſus aduerſos, qui materiae inter opus perficiendum accidunt, dominus eius ſentit.

§. 960. Opere ipſo, ante traditionis tempus determinatum, caſu deleto aut inutile facto, opifex mercedem et impenſas perdit.

§. 961. Si locator ſuppeditauit materiam, quod eius adhuc ſupereſt, recipere debet, prouti extat.

§. 962. Cui et in hoc caſu ius competit, a pacto reſiliendi, licet opifex ſe offerat ad opus nouum pro

Source : BIU Cujas

mercede pacta perficiendum, noua suppeditata materia.

§. 963. Si vero in casu, §. 960. opifex materiam comparauit, ab eius arbitrio pendet, vtrum a contractu velit recedere, an ad opus ex alia materia perficiendum admitti.

§. 964. Quod tamen posterius eatenus tantum locum habet, quatenus aut terminus nullus traditioni fuit praefixus, aut opifex opus adhuc tradere termino praefinito potest.

§. 965. Si casus aduersus operi post traditionis terminum definitum, at ante traditionem tamen ipsam accidit, praecepta §. 936-938. sunt attendenda.

Speciatim de locata aedificatione.

§. 966. Si aedificium susceptum ante traditionem corruit, aut aliud damnum cepit, malum ex architecti culpa ortum praesumitur.

§. 967. Si vero probari potest, damnum mero casu, quem architectus, rei peritus, praeuidere non poterat, esse exortum, aedificator malum sentit, s. damnum patitur.

§. 968. Aedificio autem ab aedificatore accepto, intra tres tantum post traditionem annos architectum conuenire aedificator potest ob vitia, quae ex aedificandi modo et ex eo orta feruntur, quod artis regulae, sic dictae, non sunt obseruatae.

§. 969. At contra, ob ea vitia, quae ex mala materiae qualitate originem trahere perhibentur, architectus omni tempore, intra vsitatum praescriptionis terminum, ad reddendam rationem potest cogi.

§. 970. In vtroque tamen casu, etiam post traditionem, quaestio: quatenus architectus praestare debeat vitium apparens, prout ex materiae aut operae qualitate oritur? diiudicanda est ex praeceptis §. 954-958.

Iura ex hoc pacto, concursu exorto.

§. 971. In rebus immobilibus opifex respectu materiae consumtae et operarum fruitur praelationis iure in ordinatione concursus propius determinato.

Source : BIU Cujas

§. 972. Quod praelationis ius, dum concurſus non eſt formatus, vt in rem tranſcribatur, (intabuletur) curare poteſt, vel ſine expreſſo debitoris conſenſu.

§. 973. Ad res mobiles, locatori iam traditas, hoc ius praelationis (praerogatiuum) extendi nequit.

§. 974. Si vero ante traditionem factam de locatoris bonis concurſus oritur, opifex operarum atque impenſarum ſuarum cauſa vti poteſt iure retinendi operis, quod adhuc tenet in cuſtodia.

§. 975. Si ante operis traditionem concurſus de opificis bonis exoritur, locator opus perfectum, quod eſt in maſſa, poteſt petere pro ſoluto pretio, adhuc debito.

§. 976. Opere nondum perfecto, materiam a ſe ſuppeditatam, in quantum adhuc extat, tanquam rem ſuam repetere poteſt.

§. 977. Idem ius locatori competit, ſi extat materia, quam opificem ex pecunia in eum finem expreſſe a locatore ſuppeditata comparaſſe et ſoluiſſe poteſt probari.

§. 978. In quantum locatori materiae ab ipſo traditae, aut pecuniae ad materiam comparandam ſuppeditatae indemnitas ex materia recipienda praeſtari non poteſt, ius ei competit, operis nondum perfecti in maſſa extantis apprehendendi.

§. 979. Si eo ſatisfieri ipſi non poſſit, in loco (claſſe) in concurſus ordinatione ipſi aſſignato acquieſcere debet.

§. 980. Locator acceptionem operis iam perfecti, in concurſus maſſa inuenti, aduerſus creditores recuſare ex iisdem tantum rationibus poteſt, quas debitori communi ipſi opponere poſſet.

5) Pacta, quibus quis rem certam curandam (exhibendam) conducit. *Lieferungsverträge.*

§. 981. Qui alteri ad rem certam pretio certo curandam ſ. exhibendam ſe obligat, vocatur conductor. (redemtor, *Lieferant.*)

§. 982. Conductor obligationi ſuſceptae ſe ſubducere nequit, licet exhibitio (*Lieferung*), circumſtantiis poſtea incidentibus, fiat difficilior.

Source : BIU Cujas

§. 983. In quibus casibus exhibitio in genere, aut modus eius definitus, ratione temporis aut loci fit impossibilis, aut sine periculo, quod praeuidere nemo poterat, fieri nequit; in iis obtinent praecepta generalia tituli de pactis §. 360-376.

§. 984. Si ob circumstantias mutatas exhibitio conuenta ad eum finem, in quem locator (*Bestteller*) eam fuit pactus, inutilis fit, aut nihil prodest, hic quidem reuocare pactum potest;

§. 985. At conductori tamen apparatuum, ad adimplendum contractum ex sua parte iam factorum, et operarum aut sumtuum praestitorum indemnitatem plenam praestare tenetur.

§. 986. Res a conductore reuocationis tempore in totum aut ex parte iam comparatas locator accipere debet; quod si nolit, publica venditione periculo et sumtibus suis distrahuntur.

§. 987. Praestitis iis, quae quis curanda conduxit, inter contrahentes obtinent *omnia, quae iuris* sunt inter emtores et venditores.

§. 988. Vtilium ingenii operum, aut corporis facultatum, vel conaminum vtilitati publicae inseruientium, praemia proponere publica cuilibet licet. 6) Praemia.

§. 989. Qui eiusmodi praemia proponit, quod promisit, ante elapsum terminum praefixum reuocare nequit.

§. 990. Attamen ei liberum est, quaestionem, cuius solutioni praemium est propositum, propius definire intra temporis, solutioni praefiniti, spatium dimidium prius.

§. 991. Ipse certamini offerre se nequit, nisi in promulgatione expresse id sibi reseruauerit.

§. 992. Qui non tempore idoneo, siue regulis praescriptis non obseruatis certamini se obtulit, praemium petere nequit.

§. 993. Neque, qui praemium propositit, eiusmodi certantem in reliquorum detrimentum potest admittere.

Source : BIU Cujas

§. 994. Sententiae eius, qui praemium propoſuit, aut eius, quem ipſe in proponenda quaeſtione iudicem conſtituit, certantes omnes ſine vlla contradictione et appellatione vlteriori ſubmittere ſe debent.

§. 995. Dominium operis a quouis certante exhibiti auctoris eſt; et qui praemium propoſuit, nullum ſibi eius arrogare poteſt vſum alium, niſi in promulgando expreſſe ſibi reſeruatum, aut ex fine quaeſtionis declarato ipſo fluentem.

7) Pacta de redemtione libraria. (*Verlags-Verträge.*)

§. 996. Ius redemtionis librariae (*Verlagsrecht*) conſiſtit in iure, ſcriptum typis multiplicandi, atque in nundinis mercatoriis, excluſis caeteris, librariis et alio modo vendendi.

§. 997. Non ſolum libri, ſed etiam tabulae geographicae, figurae aeri inciſae, delineationes topographicae et compoſitiones muſicae obiecta ſunt redemtionis librariae.

§. 998. Quod ius mercator librarius in regula tantum acquirit ex pacto ſcripto cum auctore.

§ 999. Si eiusmodi pactum ſcriptum non fuerit contractum, at manuſcriptum ab auctore nihilominus traditum; conuentio oretenus facta valet quidem intuitu honorarii auctori promiſſi, at in reliquis omnibus partis vtriusque rationes ex legum praeceptis diiudicandae.

§. 1000. Auctor manuſcripti, traditione tempore idoneo, pacto ſcripto ſatisfacere tenetur.

§. 1001. Quod ni fecerit, redemtor libri a pacto recedere poteſt.

§. 1002. Tempore, quo manuſcriptum exhibendum ſit, in contractu non definito; accipiendum eſt, illud ita eſſe exhibendum, vt redemtor opus nundinis Lipſienſibus proximis vendere poſſit.

§. 1003. Si ex operis magnitudine et ambitu, aut ex tempore interiecto breui vſque ad nundinas, aut ex aliis circumſtantiis apparet, auctori tempus longius fuiſſe concedendum, determinatio propior in contractu non definita ab auctoris arbitrio pendet.

Source : BIU Cujas

§. 1004. Qui tamen a redemtore libri impelli potest, vt vel certum tempus definiat, vel redemtorem a contractu recedere patiatur.

§. 1005. Obuenientibus circumstantiis aut impedimentis, auctorem mouentibus, ne edat opus promissum, a contractu resilire potest.

§. 1006. At resarcire tenetur damnum omne, libri redemtori re vera exortum ex apparatibus, ad librum typis exscribendum iam factis, ob recessum a pacto inutilibus.

§. 1007. Si vero auctor opus, libri redemtori promissum, intra annum post recessum, eo inscio et non consentiente, alterius sumtibus aut propriis, typis exscribendum curat, redemtori priori et lucrum cessans praestare tenetur.

§. 1008. Si auctori necesse videatur, operis ambitum aut ordinem ante impressionem mutare, redemtori est electio: vtrum consentire, an a pacto recedere velit.

§. 1009. Auctor vero, qui eiusmodi mutationes, impressione iam coepta, sine libri redemtoris consensu facit, huic praestat omne damnum inde exortum.

§. 1010. In quibus casibus pacti redemtionis librariae adimplementum vni parti aut alteri fit impossibile, in iis obseruantur praecepta §. 879. sqq.

§. 1011. Si scripti curatur per typos exscriptio immutata repetita in eadem forma, ea vocatur noua descriptio typis facta. (*neue Auflage.*)

§. 1012. Si vero scriptum, vel forma, vel sententiarum argumento mutatum, de nouo typis exscribitur, editio vocatur noua. (*neue Ausgabe.*)

§. 1013. Si in redemtionis librariae pacto exemplarium primae exscriptionis typis factae numerus non est determinatus, redemtori licet, vel sine expresso auctoris consensu, nouas per typos curare exscriptiones.

§. 1014. At numero determinato redemtor (s. sumtus suppeditans) nouam exscriptionem per typos cura-

Source : BIU Cujas

turus auctori, aut eius heredibus de nouo satisfacere tenetur.

§. 1015. Si partes de eo conuenire nequeunt, honorarii pro prima exscriptione typis facta soluti dimidium pro norma assumitur.

§. 1016. At contra, ius redemtionis librariae, nisi in pacto scripto de alio fuerit conuentum, in regula tantum extenditur ad primam operis editionem, partes eius secuturas omnes et continuationes complectentem.

§. 1017. Hinc primus libri redemtor nouam editionem curare nunquam potest, nisi cum auctore de ea pactum nouum contraxerit.

§. 1018. At contra, neque auctor editionem nouam curare potest, dum redemtor primus non vendidit exscriptiones typis factas secundum §. 1013. 1014. legitime curatas.

§. 1019. Si auctor et libri redemtor (s. librorum negotiator) de noua editione conuenire nequeunt, auctor eam alius redemtoris sumtibus editurus ante omnia exemplaria primae exscriptionis typis factae adhuc extantia a redemtore emere debet, pretio mercatorum librariorum in pecunia numerata soluto.

§. 1020. Ius auctoris, quo sine eius consensu nouam editionem curare interdicitur omnibus, ad eius heredes non transit, nisi de eo expresse et scriptis aliud fuerit conuentum.

§. 1021. Quae limitationes iuris redemtionis librariae in auctoris fauorem positae cessant, si mercator librarius ad eam, quam ipse concepit, ideam auctori opus componendum commisit, et auctor, sine reseruatione singulari scripta, illud perficiendum suscepit; aut si mercator librarius auctores plures ad exsequendum eiusmodi propositum, tanquam operis socios (collaborantes) instituit.

§. 1022. In his casibus ius omne redemtionis inde ab initio mercatori librario competit, et auctor aut

Source : BIU Cujas

aut auctores ius aliud nullum in exscriptiones typis faciendas et editiones sequentes arrogare sibi possunt, nisi quod in pacto scripto iis est expresse reseruatum.

§. 1023. Annotationes ad explicandos libros, in quos alius ius redemtionis librariae habet, separatim typis exscribere licet; at cum opere ipso eiusmodi annotationes, sine operis auctoris et redemtoris consensu, neque typis exscribi possunt, neque in prouinciis regiis vendi.

§. 1024. Nemini, auctore et libri redemtore non consentiente, scripta singula typis expressa inferere collectionibus, aut excerpta ex iis separatim typis exprimere licet.

§. 1025. Omnino autem librorum excerpta aliis operibus aut collectionibus possunt inseri.

§. 1026. Editiones nouae auctorum exterorum, qui extra imperii Germanici, aut prouinciarum regiarum fines, lingua vtuntur aliena, et quorum redemtores nundinas neque Francofurtanas neque Lipsienses obeunt, typis repeti possunt, quatenus redemtor de iis priuilegium nostrum non est consecutus.

§. 1027. Versiones (s. interpretationes) intuitu iuris redemtionis pro scriptis habentur nouis.

§. 1028. Versio noua, per alium interpretem curata, non est prioris versionis per typos repetitio.

§. 1029. Si nulla amplius negotiatio libraria existit, cui in nouam libri editionem ius redemtionis competit, et si ius auctoris secundum §. 1020. etiam extinctum est, cuilibet nouam licet curare operis editionem.

§. 1030. Quo tamen in casu, si auctoris liberi gradus primi existunt, nouus redemtor de noua editione, ab eo curanda, his satisfacere debet.

§. 1031. Caeterum inter redemtorem nouum et auctorem, qui nouam curat editionem, valent omnia, quae de operibus nouis sunt praecepta.

Source : BIU Cujas

§. 1032. Eiusmodi editionum per typos repetitio furtiua etiam illicita eſt, iisdem circumſtantiis exiſtentibus, quibus noui operis per typos repetitio ex praeceptis ſupra datis locum non habet.

§. 1033. Quatenus respublicae aliae repetitionem per typos furtiuam in detrimentum redemtorum noſtrorum permittunt, eatenus his quoque in redemtores illarum idem permittatur.

§. 1034. Qui libros et opera, quorum repetitio per typos ex principiis dictis eſt illicita, nihilominus per typos repetit, redemtori legitimo damnum reparare tenetur.

§. 1035. Quae reparatio conſiſtit in reſtituendo honorario, a redemtore legitimo auctori ſoluto, et in refundendis ſumtibus maioribus, a redemtore erogatis in typos, et chartam meliores, quibus exſcriptio legitima repetitioni typis facta praeſtat.

§. 1036. Praeterea libri furtim recuſi ſub poena confiſcationis in terras noſtras ne importentur; et libros ſine iure acquiſito recudentes, ſecundum propiores iuris criminalis ſanctiones, ſeuere puniantur. (Part. II. Tit. XX. Sect. XIV.)

Sectio Nona.

De donationibus.

Definitio et principia. §. 1037. Donationes ſunt pacta, quibus quis ſe obligat ad dominium rei aut iuris in alterum gratis transferendum.

§. 1038. In donationibus etiam donatarius dominium doni (rei aut iuris donatae) facta traditione demum acquirit. (Tit. X. §. 1. 18-25.)

§. 1039. Renuntiationes merae iuris, delati quidem, ſed nondum re vera accepti, item iuris dubii ex regulis de donationibus non diiudicandae.

Vbi animus donandi praeſumitur. §. 1040. Rem dono fuiſſe datam, non praeſumitur.

§. 1041. Vbi officium eſt beneficentiae perſonale ſingulare, licet non legitime obligans, ibi

Source : BIU Cujas

praesumitur, donandi animo fuisse datum, quod sine reseruatione datum est.

§. 1042. Quidquid igitur agnati in linea ascendente et descendente, fratres (seu consanguinei) et coniuges sibi inuicem sine reseruatione dant, donatum habetur, donec contrarium ex circumstantiis apparet, aut legibus singularibus est definitum. (Part. II. Tit. I. Sect. V.)

§. 1043. Eodem modo, si quis pauperi ad vitam sustentandam quid dederit, praesumitur donandi animus.

§. 1044. Idem valet de pecuniis et rebus, aerariis, pauperibus alendis destinatis, et aliis corporibus piis sine reseruatione exhibitis.

§. 1045. Quod datum est in circumstantiis, in quibus dantis finis alius nullus cogitando potest concipi, pro donato etiam habendum.

Donationis pacta, quae onerosis aequiparanda.

§. 1046. Si leges ad facta, quae per se forent merae liberalitatis, expresse quendam obligant, respectu certarum personarum aut rationum; pacta, ad propiorem huius obligationis determinationem inita, onerosis aequiparantur.

§. 1047. Si igitur personae, quae aliam secundum leges dotare tenentur personam, huic summam certam aut rem, dotationis aut dotis loco, expresse promiserunt, pactum de ea re in forma legitima contractum onerosum iudicandum.

§. 1048. Et si tertius, sub conditione aut in finem matrimonii ineundi vni aut alteri futurorum coniugum in forma legitima quid promisit, eiusmodi pactum onerosо aequiparandum.

§. 1049. Quod vero matrimonii tantum occasione est promissum, donationis naturam induit, si mera liberalitas subest.

§. 1050. Pacta inter coniuges, quibus alter alteri certa commoda in mortis casum praefinit, non donationes sed pacta onerosa habenda.

Source : BIU Cujas

§. 1051. Si donationes mutuae inter viuos sunt factae, donatio quaelibet per se ex regulis generalibus de donationibus est diiudicanda.

§. 1052. At vero si altera pars donum alteri promissum aut traditum vel ex causa in se legitima reuocat; alteri parti plena indemnitas praestanda est eius, quod ratione doni promissi re vera dedit aut praestitit.

§. 1053. Donationes promissae aut datae sub conditione a donatario praestanda, aut in finem ab eo efficiendum, in casu dubio pactis onerosis aequiparandae.

§. 1054. Si autem ex circumstantiis clare apparet, conditionem aut finem in speciem tantum fuisse adiectum, eiusmodi donatio, etiam respectu iuris, eam reuocandi, ex generalibus donationum principiis in genere diiudicanda.

§. 1055. At si donatio ex causis legitimis reuocatur, conditione aut fine non in proprium donatarii fauorem adiectis, donatario omne id, quod ad eos efficiendos fecit, aut praestitit, ad pretium maximum est restituendum.

§. 1056. Si conditio adiecta aut finis definitus ad donatarii fauorem vnice spectat, eiusmodi donatio, vti alia omnis, potest reuocari.

§. 1057. At si reuocationis causa non est in donatarii culpa, et si hic donationis respectu facta peregit, aut apparatus fecit, qui facta reuocatione ipsi damno sunt, damni a donatore reparationem petere potest.

Quomodo donationis pacta celebrantur.

§. 1058. In omnibus donationibus, aeque ac in aliis pactis, requiritur acceptatio expressa aut factis declarata. (Tit. V. §. 78. sqq.)

§. 1059. At facta tamen et verba alterius in casu dubio ita sunt interpretanda, ac si iis voluerit donum acceptare.

§. 1060. Si donatarius, ob infantiam, morbum aut defectum mentis, animum doni accipiendi declarare ipse nequit, quilibet tertius in donatarii fauorem donum potest acceptare.

Source : BIU Cujas

§. 1061. Donum nondum acceptatum ab eius, cui erat deſtinatum, heredibus donatore inuito non amplius poteſt legitime acceptari.

§. 1062. Quatenus poſt donatoris mortem acceptare adhuc donatarius poſſit, aut heredibus oblationem iſtam acceptandi ius competat, ex regulis generalibus de acceptatione in genere eſt diiudicandum. (Tit. V. §. 90-108.)

§. 1063. Donationum pacta in iudicio celebrentur, neceſſe eſt. Forma.

§. 1064. Hinc ex pacto extraiudiciali, licet ſcripto, in regula ad implementum agi nequit.

§ 1065. At contra, rei mobilis aut ſummae donatae, donatario iam traditae, repetitio ex cauſa defectus pacti iudicialis locum non habet.

§. 1066. Rem immobilem ex fundamento pacti ſcripti, licet extraiudicialis, donatario traditam donator ob pacti iudicialis defectum repetere nequit.

§. 1067. Quin potius in hoc caſu pactum ſcriptum extraiudiciale vim habet delineationis. (punctationis.)

§. 1068. Attamen praecepta dicta (1066. 1067.) tum demum valent, ſi naturali traditione facta, res donata in donatarii poſſeſſionem et cuſtodiam eſt translata.

§. 1069. Donationum pacta, coram iuſtitiae commiſſariis et notariis tantum celebrata, donationum iudicialium vim non habent.

§. 1070. Donationes, ad promouendos fines illicitos factae, ſunt inualidae. Quae donationes ob finem aut perſonam donatarii ſint inualidae.

§. 1071. Donum re vera datum ab accipiente repetendi ius fiſco competit.

§. 1072. Quatenus coniuges inter viuos dona ſibi conferre inuicem valide poſſint, ſuo loco eſt determinatum. (Part. II. Tit. I. Sect. V.)

§. 1073. Etiam in donationibus, eccleſiis aliisque piis corporibus factis, praecepta iuris eccleſiaſtici obtinent. (Part. II. Tit. XI. Sect. IV. XII.)

Source : BIU Cujas

§. 1074. Quae de his ſunt ſancita, valent quoque de donationibus ſcholis exteris factis, et academiis, et aliis inſtitutis educationi deſtinatis, aut piis corporibus.

§. 1075. At contra, donationes indigenis ſcholis, academiis aliisque eiusmodi publicis docendi atque educandi inſtitutis, vti et ptocho- et orphanotropheis indigenis, hoſpitiis publicis et eum in finem factae, vt ſtipendiis erogandis, aliisque piis inſtitutis inſeruiant, in et per ſe ſine limitatione ad ſummam certam permittuntur. (Part. II. Tit. XIX.)

Effectus pacti donationis validi.

§. 1076. Ex pacto donationis legitimo exoritur ius agendi, ad rem donatam tradendam.

§. 1077. Donator, ſi rerum vtilium valido modo dono promiſſarum traditionem ſine iure moratur, emolumenta et fructus, inde ex tempore morae re vera perceptos, vna cum re tenetur exhibere.

§. 1078. Caeterum vero etiam, quod ad conſeruationis impenſas, melioraciones et deterioraciones attinet, bonae fidei poſſeſſori tantum aequiparatur.

§. 1079. Pecuniae donatae poſt latam demum ſententiam, vires rei iudicatae nactam, vſurae poſſunt peti.

§. 1080. At ſorte donata feneraticia; donator reſtituere tenetur donatario vſuras, quarum dies poſt temporis morae momentum venit, ab ipſo exactas omnes.

§. 1081. Donatoris heredes ad morae vſuras ſoluendas, vti alii debitores, ſunt obligati.

§. 1082. Donum accipiens rem debet ſuſcipere cum omnibus oneribus ei impoſitis.

§. 1083. Ad euictionis praeſtationem donator donatario tantum obligatur expreſſa eius promiſſione.

§. 1084. Qui vero ſciens donat rem alienam aut pernicioſam, donatario de ea re non admonito, praeſtare huic tenetur omne damnum, eius perſonae aut bonis reliquis inde illatum.

Source : BIU Cujas

§. 1085. Si res eadem donata fuerit perſonis pluribus, quarum vna rei particeps fieri nequit, huius perſonae rata ad donatoris rem familiarem redit.

§. 1086. Re donata indiuidua; in hoc caſu inter donatorem et donatarios reliquos commune exoritur dominium.

§. 1087. Si quis legitimam inſtituit totius rei familiaris donationem, at ſibi reſeruata diſpoſitione de certa parte aut certa ſumma; haec quoque pars aut ſumma, ſi donator de ea plane non diſpoſuit, donatario in regula cedit.

§. 1088. At ſi donator heredes in linea aſcendente aut deſcendente legitimos, aut fratres, aut gradus primi patrueles reliquerit; his in eiusmodi rem aut ſummam reſeruatam ius competit praecipuum prae donatario.

§. 1089. Donationes iudicialiter celebratae in regula reuocari nequeunt. Reuocatio donationum 1) generatim,

§. 1090. Donatione autem extraiudiciali iam per traditionem perfecta, nihilominus reuocatio intra ſex menſes poſt traditionem locum habet.

§. 1091. Quibus ſex menſibus praeterlapſis extraiudicialis etiam donatio non niſi in tantum reuocari poteſt, in quantum donum partem rei familiaris donatoris dimidiam exceſſit. 2) ob exceſſum in modo,

§. 1092. Eodem modo donatio quoque in iudicio celebrata et traditione perfecta poteſt reuocari.

§. 1093. At in vtroque tamen caſu reuocatio ob exceſſum intra tres tantum annos, et quidem ſi donatio fuerit iudicialis, a die celebrationis, ſi extraiudicialis, a die traditionis locum habet.

§. 1094. Si in iudiciali celebratione pacti donator expreſſe declarauit, donum dimidiam rei familiaris partem non excedere, hoc reuocandi iure vti nequit.

§. 1095. At eiusmodi tamen donatori lex et effectus declarationis ſuae perſpicue ſunt explicandi,

Source : BIU Cujas

et quo modo hoc factum sit, in protocollo expresse est notandum.

§. 1096. Quo praecepto obseruato, reuocatio tunc tantum admittitur, si donator simul docere potest, se ex errore, in quem sine culpa lata sua incidit, rem suam familiarem maiorem putasse, quam fuit.

§. 1097. In definiendo, an et in quantum donatio dimidiam rei familiaris donatoris partem superet, pacti celebrati temporis est habenda ratio.

§. 1098. Reuocatione autem ante traditionem facta, status rei familiaris, (seu bonorum) vti tunc temporis est, habetur ratio.

§. 1099. Si donum in exactionibus (seu reditibus) consistit continuis, in computanda summa, sors (s. summa capitalis) ex vsuris legitimis definienda. (§. 841.)

§. 1100. Si donum consistit in exactionibus annuis, ad vitae dies donatoris aut donatarii terminatis, exactiones cum reditibus, a donatore tempore pacti percipiendis, sunt conferendae, et in tantum deminuendae, in quantum horum redituum excedunt dimidium.

§. 1101. Dono collato a conferentibus personis pluribus; intuitu donatoris cuiusque partis, ab eo collatae, proportionis ad eius rem familiarem (s. substantiam) habetur ratio.

§. 1102. Corporationis dona ex communibus eius bonis diiudicanda.

§. 1103. Si persona eadem pluribus vno eodemque tempore dona dat, ea in tantum reuocari possunt, in quantum vniuersa (omnia simul sumta) donatoris rem familiarem dimidiam superant.

§. 1104. Tunc donatarius quisque pro rata accepti confert ad ea supplenda, quae donatoris desunt parti dimidiae.

§. 1105. Quatenus vero donatariorum plurium vnus secundum praeceptum, infra in §. 1165. datum,

Source : BIU Cujas

ad reſtituendam ratam non tenetur, aut eam reſtituere nequit, donatarii reliqui ad deminutionem, inde exortam, ſoluendam non tenentur.

§. 1106. Praeceptum §phi 1103-1105. tum tantum locum obtinet, ſi donationis pacta cum pluribus donatariis in ſe valida vno eodemque actu, ſiue extraiudiciali traditione, ſiue iudiciali conſignatione, celebrata ſunt.

§. 1107. Si vero perſona eadem pluribus perſonis, diuerſis temporibus, licet vno die, dona dedit; cuiusque doni proportio ad donatoris rem familiarem diiudicanda eſt pro temporis momento, quo pactum de eo valide eſt contractum.

§. 1108. Dona antiquiora valide promiſſa, licet nondum re vera data, tunc intuitu donationis poſterioris cuiusque, vti alia debita, de bonis donatoris actiuis ſunt deducenda.

§. 1109. Quae ſupra §. 1107. 1108. ſunt ſancita, locum quoque obtinent, ſi quis vni eidemque perſonae plura dona diuerſis dedit temporibus.

§. 1110. Doni ſolutio terminis diuerſis promiſſa, vel re vera praeſtita, ad diiudicandam proportionem doni ad donatoris bona nihil facit, ſed temporis momenti, quo donationis pactum eſt celebratum, ſemper tantum habetur ratio.

§. 1111. Simulac apparet, rei familiaris dimidio plura aliquem donaſſe, iudex cognoſcere poteſt et debet, an eiusmodi homini, tanquam prodigo, curator ſit conſtituendus.

§. 1112. Donatoris heredes donationem eius in ſe validam ex ea cauſa, quod defuncti rem dimidiam familiarem exceſſerit, in regula tum demum reuocare poſſunt, ſi hereditatem relinquens animum, donationem ea de cauſa reuocandi in iudicio iam declarauerat. (Tit. XII. §. 587. ſqq.)

Source : BIU Cujas

3) ſi donatio inofficioſa,

§. 1113. At contra, heredes neceſſarii, quibus ſecundum leges legitima debetur, reuocare poſſunt quamlibet donationem, a donatore intra tres annos ante mortem factam, ſi pura hereditatis relictae ſumma non conſtituit dimidium ſummae aut rei donatae pretium.

§. 1114. Tum vero a donatariis id tantum eſt reſtituendum, quod huic dimidio deeſt.

§. 1115. Si intra hos tres annos donationes plures fuerint factae, omnes quidem donationes iſtae ſunt computandae, quo definiri poſſit, an laeſio legitimae adſit;

§. 1116. At contra, reuocatio vera donorum tempore antiquiorum non niſi in tantum locum obtinet, in quantum legitima ex donis reuocatis poſterioribus ſuppleri nequit.

4) ob alimenta ſubtracta,

§. 1117. Eodem modo et ii, quibus donator ex legibus alimenta ſuppeditare eſt obligatus, ſi ex hereditate alimenta in totum aut ex parte praeſtari nequeunt, petere poſſunt, vt ſuppleantur, quae deſunt, ex rei aut ſummae donatae emolumentis et fructibus, quatenus hi ſufficiunt, ſummae donatae in ſe ratione nulla habita.

§. 1118. Quae tamen petitio contra eiusmodi tantum donatarios locum habet, quibus donationes ſunt factae in vltimis tribus ante donatoris mortem annis.

§. 1119. Donatarii conueniri nequeunt, antequam et hereditatis ſubſtantia alimentis eſt exhauſta.

§. 1120. At contra, ſi rei aut ſummae donatae emolumenta et fructus ad praeſtanda alimenta legitima non ſufficiunt, et doni ſubſtantia, quatenus neceſſe eſt, eum in finem impendenda.

§. 1121. In genere tamen donatariorum obligatio ad illud tantum tempus eſt reſtricta, ad quod donator fuiſſet obligatus ad eiusmodi alimenta praeſtanda.

§. 1122. Donationes iam factas, ante ortam donatoris obligationem alimentorum praeſtandorum,

Source : BIU Cujas

impugnari nullo in casu possunt ab iis, quibus haec alimenta debentur.

§. 1123. Donatarius ipse, si ad paupertatem fuerit redactus, a donatario sex pro centum summae donatae, aut pretii rei donatae, tanquam competentiam quotannis potest petere. 5) ob competentiam donatori praestandam,

§. 1124. In quantum donatarii ea est conditio aut res familiaris, vt sibi suisque alimenta necessaria forent subducenda, quo eam competentiam possit exhibere donatori, huic eam petendi ius non competit.

§. 1125. At donatarius tamen sub hoc praetextu denegare non potest, si opus fuerit, doni substantiae ad donatorem alendum erogationem, in quantum vel donum vel eius pretium ipsi adhuc restat.

§. 1126. At et donatario liberum est, doni ipsius, in quantum illud aut eius pretium ipsi adhuc restat, restitutione se prorsus liberare a competentia donatori praestanda.

§. 1127. Quae quidem substantia ad donatorem alendum, in quantum eum in finem est necessaria, sensim impenditur, et in residuum, si quid restet, donatario ius suum reseruatur.

§. 1128. Si ad inopiam redactus donator pluribus personis diuersis temporibus donationes fecit, donatarius tempore prior ad eum alendum secundum principia supra dicta eatenus tantum obligatur, quatenus donationes tempore posteriores, ad eum alendum non sufficiunt.

§. 1129. Donationes intra annum ante concursum exortum a debitore communi factas, quatenus iis mera liberalitas subest, reuocare possunt creditores. 6) ob concursum exortum,

§. 1130. Donationem maturius factam creditores reuocaturi docere debent, donatorem iam eo tempore fuisse obrutum aere alieno tam magno, vt id eius rem familiarem excesserit.

Source : BIU Cujas

§. 1131. Quae tamen reuocatio iis creditoribus tantum competit, quorum nomina donatione sunt antiquiora.

§. 1132. De donationibus, a debitore communi coniugi factis, quae necessaria sunt, suo loco sunt definita. (Part. II. Tit. I. Sect. V.)

§. 1133. Donationes omnes, siue coniugibus siue aliis, triennio plus ante concursum exortum, legitime factae, a creditoribus impugnari nullo praetextu possunt.

7) donationum mortis causa.

§. 1134. Simulac pactum donationis legitimum verum existit; intuitu iurium donatarii, et donatoris reuocandi facultatis, nihil mutatur, licet negotium donatio mortis causa fuisset appellata, aut traditio vsque ad donatoris mortem dilata.

§. 1135. Quod si vero donator reuocationem vsque ad mortem suam expresse sibi reseruauerit, donatario tamen, licet reuocatio non fuerit facta, ex eiusmodi dono in hereditatem eadem tantum iura competunt, quae legatario.

§. 1136. Donationis pacto sub ea conditione celebrato, si donator in instanti mortis periculo vitam amittat, (s. ex imminenti mortis periculo viuus non euadat) pactum effectibus destituitur, si donator periculo liberatus in vita manet.

§. 1137. Hinc eiusmodi donum, licet iam fuerit traditum, non a donatore solum, sed etiam, si hic, periculo perfunctus, alio modo naturae debitum soluerit, ab eius heredibus reuocari potest.

§. 1138. Atque etiam, si mortis periculum instans ansa tantum fuerit aut ratio mouens donationis, donator periculo perfunctus eam reuocare potest.

§. 1139. Donatoris heredibus contra, ius reuocandi donationem in hoc casu non competit, si defunctus reuocationem nondum legitime declarauerat.

§. 1140.

Source : BIU Cujas

§. 1140. Merum donationis pactum traditione nondum perfectum reuocari potest, si donator postea liberos suscepit, aut liberos, quos amissos putauerat, denuo inuenit. 8) ob liberos post natos.

§. 1141. At dono promisso iam tradito, ex hac causa sola reuocationi locus non est.

§. 1142. Reuocatio semel facta inualida non fit eo, quod liberi postea sunt mortui.

§. 1143. Si ante donationem liberi iam extiterunt donatoris, pacti reuocandi ius non acquiritur aucto eorum numero.

§. 1144. At contra, nullum discrimen exoritur, vtrum donator, cui liberi nulli, post donationem vnum tantum an plures liberos susceperit.

§. 1145. Liberorum appellatione intelliguntur descendentes ex matrimonio legitimo seu ad dextram manum omnes, quatenus iis ex legibus debetur legitima ex donatoris hereditate relicta.

§. 1146. Nihil differt, an liberi natiuitate an legitimatione haec descendentium legitimorum iura acquisiuerint.

§. 1147. At contra, adoptio alieni, a donatore facta, donatori ius reuocationis nondum tribuit.

§. 1148. Matres etiam propter eiusmodi liberos postea natos, qui ex matrimonio legitimo seu ad dextram manum non sunt progeniti, reuocandi iure vti possunt.

§. 1149. Dona, quae quis agnatis suis lineae ascendentis, atque liberis extra matrimonium ad dextram procreatis, in se legitime promisit aut dedit, reuocare nequit ex ea causa sola, quod postea descendentes ex matrimonio ad dextram fuerunt suscepti.

§. 1150. Liberi donatoris, qui viuus reuocationis iure ob liberos postea genitos non est vsus, eatenus tantum reuocare donationem possunt, quatenus secundum §. 1113-1116. donatio est inofficiosa. (s. legitimam laedit.)

Source : BIU Cujas

9) ob ingratitudinem.

§. 1151. Ob donatarii crimen animi ingrati donator non ſolum poteſt doni traditionem denegare, ſed, quod iam dedit, etiam repetere.

§. 1152. Animi ingrati crimen eſt, ſi donatarius donatorem data opera aut culpa lata interfecit, vulnerauit, verberibus affecit, aut eius vitae vel ſanitati periculum ſtruxit.

§. 1153. Donatori a donatario illata bonae exiſtimationis laeſio, ex legum definitione pro graui iniuria habenda, ſiue ad immediatas ſiue ad mediatas iniurias pertineat, aeque fundat reuocationem ob animum ingratum. (Part. II. Tit. XX. Sect. IX.)

§. 1154. Idem valet de damno donatoris bonis illato a donatario, vel dolo, vel propria vtilitate illicita.

§. 1155. Neque diſcrimen ſtatuendum, licet laeſio, caſu fuerit ſine ingrati concurſu auerſa, aut facta irrita.

§. 1156. In omnibus vero caſibus pro ingrato haberi non poteſt, qui in iuſta defenſione verſatur.

§. 1157. Ingratus animus, quem ipſe donator non accuſauit, huius heredibus tum demum ius reuocandi tribuit, ſi donator a donatario aut vita aut intellectus vſu eſt priuatus.

§. 1158. Si vero donator doni reuocandi voluntatem in iudicio iam declarauit, eius etiam heredes poſt eius mortem contra donatarium ingratum litem perſequi poſſunt.

§. 1159. Eiusmodi declaratio extraiudicialis eosdem effectus producit cum iudiciali, ſimulac appareret, teſtatorem, morte tantum fuiſſe impeditum, quo minus ingratum animum in iudicio accuſaret.

§. 1160. Si corporationi aliquid fuerit donatum, donum reuocari nequit ob animum ingratum, cuius praepoſiti, aut temporis praeſentis membra ſunt rei.

Source : BIU Cujas

§. 1161. At vero donator laedentes ipsos priuare iis commodis potest, quae alias ex donatione fuissent percepturi.

§. 1162. Renuntiatio iuris reuocandi ante donationem, vel in ea, aut in traditione facta, licet iureiurando fuerit confirmata, neque donatorem impedit, neque eius heredes, quo minus ius reuocandi exerceant. Regulae generales de reuocatione.

§. 1163. Hic tamen excipitur secundum propiores determinationes §. 1094-1096. solus casus reuocationis factae ob assertum donationis excessum.

§. 1164. In quantum reuocatio contra donatarium, in tantum quoque contra eius heredes locum habet.

§. 1165. At vero in casibus omnibus donatarius eiusque heredes ad restituendum non nisi in tantum obligantur, in quantum res donata, reuocationis tempore adhuc in bonis aut in hereditate existit, aut hi pretio pro ea accepto re vera adhuc sunt locupletiores.

§. 1166. Donatarius pro bonae fidei possessore habendus, vsque dum reuocandi voluntas in iudicio fuerit declarata.

§. 1167. In casu tantum reuocationis ob ingratum animum donatarius, a momento ingratitudinis commissae, omnes obligationes et onera possessoris malae fidei in se suscipit.

§. 1168. Si donator rem certam dono promissam sed nondum re vera traditam consumit, alienat, aut delet, id pro tacita donationis reuocatione habendum.

§. 1169. Si donatione factum, laude dignum, aut officium magnum praestitum compensatur, hoc donum vocatur remuneratorium. De donationibus remuneratoriis.

§. 1170. Doni remuneratorii iam dati reuocatio locum tantum habet ob excessum secundum propiores determinationes §. 1091. sqq.

§. 1171. Simulac vero causarum legitimarum aliarum donationem simplicem reuocandi vlla adest, do-

Source : BIU Cujas

natarius definite indicare et docere tenetur factum laudabile aut officium praestitum, quod dono accepto compensari debuit.

§. 1172. Quod si non possit, aut nolit, et eiusmodi donatio, aeque ac alia omnis, potest reuocari.

§. 1173. Ad donationis pactum, quo donum remuneratorium tantum promittitur, si validum esse debeat, requiritur instrumentum scriptum, in quo factum aut officium, dono remunerandum, definite indicatur.

§. 1174. Qua forma neglecta, donum non remuneratorium habetur et diiudicatur, sed tantum tanquam donum, ex mera liberalitate promissum.

§. 1175. At contra, forma legitima obseruata, donatio remuneratoria promissa, praeter casum excessus, (§. 1091.) tum tantum potest reuocari, si cognoscitur, donatarium factum non peregisse aut officium non praestitisse.

§. 1176. In donationibus etiam remuneratoriis locum habent praecepta §. 1076-1087.

§. 1177. Si ante officium praestitum aut ante factum susceptum aliquid de eius remuneratione est constitutum, negotium, licet donationis nomen prae se ferat, ex praeceptis non huius sectionis sed antecedentis est diiudicandum.

Source : BIU Cujas

IVS

BORVSSICO - BRANDENBVRGICVM

COMMVNE.

TOMI PRIMI

PARS POSTERIOR.

Source : BIU Cujas

Source : BIU Cujas

IVS

BORVSSICO-

BRANDENBVRGICVM

COMMVNE.

EX GERMANICO LATINE VERSVM.

TOMI PRIMI

PARS POSTERIOR.

BEROLINI MDCCC.

APVD GOTTFRIDVM CAROLVM NAVCK.

Source : BIU Cujas

IUS

BORUSSICO-

BRANDENBURGICUM

EX GERMANICO LATINE VERSUM.

TOMUS PRIMUS.

Source : BIU Cujas

In

tomi primi parte posteriori continentur.

Tomi Primi

TITVLVS XII. De titulis acquirendi dominii ex dispositionibus mortis causa oriundis. pag. 339—408.

Sectio I. De testamentis et codicillis. — 339—404.

Sectio II. De pactis successoriis. — 404—408.

TITVLVS XIII. De acquirendo dominio rerum et iurium per tertium. — 409—437.

Sectio I. De mandatis. — 409—431.

Sectio II. De negotiorum alienorum gestione sine mandato. — 431—435.

Sectio III. De versione in rem vtili. — 435—437.

TITVLVS XIV. De mediis, dominium et iura conseruandi. — 437—486.

Sectio I. De depositi contractu. — 438—448.

Sectio II. De administratione rerum alienarum et bonorum. — 448—455.

Sectio III. De cautionibus et fideiussionibus. — 455—480.

Sectio IV. De pignorationibus. — 480—485.

Sectio V. De protestationibus. — 485—486.

TITVLVS XV. De persecutione dominii. — 486—491.

TITVLVS XVI. De modis, quibus iura et obligationes cessant. — 492—546.

Sectio I. De implemento obligationum generatim. — 493—495.

Sectio II De solutione. — 495—514.

Sectio III. De depositione. — 514—516.

Sectio IV. De datione in solutum. — 516—518.

Sectio V. De assignationibus. — 518—523.

Sectio VI. De compensatione. — 523—532.

Sectio VII. De iurium renuntiatione. — 532—535.

Source : BIU Cujas

Sectio VIII. De transactionibus. - pag. 535—539.
Sectio IX. De tollendis iuribus et obligationibus nouatione. - — 539—542.
Sectio X. De tollendis iuribus et obligationibus earum confusione. - — 542—546.
TITVLVS XVII. De dominio communi. - — 546—585.
Sectio I. De dominio communi generatim. — 546—557.
Sectio II. De communi coheredum dominio. — 557—563.
Sectio III. De communionibus ex pacto oriundis. - - - — 563—578.
Sectio IV. De communionum separationibus *(Gemeinheitstheilungen)*. — 578—582.
Sectio V. De finibus regundis. - — 583—585.
TITVLVS XVIII. De dominio diuiso. - — 586—674.
Sectio I. De feudo. - - - — 587—660.
Sectio II. De emphyteusi. - - — 660—674.
TITVLVS XIX. De iuribus realibus et personalibus in alieno dominio generatim. — 675—678.
TITVLVS XX. De iure in rei alienae substantia. — 679—748.
Sectio I. De iure pignoris. - - — 679—736.
Sectio II. De iure retentionis. - — 736—739.
Sectio III. De iure protimiseos, retractus et reemtionis. - - — 739—748.
TITVLVS XXI. De iure vtendi, vel vtilitatem percipiendi ex rebus alienis. - — 749—820.
Sectio I. De vsufructu. - - — 752—769.
Sectio II. De locatione conductione perpetua *(Erbrecht)*. - - — 769—773.
Sectio III. De iure rebus alienis vtendi limitato. - - - — 774—817.
Sectio IV. De praediis et fundis in culturam concessis. - - — 818—820.
TITVLVS XXII. De fundorum seruitutibus. - — 821—848.
TITVLVS XXIII. De iure cogendi et bannario. — 849—860.

Source : BIU Cujas

TITVLVS DVODECIMVS

De titulis acquirendi dominii ex diſpoſitionibus mortis cauſa oriundis.

§. 1. Quidquid quis libere poteſt alienare, de eo et in mortis caſum pro arbitrio poteſt diſponere.

§. 2. Atque ſic quidem diſponere et voluntatis declarationibus vnilateralibus, et pactis.

Sectio Prima.

De teſtamentis et codicillis.

§. 3. Voluntatis declaratio vnilateralis omnis, qua quis hereditatis (ſubſtantiae) relictae heres (ſucceſſor) inſtituitur, dicitur teſtamentum. I. Definitiones et principia.

§. 4. Pro heredis inſtitutione habenda omnis teſtatoris declaratio, ex qua eius apparet voluntas, poſt mortem ſuam hereditatis vniuerſitatem (derelictorum ſuorum comprehenſa) in vnam aut plures perſonas transferendi.

§. 5. Codicillorum nomine veniunt voluntatis declarationes vnilaterales, quibus quis de ſingulis tantum et definitis partibus, (ſingularibus et determinatis portionibus) ſummis, iuribus, aut officiis in mortis caſum diſponit.

§. 6. Legata vocantur res aut ſummae ſingulae definitae, in teſtamentis aut codicillis alicui relictae.

§. 7. Codicilli ſunt quoque ſine teſtamento validi.

Source : BIU Cujas

§. 8. Quae ad legitimam voluntatis declarationem generatim pertinent, ea et ad teſtamentum aut codicillos legitimos requiruntur. (Tit IV.)

II. De facultate perſonali, vltimas diſpoſitiones condendi.

§. 9. Quatenus quis inter viuos de rebus ſuis diſponendi facultatem et ius habet, eatenus in regula quoque mortis cauſa poteſt diſponere.

§. 10. Iuri ſic diſponendi renuntiare tantum poteſt pacto ſucceſſorio legitime celebrato.

§. 11. Facultas (ſ. habilitas) aut inhabilitas hereditatem relinquentis diiudicanda eſt ex temporis momento, quo voluntatem vltimam condidit.

§. 12. Quod ſi hereditatem relinquens eo tempore ob defectum naturalem ad voluntatem vltimam declarandam fuit incapax, diſpoſitio manet inualida, licet poſtea fuerit defectus remotus.

§. 13. Quod ſi vero ipſi tantum obſtiterit lex prohibitoria poſitiua, quae non ſpectat ad defectum facultatis naturalis voluntatis declarandae, diſpoſitio fit valida impedimento poſtea ceſſante.

§. 14. Si quis teſtamenti condendi facultate, in facti illiciti poenam, eſt priuatus, haec poena quoque extenditur ad vltimae voluntatis diſpoſitiones iam conditas.

§. 15. Nocens eatenus tantum teſtamentorum et codicillorum condendorum iure priuatur, quatenus commeruit, vt re familiari priuetur. (ſubſtantiam vel fortunam ſuam deliquit.)

§. 16. Minores annum decimum quartum egreſſi ſine ſexus diſcrimine vltimas voluntatis diſpoſitiones valide condunt, ſine patris aut curatoris conſenſu, non neceſſario.

§. 17. At perſonae tamen, quae annum decimum octauum nondum impleuerunt, vltimas voluntatis diſpoſitiones condere non aliter poſſunt, niſi ora tenus, conſcripto de iis protocollo iudiciali.

Source : BIU Cujas

§. 18. Quatenus liberis, qui adhuc ſub patria ſunt poteſtate, aetatis legitimae defectus non obſtat, eatenus ne intuitu quidem bonorum, de quibus libere non diſponunt, patris conſenſu indigent.

§. 19. Feminae in iis etiam locis, quibus pacta ſine ſexus curatore inire nequeunt, vltimas voluntatis diſpoſitiones condere poſſunt, curatore nullo adhibito.

§. 20. Rationis vſu interdum tantum deſtituti in interuallis dilucidis mortis cauſa diſponere legitime poſſunt. (§. 145.)

§. 21. At furioſi aut mente capti (imbecillis mentis) quibus curatores ſunt conſtituti, dum ſub cura ſunt, vltimae voluntatis diſpoſitiones condendi facultate non gaudent.

§. 22. Si eiusmodi perſonae intra anni ſpatium, antequam curator erat datus, de hereditate diſpoſitionem extraiudicialem aut priuilegiatam condiderunt; illum, qui inde quaerit lucrum, ſecundum leges ei non competens, docere oportet, diſponentem vltimae voluntatis dispoſitionis factae tempore compotem mentis fuiſſe.

§. 23. Contra diſpoſitiones in iudicio conſcriptas locum non habet exceptio, ad condendum teſtamentum aliquem vi aut minis fuiſſe coactum, aut errore, dolo, ebrium, aut motum vehementibus animi perturbationibus fuiſſe inductum.

§. 24. Quod ſi vero poteſt erui, iudicem eiusmodi teſtatoris defectum in declaranda voluntate nouiſſe, at eam nihilominus ab eo accepiſſe aut literis conſignaſſe; totus actus inde ab initio eſt nullus; iudex vero, ob muneris officium conſulto neglectum, ſecundum propiores iuris criminalis definitiones puniendus.

§. 25. Quatenus et quibus circumſtantiis vltimae voluntatis diſpoſitiones extraiudiciales aut priuile-

Source : BIU Cujas

giatae ob eiusmodi defectum impugnari possint, diiudicandum est ex principiis generalibus de voluntatis declarationibus. (Tit. IV. §. 31 - 51.)

§. 26. Mutis aut surdis, qui scriptis aut oretenus voluntatem declarare possunt, leges non obstant, quo minus voluntatem vltimam declarent.

§. 27. Personae pro prodigis declaratae, dum sub cura sunt, in heredum legitimorum detrimentum, de dimidia tantum bonorum parte valide disponere possunt.

§. 28. Neque prodigus, si inter legitimos tantum heredes testatur, vlli eorum detrahere potest dimidio plus eius, quod ex regulis successionis legitimae cuique competeret.

§. 29. Si prodigus contra haec praecepta de tota hereditate, aut de agnatorum suorum cuiusdam legitima hereditatis portione disposuit; dispositio tantum eatenus valet, quatenus secundum determinationes antecedentes ius ipsi erat disponendi; caeterum regulae successionis ab intestato sunt obseruandae.

§. 30. Testamenta et codicilli, a prodigo, dum sub cura (curatela) fuit, facti, omnino valent, si cura ante testatoris mortem fuit sublata.

§. 31. Idem obtinet, si prodigus cura (curatela) quidem nondum sublata moriatur, at neque coniugem relinquat, neque agnatos intra gradum sextum, et quidem gradu sexto non exclusо. (inclusiue)

§. 32. Testamentum eius, qui postea a iudice prodigus est declaratus, ante curam (curatelam) constitutam conditum, eatenus tantum ex hoc praecepto diiudicandum, quatenus testamentum eo tempore est conditum, quo lis de testatoris prodigalitate ad iudicem iam erat delata.

§. 33. Si eiusmodi hominis agnati ante institutam actionem, vt prodigus declaretur, eum de ea praemonendum, et de ista praemonitione instrumentum a

Source : BIU Cujas

notario conficiendum curarunt; ex eo iam temporis momento, ſi poſtea ſecuta ſit ſententia, qua declaratur prodigus, limitibus circumſcribitur eius teſtamenti condendi ius, ex definitionibus §. 27. 28. allegatis.

§. 34. Prodigus quoque vltimas diſpoſitiones, et ante curam (tutoriam) et ſub ea factas, poteſt reuocare. (§. 563. ſeqq.)

§. 35. Qui adulterium aut inceſtum inter ſe commiſerunt, ſibimet inuicem diſpoſitione vltima relinquere nihil poſſunt, ſi ob hanc conſuetudinem illicitam matrimonii vinculum fuerit ruptum, aut ſi hereditatem relinquens alio modo in iudicio fuerit conuictus adulterii aut inceſtus cum perſona correa, in cuius fauorem diſpoſuit.

III. De perſonali facultate acquirendi ex vltimis voluntatibus.

§. 36. Qui in republica bona acquirendi facultate et iure gaudet, illi et hereditates atque legata poſſunt relinqui.

§. 37. Quatenus eccleſiarum, monaſteriorum, et ordinum monachicorum fratrum facultas hereditates et legata acquirendi limitibus eſt circumſcripta, et quibus limitationibus materfamilias, (*Hausfrau*) in acquirendis hereditate et legatis a coniuge relictis, ſit ſubiecta, ſuo loco eſt definitum. (Tit. XI. Sect. IV. XII. XVIII. Part. II. Tit. I. Sect. IX.)

§. 38. In quantum ſcholae, literarum vniuerſitates, inſtituta educandis iunioribus, ſubleuandis aegrotis, et alendis pauperibus inſeruientia, et piae cauſae aliae hereditatem et legata poſſint acquirere, ex donationum regulis eſt definiendum. (Tit. XI. §. 1073. 1074. 1075. Part. II. Tit. XII.)

§. 39. Quatenus corpora et ſocietates generatim bona acquirere poſſunt, eatenus ipſis quoque hereditates et legata poſſunt relinqui.

§. 40. Quatenus ciues noſtri hereditatem aut legatum in rebus publicis aliis acquirendi incapaces iſtarum legibus habentur, eatenus quoque illarum re-

Source : BIU Cujas

rum publicarum ciues a ciuibus noſtris hereditates et legata acquirere non poſſunt.

§. 41. Cui ob ordinem ſuum certas res aut bona poſſidendi non eſt facultas, in eum hae tamen transferri poſſunt teſtamento aut codicillis.

§. 42. Sed eiusmodi heres aut legatarius, intra anni poſt hereditatem relinquentis mortem ſpatium, aut facultatem poſſidendi ſibi comparare, aut ius ex vltima voluntate quaeſitum cedere habili alii tenetur.

§. 43. In definienda facultate heredis vel legatarii ad tempus, quo delata hereditas, (ſ. delapſae ſucceſſionis) attenditur.

IV. De quibus rebus, et quomodo in teſtamento aut codicillis poſſit diſponi.

§. 44. Hereditatem relinquens in teſtamento heredem vnum aut plures hereditatis relictae inſtituere pro arbitrio poteſt.

§. 45. Atque etiam ex parte teſtatus, ex parte (ſ. intuitu partis reliquae) inteſtatus poteſt decedere.

§. 46. Et ſine denominatione heredis vllius de ſingulis hereditatis partibus et rebus poteſt diſponere.

§. 47. Heredis aut legatarii perſonam deſignare quoque poteſt ſola ad aliam ſchedulam (ſ. annotationem) facta relatione.

§. 48. At eiusmodi ſchedula, quae et ſeorſum obſignata admittitur, teſtamento apponatur, neceſſe eſt.

§. 49. Tertii arbitrio heredis aut legatarii denominatio permitti non poteſt.

De ſubſtitutionibus.

§. 50. Hereditatem relinquens in teſtamento praeter heredem primum ſubſtituere et eum poteſt, qui in caſibus definitis in huius locum ſuccedat.

§. 51. Vulgaris vocatur ſubſtitutio, quae eum in caſum facta, ſi heres aut legatarius ſcriptus lucrum, ipſi deſtinatum, accipere non poſſit, aut nolit.

§. 52. Licet teſtator in ſubſtitutione vulgari eum tantum caſum expreſſerit, ſi heres primus ſcriptus heres eſſe non poſſit, eo tamen et ille caſus ſubintelligendus, ſi heres eſſe nolit, et vice verſa.

Source : BIU Cujas

§. 53. Subſtitutio fideicommiſſaria ſ. obliqua eſt, ſi heredi aut legatario primo ſcripto (primo ſucceſſori aut legatario inſtituto) eſt impoſitum, vt hereditatem aut legatum in caſibus definitis, aut ſub conditionibus datis, alteri tradat.

§. 54. Quomodo et de quibus rebus familiae fideicommiſſa et legata (ſ. fundationes) condi valide poſſint, ſuo loco eſt definitum. (Part. II. Tit. IV.)

§. 55. In quibus caſibus familiae fideicommiſſum ex legibus locum non habet, in iisdem ſubſtitutio fideicommiſſaria tantum valet in ſubſtituti primi et ſecundi fauorem.

§. 56. Qui ſubſtitutus eſt ſubſtituto, qui emolumentum, ipſi deſtinatum, accipere aut nequit aut non vult, is habendus eſt ſubſtitutus etiam heredi aut legatario ſcripto primo.

§. 57. Si heres ſcriptus aut plurium ſubſtitutorum vnus moritur aut alias decedit, antequam hereditas aut legatum ipſi eſt delata; hic in definiendo, quousque ſubſtitutiones valeant, non numeratur §. 55.

§. 58. Subſtitutione fideicommiſſaria ſemper ſimul vulgaris; at vulgari non ſimul ſubſtitutio fideicommiſſaria ſubintelligitur.

§. 59. Si dubium ſit, vtrum teſtator ſubſtitutionem vulgarem an fideicommiſſariam conſtituerit, vulgaris tantum praeſumitur.

§. 60. Subſtitutio pupillaris (Part. II. Tit. II. Sect. VII.) quidem pro vulgari, ſed vulgaris non pro ſubſtitutione pupillari accipi poteſt.

§. 61. Hereditatem relinquens ius, heredi aut legatario deſtinatum, conditione adiicienda, fine definiendo, aut certo officio imponendo poteſt limitare. De conditione, fine etc.

§. 62. Quae de conditionatis voluntatis declarationibus generatim ſunt praecepta, valent quoque de vltimae voluntatis diſpoſitionibus. (Tit. IV. §. 99. ſqq.)

§. 63. Quidquid ſecundum leges voluntatis declarationi tanquam conditionem validam adiicere non

Source : BIU Cujas

licet, idem, si in vltimae voluntatis dispositionibus heredi aut legatario fuerit impositum, non adiectum habetur. (Tit. IV. §. 6-13. §. 138. seqq.)

§. 64. Conditiones verbis, quorum sensum assequi nemo potest, conceptae, aut generatim quidem reseruatae, at non expresso eo, in quo consistere debeant, impossibilibus aequiparandae.

§. 65. Quibus limitibus hereditatem relinquentis ius, de hereditate disponendi liberum, circumscribatur iuribus eorum, quibus leges decernunt legitimam, suo loco est definitum. (Part. II. Tit. I. Sect. VII. Tit. II. Sect. V. VI.)

V. Forma testamenti aut codicillorum. 1. iudicialium.

§. 66. Testamentum aut codicilli omnes in regula a testatore ipso iudicio debent offerri aut ita condi, vt vltimae voluntatis declaratio protocollo iudiciali consignetur.

§. 67. Quod si vero testator ipse in loco iudicii comparere nequeat, aut nolit, liberum ei est petere a iudice, qui ad conscribendam et accipiendam dispositionem ad eum locum veniat, quo ipse versatur.

§. 68. Quod quidem in regula vel scriptis manu propria a testatore subscriptis, aut a duabus personis, a testatore delegatis, a iudice petendum.

§. 69. Quibus quidem delegatis neque mandato singulari scripto est opus, neque, ad eorum personas quod attinet, qualitates singulares requiruntur.

§. 70. Neque voluntatis vltimae declaratio eo solo redditur inualida, quod in petendis deputatis iudicialibus praeceptum §. 68. non accurate obseruatum est.

§. 71. Quin potius sufficit, si iudici et alio modo aut ex testatoris ipsius ore constat, liberum eum cepisse testamenti aut codicillorum condendorum consilium; simulac modo non potest doceri contrarium.

Quod iudicium testamentum accipere possit aut conscribere.

§. 72. Omne iudicium rite compositum intra iurisdictionis suae fines vltimae voluntatis declarationes conscribendi ius habet, personarum quoque, iurisdictioni eius non subiectarum.

Source : BIU Cujas

§. 73. Si iudex eiusmodi diſpoſitionem in alienae iurisdictionis finibus conſcribit, ea quidem vis et efficaciae nihil eo amittit;

§. 74. Iudex vero, fines iurisdictionis ſuae transgreſſus, loci aut territorii iudici ſportulas exactas tenetur exhibere, atque tantundem fiſco, poenae loco, ſoluere.

§. 75. At ceſſat tamen ſportularum exhibitio et poena, ſi loci aut territorii iudex competens eſt teſtatoris heres ab inteſtato; aut ſi teſtator iudicem competentem in teſtamento vult heredem ſcribere; aut ſi teſtatori cum iudice competente intercedit ſimultas; aut ſi praeter ea ſingulares iudicis competentis ad teſtatorem rationes hunc impediunt, quo minus officio illius vtatur.

§. 76. Et ſi iudex competens rogatus recuſat in teſtatoris domo ad conſcribendum aut accipiendum teſtamentum comparere. (§. 203. 204.)

§. 77. Item, ſi loci, quo teſtator viuit, iurisdictio eſt litigioſa.

§. 78. Et ſi in eodem loco ſunt iurisdictiones plures, licet domus, quam teſtator inhabitat, ſit in harum plurium vna tantum ſita.

§. 79. In genere tum ceſſat, ſi iudex, qui in caſibus, moram recuſantibus, teſtamentum extra iurisdictionis ſuae fines conſcripſit, intra dies octo poſt teſtamentum factum iudicem competentem de eo certiorem facit, atque huic teſtamentum cum iis, quae de eo ſunt acta, aſſeruandum transmittit.

§. 80. In caſibus §. 78 et 79. definitis iudicio competenti reſeruantur iura ſportularum, pro eiusmodi actu exigendarum, in teſtatorem aut heredes.

§. 81. Iudiciis ſuperioribus ius teſtamentorum intra iurisdictionis ſuae fines conſcribendorum competit, licet locus aut domus, vbi teſtator habitat, iurisdictioni cuidam inferiori proxime ſubſit.

Source : BIU Cujas

Quomodo iudicium compositum esse debeat.

§. 82. Iudicium legitime est compositum, si minimum constat ex vna iudicii persona ad iustitiam administrandam adstricta, et iurata altera, protocollum conficiente.

§. 83. At protocollum conficientis vice fungi scabini iurati duo possunt.

§. 84. Vbi sunt constituti scabini perpetui, non nisi hi adhibendi; alii contra, ad solum hunc actum iureiurando adstricti, in casibus, vbi properandum, et summae necessitatis admitti tantum possunt.

§. 85. Actuarius aut scriba iudicialis iudicis fungi persona nunquam potest, ne tum quidem, si iudex vicem suam generatim aut speciatim ipsi demandauerit.

§. 86. Eaedem personae (§. 82. 83.) et requiruntur ad deputationem legitime compositam, quae testamentum aut codicillos testatoris in huius domo, aut loco, vbi habitat, conscribere debet aut accipere.

§. 87. Si testator ipse in iudicii loco comparet die, quo more solito iudicium exercetur; tum personae praesentes, simulac iudicium legitime compositum constituunt (§. 82. 83.) expedire actum valide possunt.

§. 88. Quod si vero actus conficiendus est per deputatos siue in loco iudicii, siue in testatoris domo, siue in loco, quo versatur: iudicii praeses, aut eius vice fungens, membra deputata denominare debet.

§. 89. Hinc singula iudicii membra aut eius inferiores (subalterni) eiusmodi mandato singulari non instructi, ad vltimam voluntatem conscribendam aut accipiendam adhiberi non possunt.

§. 90. Iudicii praeses, si eo excepto, iudicium legitime est compositum, coram iudicio testari valide potest; et valide denominare deputatos ad conscribendum aut accipiendum testamentum suum proprium.

§. 91. Valide quoque testatur is, cui iurisdictio patrimonialis competit, coram iudicio, quod eius no-

Source : BIU Cujas

mine et vice iurisdictionem exercet, aut coram huius iudicii deputatis, ab ipſo denominatis.

§. 92. Ad iudicium militare legitime compoſitum, pacis tempore, praefectus regimento (*Chef*) aut poſt eum primus (*Commandeur*) aut praefectus militaris, ab his denominatus (*commandirt*) cum iudice militum (auditore, *Auditeur*) requiritur.

§. 93. Iudicia pagana ſ. villana, quae ex ſculteto et ſcabinis iuratis duobus conſtant, adhibito ſcriba iudiciali iurato teſtamenta et codicillos valide conſcribunt et accipiunt, ſi in mora periculum ſit, vt iuſtitiarii ordinarii aduentus exſpectari poſſit. De teſtamentis coram iudicio pagano confectis.

§. 94. Scribae iudicialis ordinarii non praeſentis vice in eiusmodi caſu iuſtitiae commiſſarius, aut merus notarius, aut loci parochus poteſt fungi.

§. 95. Eiusmodi tamen teſtamentum aut codicillos iudicia pagana ſine mora exhibere iuſtitiario debent; quem praeuia admonitione, de indicando omni religione rerum geſtarum ordine, rem accurate ex iis oportet quaerere, et protocollum, de quaeſtione confectum, cum diſpoſitione ipſa in iudicio aſſeruandum deponere.

§. 96. Si teſtator eo tempore adhuc ſuperſtes voluntatem declarare valide adhuc poteſt; iuſtitiarium oportet huic protocollum, cum iudicio pagano de rei geſtae ordine confectum, proponere, atque ab eo veritatem rei geſtae ordinis approbandam curare.

§. 97. Quo praecepto §. 96. neglecto ſolo et per ſe non voluntatis vltimae nullitas producitur, ſed id tantum efficitur, vt iudex, qui lata culpa aut leui hoc praeceptum neglexit, reſpondere de ſumtibus teneatur proceſſus inde oriundi. (§. 158. ſqq.

§. 98. Excepto caſu neceſſitatis (§. 93.) teſtamenta et codicilli hominum agrariorum ab eorum iuſtitiario, accipiantur et conſcribantur neceſſe eſt, adhibitis protocollum conficiente iurato aut duobus ſcabinis.

Source : BIU Cujas

§. 99. Quae in antecedentibus de teſtamentis coram iudicio pagano confectis praecepta ſunt (§. 93-98) ea quoque valent de teſtamentis, quae in vrbibus minoribus, vbi vna tantum perſona ad iudicis prouinciam adminiſtrandam eſt conſtituta, hac abſente conſcripta ſunt a magiſtratu, cui politiae cura commiſſa, adhibito Senatus ſecretario, aut perſonarum §. 94. denominatarum aliqua.

De teſtamentis in iudicio oblatis.

§. 100. Cuilibet teſtatori licet, teſtamentum ſuum aut codicillos iudici obſignatos (ſ. obſigillatos) offerre. (§. 66.)

§. 101. At eiusmodi ſcriptum a teſtatore ipſo manu propria ſcriptum, ſaltem ſubſcriptum ſit, neceſſe eſt.

§. 102. An requiſitum hoc neceſſarium ſit obſeruatum, de eo iudicem ex teſtatore expreſſe oportet quaerere.

§. 103. Hoc excepto et eo, quod infra in §. 145. ſeqq. praecipitur, omnibus quaeſtionibus de eo, quod in teſtamento ſcriptum eſt (teſtamenti contentis) iudex abſtineat; quin illi potius teſtatore praeſente inſcriptionem tantum addat; ſigillo, quo teſtamentum extrinſecus eſt obſignatum, ſigillum iudiciale adiungat; de actu ipſo protocollum conficiat omnibus partibus abſolutum, (ſ. perfectum); atque id quidem a teſtatore ſimul ſubſcribendum curet.

De teſtamentis ore tenus ad protocollum declaratis.

§. 104. Si teſtator diſpoſitionem ore tenus offert, (oretenus ad protocollum declarare vult) iudex omnia obſeruet neceſſe eſt, quae ex legibus ordinis proceſſus ad protocollum iudiciale requiruntur.

§. 105. Protocollum teſtatorem etiam ſubſcribere oportet; iudicem vero teſtatore praeſente ſigillo iudiciali illud obſignare, et inſcribere.

§. 106. A teſtatoris voluntate pendet, ſigillo iudiciali ſigillum ſuum proprium adiungere, aut aliud ab ipſo electum.

§. 107. Teſtator, teſtamentum aut codicillos offerens apertos et non obſignatos (ſ. obſigillatos), inter-

Source : BIU Cujas

rogandus, vtrum eiusmodi ſcriptum eſſe tantum debeat fundamentum diſpoſitionis oretenus condendae, an ſit pro teſtamento ſcripto habendum.

§. 108. Si teſtator declarat, eiusmodi ſcripto vim teſtamenti ſcripti eſſe debere, iudici tantum inſpiciendum, an teſtator illud ſubſcripſerit; quod ſi fuerit omiſſum, vt quam primum ſubſcribatur eundem curare oportet.

§. 109. Deinde ſub eo notet neceſſe eſt teſtatoris declarationem, hoc ſcriptum vltimam voluntatem ſuam in ſe continere.

§. 110. Quo facto ſcriptum, teſtatore praeſente, ſigillo iudiciali eſt obſignandum, inſcriptio addenda, et ad conficiendum protocollum de actu ex praeſcriptis §. 103. eſt procedendum.

§. 111. Sin vero teſtator declarat, ſcriptum apertum oblatum delineationem tantum eſſe punctorum, de quibus ore tenus velit diſponere, id ſcriptum conſcripto teſtamento ore tenus condito (poſt ſuſceptam verbalem recognitionem teſtamentariam), poſtea nullius eſt vſus.

§. 112. Teſtamentum et codicilli omnes, in iudicio conſcripti aut oblati, maioris ſecuritatis cauſa, in iudicii depoſito ſunt aſſeruandi, et teſtatori de facta depoſitione recognitionis documentum eſt exhibendum.

§. 113. Caeci, facultate legendi ſcribendique non gaudentes, et perſonae, manibus debiles, aut iis priuatae, ore tenus tantum ad protocollum teſtari poſſunt. Quid intuitu teſtamentorum caecorum et manibus debilium,

§. 114. At iis tamen licet, vltimam voluntatem ſcriptam ſecundum §. 108. apertam tradere, quam iudex teſtatori oportet praelegere, et notare ſimul in protocollo, voluntati vltimae ſcriptae adiungendo et vna cum illa obſignando, ea, quae teſtator in praelegenda voluntate vltima ſcripta declarauit.

§. 115. In quibus caſibus teſtator protocollum de vltimae ſuae voluntatis declaratione aut de eius obla- et ſcribendi imperi-

Source : BIU Cujas

torum sit obseruandum, tione confectum, ex causa quacunque, ipse subscribere nequit, in iis signum, quod manu notauit, duo viri fide digni adhibiti attestari debent.

§. 116. Quae duorum testium praesentia et subscriptio tunc quoque requiritur et sufficit, si testator ne merum quidem signum manu propria addere posset.

§. 117. Testamenti testes, in eiusmodi casibus omnibus adhibendi, in genere debent esse praediti testium instrumenti idoneorum qualitatibus.

§. 118. In primis nullus defectus iis obstet eorum, quorum causa quis ad dicendum testimonium in genere ex legibus ordinis processus est inhabilis.

§. 119. Qui ipse in testamento aut codicillis heres est scriptus, aut legato donatus, in hoc testamento aut his codicillis conficiendis testis adhiberi nequit.

§. 120. Qui in priuatis iudicis negotiis, propter nexum sanguinis propiorem, aut coniunctionem personalem cum eo, ad testimonium pro eo deponendum foret inhabilis; eum iudex in testamento a se conscripto aut accepto testem adhibere nequit.

§. 121. Alia requisita, legibus in teste ad probandum admittendo et habili praescripta, in teste testamentario non sunt necessaria.

§. 122. Neque vllum inde discrimen, vtrum testes a testatore fuerint, an a iudice electi; iam sufficit, eos fuisse praesentes tempore, quo testator signum manu sua appossuit, aut si ne id quidem potuerit, generatim tantum declarauit, sibi protocollum fuisse praelectum, seque in eo contenta approbare.

Item mutorum et surdorum, §. 123. Surdis itemque mutis, quibus in se testandi facultas competit (§. 26.) ea, quae ex iis quaerenda sunt, scripta sunt proponenda, et a testatore, si mutus fuerit, responsiones ad ea rescribendae.

iudicis linguam non callentium. §. 124. Vltimam voluntatem scriptam testator in quauis, quam callet, lingua, potest concipere.

§. 125.

Source : BIU Cujas

§. 125. Quod ſi vero teſtator eiusmodi ſcriptum iudici, cuius linguae eſt expers, offerens voluntatem ſuam ſignificare nequeat, adhibendi ſunt interpretes iurati duo aut teſtes duo, vtriusque linguae periti, iureiurando adſtringendi.

§. 126. Verbis ore prolatis ad protocollum teſtaturi, cuius linguam iudex non intelligit, declaratio in ea, qua vtitur, lingua praeſente iudice ab interpretibus aut teſtibus iuratis duobus eſt excipienda, et ab his in linguam, iudici cognitam, vertenda.

§. 127. Quae in vtraque lingua ſcripta ſunt, deinde obſignanda et aſſeruanda.

§. 128. Vltima teſtatoris voluntas in eius lingua conſcripta, et ab eo ſubſcripta, legitimam vim et efficaciam habet, licet teſtator verſione nondum perfecta moriatur.

§. 129. Si perſonarum iudicialium duarum, ad conſignandum aut accipiendum teſtamentum requiſitarum, altera teſtatoris linguam intelligit, negotio iam ſufficit interpres aut teſtis adhibitus vnus.

§. 130. Interpretes hic intelliguntur, qui in iudicio quopiam aut alio inſtituto publico ad vertendum ex alia lingua in aliam ſolemniter ſunt conſtituti et iureiurando adſtricti; quos igitur in caſibus ſingulis iureiurando obſtringere neceſſe non eſt.

§. 131. Interpretibus aut teſtibus, qui in teſtamento teſtatoris, iudicis linguae ignari, adhibentur, non deſint teſtium teſtamentariorum habilium requiſita §. 117—120. definita.

§. 132. Ad actus validitatem nihil facit, an ante actum aut poſt eum iureiurando fuerint adſtricti.

§. 133. In teſtamento, quod ſcriptum et obſignatum eſt oblatum, in iudicem, vt in alium quemque, qui acceptionis actui intereſt, hereditates et legata valide transferri poſſunt ſine vlla forma ſingulari, non neceſſaria. In teſtamentis, quibus iudici quid relinquitur

Source : BIU Cujas

§. 134. Quod si vero in testamento nuncupatiuo iudex ipse heres debet institui; actui testandi se non immiscear, sed testatorem ad iudicium aliud quodlibet ableget, necesse est.

§. 135. Si personarum reliquarum, quae actui ex muneris officio interfunt, aliqua tantum heres debet institui, iudex eam statim remoueat, atque in eius locum secundum praecepta in §. 83. 84. antecedentibus exposita alios substituat.

§. 136. Si in eiusmodi testamento nuncupatiuo iudici aut reliquorum, qui testandi actui interfunt, alicui legatum tantum debet scribi, testatorem manu propria testari oportet vel in subscriptione, vel in loci huius margine, id sibi esse re vera propositum.

§. 137. Si testator ipse scribere nescit, ea annotatio a testibus iuratis duobus ipsorum manu propria adscribenda.

§. 138. Quibus praeceptis (§. 136. 137.) neglectis, non quidem testamentum vniuersum, at vero legatum est nullum.

Effectus formae legitimae neglectae.

§. 139. Testamenti forma in antecedentibus §phis 66 - 138. definita, nisi vni aut alteri praecepto exceptio simul fuerit adiecta, ad testamenti aut codicillorum iudicialium validitatem est tam necessaria, vt ea neglecta voluntas vltima subsistere nequeat.

§. 140. Iudex, in forma testamentorum legali neglecta culpae latae aut leuis reus, illi, cui in testamento aut codicillis hereditatis portio siue legatum erat scriptum, tenetur de damno ex culpa sua oriundo.

Qua ratione iudex futuris litibus obueniat.

§. 141. At vero etiam praeterea iudex omni cura et diligentia prouideat, vt, quantum fieri potest, euitentur lites de voluntatis vltimae declarationibus.

§. 142. Si persona, ad consignandam aut deponendam vltimam suam voluntatem comparens iudici non satis nota sit, hic ante omnia det operam, vt de eo fiat certior, testatorem re vera esse eum, quem se profitetur.

Source : BIU Cujas

§. 143. Quod factum eſſe, et quomodo factum ſit, diligenter notandum in protocollo, vti circumſtantiae reliquae omnes ad rem pertinentes.

§. 144. Si iudex de teſtatoris qualitate edita, certior fieri nequit, ſufficit, ſi in protocollo id notetur, et quem teſtator ſe fuerit profeſſus, et ſi rationes accurate exponantur, quas attulit ad ſui legitimationem.

§. 145. Praeter ea iudex quaeſtionibus idoneis percontetur, an teſtator iis mentis viribus gaudeat, vt voluntatem valide declarare poſſit.

§. 146. Et qualem deprehenderit in protocollo notandum.

§. 147. Iudici, cui non eſt ignotum, teſtatorem interdum a mente deferi (§. 20.) omnino certum ſit, teſtatorem eo temporis momento, quo teſtamentum conſcribendum curat, aut offert, mentis re vera eſſe compotem.

§. 148. Quod ſi ipſi videatur dubium, rei peritum adhibeat.

§. 149. Periculum ſi eſt in mora, iudicem actum quidem oportet expedire, at ſimul ſumma cura et diligentia in protocollo annotare circumſtantias omnes, quibus de teſtatoris facultate voluntatem valide declarandi venerit in dubium.

§. 150. Si teſtamenti conſignandi aut accipiendi actus ob caſus interuenientes ſit interrumpendus, et tempore alio continuandus; iudicem in protocollo annotare oportet interrumpendi cauſam et tempus, quo abruptus, quo continuatus, quo abſolutus.

§. 151. Iudex quoque ad id attendat ex officio, an et quatenus teſtatori de bonis ſuis vltima voluntate diſponendi ius ſit, aut quid teſtator in hoc vel illo caſu obſeruare debeat.

§. 152. Quod ad perſonas, annum decimum octauum nondum egreſſas, et eas, de quibus metuendum eſt, ne ſenectute, morbo, aut inſtitutionis et educationis defectu mentis viribus ſint debiles, in primis

Source : BIU Cujas

iudex det operam, vt quaeſtionibus idoneis, quantum fieri poteſt, certus fiat, eas non dolo et perſuaſionibus ad diſponendum fuiſſe inductas.

§. 153. Quod ad teſtamenta nuncupatiua, iudex det operam, vt ſedulo percontando et ſaepius admonendo caueat ambiguitates omnes, in heredibus inſtituendis eorumque ſubſtitutione, in definienda hereditatis portione, cuique heredum aſſignata, in conditionibus, a teſtatore conſtitutis; et omnia, quae praeter ea dubitandi cauſam dare poſſent.

§. 154. Plane autem abſtineat ab interrogationibus, merae curioſitatis cauſa factis, et multo magis iis, quibus quis ad neceſſarios heredes, quibus legitima debetur, non pertinens teſtatori commendatur, in teſtamento aut codicillo honorandus.

§. 155. In protocolli ſententiis (ſ. contentis) praecipuis iudex, a corrigendo et radendo abſtineat; et quae addenda aut emendanda ſunt, in protocolli fine, aut in annotatione (regiſtratura) ad marginem ſcribenda, notet; et eiusmodi regiſtraturam a teſtatore aut teſtibus ſeorſum ſubſcribendam, curet.

§. 156. In locis eſſentialibus iudicem ſcribendi compendiis abſtinere oportet, ſummas etiam nominatas literis exprimere.

§. 157. Quod ad teſtamenta ſcripta obſignata oblata attinet, in protocollo, de acceptione (ſ. ſuſceptione) confecto, iudex notare debet, quot ſigillis teſtamentum obſignatum, et quomodo inſcriptum ſit.

§. 158. Iudex, qui haec praecepta negligendo (§. 142-157.) litium alias non oriundarum cauſa fuit, harum ſumtus ex propriis ferre tenetur.

§. 159. Eiusmodi praeceptorum negleſtionem, vti chartae ſignatae vſum omiſſum, ſequuntur quidem poenae legibus conſtitutae; at teſtamenti vel codicillorum nullitas inde non exoritur.

§. 160. Caeterum iudex quod ad conſignandi aut accipiendi actum attinet, et in primis ad ea, quae

Source : BIU Cujas

ipſi iſta occaſione de diſpoſitionis contentis innotuerunt, officii iuramento obſtrictus ſe teneat religioſe in ſilentio.

§. 161. Legata, quae probabiliter aut affirmante hereditatem relinquente viceſimam hereditatis partem non excedunt, conferri poſſunt codicillis manu propria ſcriptis et ſubſcriptis, licet iudici non oblatis. 2. De diſpoſitionibus extraiudicialibus.

§. 162. At vero ad eiusmodi diſpoſitionis validitatem requiritur, vt ſit adſcriptus annus diesque, quibus facta.

§. 163. Si hereditatem relinquens in teſtamento iudiciali expreſſe declarauit, ſcriptis, quae in hereditate inueniantur, vim eſſe nullam, haec declaratio, quam teſtamentum iudiciale continet, valet, licet fuerit reuocata in codicillis extraiudicialibus.

§. 164. Heres afferens, legata in codicillis extraiudicialibus ſcripta viceſimam hereditatis partem excedere, per plenam totius hereditatis deſignationem docere tenetur, quae afferit.

§. 165. Quo facto eiusmodi legata extraiudicialia, ad vnum omnia, eatenus tantum valent, quatenus viceſimam hereditatis partem non excedunt.

§. 166. Ad iſtam igitur proportionem legatum ſingulum quoduis deminuendum.

§. 167. Et ſi eiusmodi codicilli extraiudiciales plures adſunt, in definiendo, quatenus ſubſiſtant, legata in iis ſcripta ad vnum omnia computantur.

§. 168. Legata contra in teſtamento iudiciali ſcripta hic non computantur.

§. 169. Atque etiam in eiusmodi ſcriptis extraiudicialibus valide conſignantur diſpoſitiones ad funus, ad tutores vel curatores liberorum conſtituendos, et ad alia, quae bona non afficiunt, puncta pertinentes.

§. 170. Quatenus hereditatem relinquens inter legitimos ſuos lineae deſcendentis heredes modum et

Source : BIU Cujas

principia familiae erciscundae (diuidendae hereditatis) in ſchedis extraiudicialibus poſſit definire, ſuo loco eſt ſancitum. (Part. II. Tit. II. Sect, V.)

§. 171. In aliis caſibus eiusmodi familiae erciscundae (diuidendae hereditatis) praecepta, in ſchedis extraiudicialibus ſcripta, tunc tantum valent, ſi teſtator in teſtamento ſuo expreſſe ſibi ea reſeruauit.

§. 172. Legata, quorum praeſtationem hereditatem relinquens heredi praeſenti ore tenus mandauit, ſi probari mandatum poteſt, heredem obligant, vſque ad partem viceſimam hereditatis portionis ad ipſum venientis.

§. 173. Quod ſi plurium coheredum vni tantum eiusmodi mandatum, ſed ita fuerit iniunctum, vt legatum ex tota hereditate praeſtandum ſit, inde et coheredes reliqui non praeſentes, eatenus obligantur, quatenus legatum viceſimam hereditatis omnis partem non excedit.

§. 174. At contra mandatum heredi praeſenti datum de re legata certa, in teſtamento coheredi abſenti ſcripta, (deſtinata) hunc coheredem obligandi vim non habet.

3. De teſtamentis priuilegiatis

a) de iis, quae principi ſunt oblata,

§. 175. Vltimae voluntatis diſpoſitio, quam princeps ſ. imperans ipſe ex teſtatoris manibus accepit, valet, ſimulac teſtimonio fide digno confirmatum eſt, eam a teſtatore ipſo principi fuiſſe oblatam.

§. 176. Quod ad perſonas attinet, ad principis (ſ. imperantis) familiam pertinentes, ſufficit, ſi earum diſpoſitio familiae principi (ſ. capiti) ab iis, vel per literas tantum, oblata, ſummi principis tabulario, quo ſanctiora ſeruantur, (*Cabinets-Archiv*) aut iudicio cuidam ad aſſeruandum fuerit exhibita.

b) de teſtamentis militaribus.

§. 177. In teſtamento militari tempore belli facto ſolennia in antecedentibus expoſita ſunt remiſſa.

§. 178. Quod tamen priuilegium, quod ad milites terreſtres, ab eo tantum tempore locum habet, quo ſtationibus egreſſi in bellum ſunt profecti, aut in

Source : BIU Cujas

ſuis ſtationibus ab hoſte circumſidentur; quod ad maritimos, ab eo tempore, quo nauem aſcenderunt.

§. 179. At contra hoc priuilegium vſque ad belli finem durat, neque interrumpitur, ſi ad oppida munita, quibus in praeſidium dati, aut ſi ad ſtationes hibernas ſunt profecti, aut ſi induciae factae.

§. 180. Hoc priuilegio gaudent omnes, quibus exercitum comitari eſt neceſſe, licet militiam non exerceant.

§. 181. Eodem quoque fruuntur, qui voluntarie, imperio ſubſunt eius, qui exercitui praeeſt. (*Freywillige.*)

§. 182. Neque minus conceditur hoc priuilegium bello captis et iis, quos hoſtis obſides (vadimonii cauſa) abduxit.

§. 183. Ad teſtamenti ſcripti validitatem iam ſufficit, ſi a teſtatore manu propria ſcriptum et ſubſcriptum, in caſtrenſi eius hereditate (in bonis eius caſtrenſibus derelictis) eſt inuentum.

§. 184. Ad formam externam, in qua eiusmodi ſcriptum conceptum eſt, plane non attenditur; ſed iam ſufficit, ſi exinde ſatis poteſt perſpici teſtatoris voluntas, qua ratione poſt mortem eius bona transferenda ſint.

§. 185. Si teſtator ſcriptum tantum ſubſcripſit, vnius teſtis ſubſcriptio iam ſufficit, ſimulac teſtamentum in caſtris, in hoſtium conſpectu poſitis, aut in arcibus ab hoſtibus obſeſſis, fuerit conditum.

§. 186. At hic teſtis qualitate teſtis teſtamentarii fide digni praeditus ſit; et ſufficit, ſi ſubſcriptionem ſuam agnoſcit, et iureiurando affirmat a teſtatore ipſo oblatum ſibi fuiſſe ſcriptum ſubſcribendum. (§. 117. 118. 119.)

§. 187. Si teſtis non ſit ſuperſtes, aut ſubſcriptionem agnoſcendi facultatem non amplius habeat, veram eſſe et teſtis et teſtatoris ſubſcriptionem heredum legitimorum agnitione, aut alio modo eſt eruendum.

Source : BIU Cujas

§. 188. Praesentis belli periculi casu excepto (§. 185.) scriptum a testatore mere subscriptum ab hoc praefecto cuidam militari, cui est subiectus, aut iudici militari (auditori) testibus duobus praesentibus est offerendum.

§. 189. Quem in testamento tempus, quo oblatio facta, oportet notare, et quae sunt annotata, a testibus simul subscribenda curare.

§. 190. Testamentum ita inscriptum a praefecto militari aut auditore est asseruandum, donec offeratur occasio, exhibendi illud custodiendum iudicio militari rite composito, aut iudicio alii.

§. 191. Testamenti vero validitati non obest, si vel post testatoris mortem demum exhibeatur.

§. 192. Militis dispositiones ore s. nuncupatiue factae valent, si fuerint declaratae inter praelium, oppugnationem aut aliam pugnam, aut immediate ante ea pericula coram testibus duobus fide dignis, (§. 117-119.) qui contenta earum iuramento firmare possunt.

§. 193. At eiusmodi tamen testamenta mere nuncupatiua eatenus tantum valent, quatenus testator in praelio, oppugnatione, vel pugna eadem aut cecidit, aut vulnere accepto nondum curato vitam amisit.

§. 194. Quibus casibus exceptis (§. 192. 193.) testamentum militare vel codicilli nuncupatiui tum demum valent, si coram praefecto militari, cui testator subiectus, aut coram auditore praesentibus testibus duobus sunt conditi, et de iis annotatio literis est consignata, et haec quidem a praefecto militari aut auditore et testibus subscripta.

§. 195. De eiusmodi annotatione idem valet, quod de testamento militari scripto in casu §. 188-191. est praeceptum.

§. 196. Testamentum militare validum, (excepto casu in §phis 192. 193. adducto) bello etiam finito

Source : BIU Cujas

vim habet, ſed per annum tantum vnum, poſt pacem compoſitam.

§. 197. Perfugarum teſtamenta militaria hoc crimine commiſſo vim amittunt, quae neque reſtituitur accepta venia.

§. 198. Militum more teſtandi priuilegium extenditur quoque ad ordinis ciuici perſonas, quatenus his propter morbos contagioſos aut belli periculum non eſt iudicis copia. c) de teſtamentis priuilegiatis aliis.

§. 199. Quod quidem priuilegium ab eo tempore initium capit, quo ſiue ob morbos contagioſos graſſantes loci aut regionis orae ſunt clauſae, ſiue ob belli ſaeuientis periculum eſt iuſtitium, ſ. iurisdictionis intermiſſio.

§. 200. Iudicis aut praefecti militaris vice in hoc caſu fungi poteſt perſona iudicialis vna, licet non deputata, item parochus, diaconus (ſ. capellanus) aut medicus loci, quo teſtator verſatur, aut iuſtitiae commiſſarius, aut notarius.

§. 201. Eiusmodi teſtamenta per annum valent, poſt locos clauſos ceſſante periculo recluſos, et reſtitutam negotiorum iudiciariorum conſuetudinem.

§. 202. Excepto caſu, quo ob morbum contagioſum graſſantem loci aut regionis oras claudi reipublicae viſum eſt neceſſarium, ſolemnia formae legitima neglecta excuſari eo non poſſunt, quod teſtator ipſe eiusmodi morbo laborauerit.

§. 203. At contra iudicia in regula ſubtrahere ſe non poſſunt officio, vltimas voluntatis diſpoſitiones eiusmodi aegrotorum in eorum aedibus conſcribendi aut accipiendi, adhibitis ſibi proſpiciendi mediis neceſſariis.

§. 204. Iudex tamen, cui ex actu ſuſcipiendo, praeſens et manifeſtum vitae periculum imminet, ad ſubeundum hoc periculum cogi nequit. (§. 76.)

§. 205. Qui naui vehens in mari verſatur, teſtamentum ſuum militum more condere poteſt.

Source : BIU Cujas

§. 206. Et in hoc quidem actu naui praefectus vice fungitur praefectus militaris.

§. 207. Eiusmodi autem teſtamentum tantum valet, ſi teſtator re vera in mari, naui in portum nondum inuecta, aut ea inuecta poſt tempus tam breue moritur, vt coram iudicio rite compoſito diſpoſitionem repetere, aut approbare non potuerit.

VI. Publicatio teſtamentorum et codicillorum.

§. 208. Teſtamentum aut codicilli, antequam teſtator mortuus, ne publicentur.

§. 209. Publicatione ſola errore aut culpa iuſto maturius facta, vltima quidem voluntatis diſpoſitio vim nondum amittit;

§. 210. Iudicem vero eiusmodi lapſum, ſimulac eum animaduertit, ex officio oportet teſtatori indicare, atque eius iudicio relinquere, quae agenda ſint.

§. 211. Si teſtator aliam diſpoſitionem eſſe condendam putat; iudex, qui lata culpa aut leui publicationis iuſto maturioris cauſa fuit, ferre tenetur huius diſpoſitionis alius ſumtus, ſaluo regreſſu ad illum, qui eum in errorem induxit.

§. 212. Si teſtatoris mors non omnibus nota et peruulgata, ille, qui publicationem petit, aut alias hereditatis poſſeſſionem poſtulat, teſtatoris mortem probando docere debet. (Tit. I. §. 34. ſeqq.)

§. 213. Sin hereditatem relinquentem eſſe mortuum innotuit, aut probatum eſt, petere publicationem poſſunt eius conſanguinei, aut is, qui alias intereſſe rei probabile poteſt afferre.

§. 214. Quod autem ius inprimis iis competit, qui documentum factae depoſitionis iudicialis poſſident. (§. 112.)

§. 215. Quod documentum, ſi in mortui ſcripturis non fuerit inuentum, ex iudicis arbitrio ſine mora vlla poteſt pro extincto declarari, et publicatio inſtitui.

§. 216. Si intra hebdomadas ſex, poſt teſtatoris mortem notam ac peruulgatam teſtamenti aut codi-

Source : BIU Cujas

cillorum aperturam nemo petierit, iudici ex officio ad publicationem progrediendum.

§. 217. Hinc heredes legitimi, illo termino praeterlapſo, publicationem contradicendo impedire non poſſunt.

§. 218. Si a teſtamenti depoſitione facta quinquaginta et ſex anni praeterierunt, et ſi intra hoc tempus neque publicatio ab vllo eſt petita, neque iudici de teſtatoris vita et morte certi quid alio modo innotuit; iudicem oportet teſtamenti exiſtentiam promulgare, ſemel eam publicis prouinciae nouellis inſerendo, et citare, quorum intereſt, ad petendam publicationem.

§. 219. Si intra ſex menſes nemo comparet, qui ius, publicationem exigendi, docere poſſit, iudex teſtamentum aperire debet et inſpicere, an legata ad pias cauſas in iis ſcripta inueniantur.

§. 220. Eiusmodi legatis relictis, iudex praepoſitos piae cauſae, (piae fundationis) cui legatum ſcriptum, de eo debet certiores facere, eorumque iudicio relinquere, vt teſtatoris vitam et mortem diligentius percontentur, et pro rebus circumſtantibus publicationem ſolemnem petant.

§. 221. Qui ſi certiores ſunt redditi, vti et in eo caſu, ſi eiusmodi legata non ſunt relicta, iudicis eſt, protocollum, de toto actu aperturae confectum, teſtamento adiunctum, ſigillo iudiciali obſignatum, in tabulario (*Archiv*) vlterius cuſtodire.

§. 222. De reliquis, quae eiusmodi teſtamento non ſolemniter publicato inſunt, iudex officii iuramento obſtrictus altum ſeruet ſilentium.

§. 223. Ad teſtamenti publicationem omnem, ſiue ex officio fiat, ſiue eo petente, cuius intereſt, iudex ſimul citet heredes ab inteſtato ipſi notos, in loco degentes.

§. 224. Heredibus ab inteſtato, ſi iudici ſint ignoti, aut ſi in eo loco non degant praeſentes, ad

Source : BIU Cujas

publicationis actum mandatarius ex officio est constituendus.

§. 225. Ante testamenti aperturam sigilla, vti post aperturam factam testatoris subscriptio iis, quorum interest, comparentibus, aut eorum mandatario sunt ostendenda, et, qua ratione id factum sit, in publicationis protocollo annotandum.

§. 226. Authenticum exemplar (s. originale) testamenti aut codicillorum apertorum in regula in iudicio custoditur. (§. 237.)

§. 227. Cuique, qui interesse fundatum potest docere, ius competit petendi testamenti exemplaria descripta, (copias) fide publica munita.

§. 228. Heredes quoque legitimi, in testamento in totum aut ex parte neglecti, possunt petere, vt ipsis exemplar originale, iudice praesente, inspiciendum praebeatur.

§. 229. Si lite de testamento exorta iudex instruens exemplaris originalis inspectionem ad expediendas res facti litigiosas necessariam existimet; ne testatoris quidem interdictum impedire potest, quo minus illud praesidi iudicii aut deputato, cui litis instructio est commissa, inspiciendum exhibeatur.

§. 230. Omnes, quibus in testamento aut codicillis ius hereditarium aut legatum est relictum, hereditatis fumtibus de eo certiores facere iudicem ex officio oportet, nisi iam in publicatione comparuerint.

§. 231. Absentes curfu publico, et illi, quorum domicilium ignotum est, promulgatione nouellis prouinciae publicis semel inferenda certiores sunt de eo reddendi.

§. 232. Si particeps, de eo edocendus, sub tutela sit aut cura, insinuanda res est iudicio de rebus tutelaribus.

§. 233. Loco insinuationis, a iudice secundum §. 230 - 232. ex officio instituendae, huic quoque

Source : BIU Cujas

licet, hereditatem participantibus abſentibus aut iis, quorum domicilium eſt ignotum; mandatarium ex officio conſtituere, qui percontando comperire ſtudeat neceſſaria, et inſinuationem curet.

§. 234. Qui mandatarius intra ſex hebdomadas poſt mandatum acceptum iudici indicare debet, qua ratione mandato ſatisfecerit.

§. 235. Iudici licet, promulgationem (inſinuationem) heredis inſtituti etiam iudicio relinquere.

§. 236. Quo tamen in caſu ex officio attendat, vt heres intra hebdomadas ſex ad acta demonſtret, ſe mandato ſuſcepto ſatisfeciſſe, et qua ratione id factum ſit.

§. 237. In caſibus omnibus, vbi iudex, apud quem teſtamentum eſt depoſitum et publicatum, non eſt hereditatem relinquentis iudex competens, hic iudici competenti ſtatim poſt publicationem factam ex officio tenetur transmittere exemplar originale vna cum publicationis protocollo, aſſeruatis eorum exemplaribus deſcriptis ſide publica munitis.

§. 238. Qui iudex competens deinde, de indicio vlteriori, participantibus faciendo, ſecundum praecepta §. 230-236. curat, quae ſunt neceſſaria.

§. 239. Teſtamenti omnis, in quo eccleſiae aut cauſae piae alii hereditas aut legatum ſcriptum eſt, iudices inferiores teſtamentum publicantes, exemplar deſcriptum collegio iuſtitiae prouinciali ſuperiori exhibere tenentur.

§. 240. Teſtamenta militaria ab iis, quibus ſunt concredita, aut ad quorum manus poſt hereditatem relinquentis mortem peruenerunt, iudiciis militaribus ſtatim exhibenda; quae quidem ea, vna cum iis, quae hac occaſione de actis in condendo teſtamento iis innotuerunt, iudiciis ciuicis ad publicandum et vlterius diſponendum transmittunt.

§. 241. Teſtamenta priuilegiata alia, et aliae diſpoſitiones extraiudiciales, ab eo, qui eas detinet,

Source : BIU Cujas

ſtatim poſt teſtatoris mortem, iudicio teſtatoris competenti ad publicandum ſunt exhibendae.

VII. Effectus teſtamentorum et codicillorum legitime conditorum et publicatorum. A) intuitu heredis inſtitutionis. Hereditatis poſſeſſio.

§. 242. Heres ex teſtamento valido inſtitutus ius acquirit, facta teſtamenti publicatione hereditatem adeundi, eiusque poſſeſſionem apprehendendi. (Tit. IX. §. 367. ſeqq.)

§. 243. Qui ex fundamento iuris hereditarii, ſiue ex teſtamento, ſiue ſucceſſione legali, poſſeſſionem hereditatis bona fide acquiſiuit; in eius poſſeſſione tuendus eſt, vſque donec tituli poſſeſſionis inhabilitas, et melius ius eius ſunt cognitae, qui hereditatem ſibi aſſerit. (*Erbſchafts-Prätendent.*)

§. 244. Si nemo adhuc eſt in hereditatis poſſeſſione, iudex heredi, in teſtamento ſolemni (ſ. formali) iudiciali inſtituto, concedere poſſeſſionem debet, licet de iure eius hereditario adhuc diſceptetur, vſque ad litem deciſam.

§. 245. Si plura eiusmodi teſtamenta apparent, heres in poſteriori teſtamento ſcriptus hereditatis poſſeſſionem in primis poteſt petere.

§. 246. Iudex, qui cognoſcit, eius, qui controuerſiam de heredis inſtituti iure mouit, petitionem quodam modo eſſe firmatam, hereditatis inuentarium partis ſuccumbentis ſumtibus conficiendum poteſt decernere, antequam heredi ſcripto tradatur hereditas.

§. 247. Vt alio modo ſecuritati proſpiciatur, hereditatem ſibi afferens iisdem tantum circumſtantiis poteſt petere, quibus arreſti impoſitio ſecundum praeſcripta ordinis iudiciarii admittitur.

§. 248. Res ſingulas aut complexus rerum ex hereditate petenti hereditatis poſſeſſor obligatus eſt.

§. 249. Heredi in teſtamento militari aut priuilegiato alio inſtituto eadem iura in regula competunt, quod ad hereditatis poſſeſſionis apprehenſionem attinet. (§. 242. ſeqq.)

Source : BIU Cujas

§. 250. At vero, quoad veritas actus et ſubſcriptionis teſtatoris aut reliquorum, qui teſtandi actui interfuerunt, nondum agnita aut probata eſt, et quoad in caſu §. 192. teſtes teſtimonium nondum iureiurando affirmarunt, eo vſque heres in eiusmodi teſtamento nominatus hereditatis poſſeſſionem petere nequit.

§. 251. Quin potius in regula eiusmodi hereditas iudicialiter cuſtodienda et adminiſtranda, donec certum eſt, an teſtamentum priuilegiatum re vera adſit.

§. 252. At iudex tamen, ſi teſtamenti priuilegiati veritas quodam modo fuerit firmata, hereditatem poteſt heredi inſtituto exhibere, modo ſecuritati ſufficienter cautum ſit.

§. 253. At in vtroque caſu (§. 251. 252.) hereditatis inuentarium iudiciale conficiendum.

Exheredatio heredum legitimorum.

§. 254. Si quis vni aut pluribus hereditatem ſuam ita aſſignauit, vt eius animus, totum complexum ad eos ſolos transferendi, exinde appareat; heredes legitimi prorſus exheredati habendi.

§. 255. Quod ſi igitur in exequenda diſpoſitione, qua diuiſio inter heredes ſcriptos eſt conſtituta, appareat, rem aut partem vnam vel aliam, ad hereditatem pertinentem, in teſtamento ſilentio eſſe praetermiſſam, non tamen eam poſſunt petere heredes ab inteſtato. (neceſſarii §. 264. ſeqq.)

§. 256. At ſi hereditatem relinquens non de ipſo iure hereditario, ſed expreſſe tantum de hereditatis rebus, ſummis, aut partibus certis diſpoſuit; ius hereditarium ad heredes neceſſarios tranſit, iisque cedit, quidquid ad hereditatem pertinet, quatenus de eo non eſt diſpoſitum.

§. 257. In quo quidem nihil mutatur, licet teſtator eos, quibus certas eiusmodi partes, res aut ſummas confert, heredes appellauerit.

Source : BIU Cujas

§. 258. Quin potius hi, ratione heredis ab inteſtato, vt legatarii tantum conſiderandi.

§. 259. Si quis heres tantum a certo tempore, aut ad certum tempus eſt inſtitutus, eiusmodi diſpoſitio habetur pro ſubſtitutione fideicommiſſaria. (§. 53.)

§. 260. In caſu priori heres teſtamentarius, vti in poſteriori heres neceſſarius pro herede ſubſtituto habendus.

Iura coheredum conſtitutorum.

§. 261. Heredes plures, ſine determinatione propiori ſcripti, hereditatis acquirunt partes aequales.

§. 262. Si coheredum vni res certa aut ſumma eſt praelegata, eius reſpectu legatarius habetur.

§. 263. Eodem modo et is, cui certa tantum res aut ſumma in teſtamento pro hereditatis portione expreſſe eſt aſſignata, ratione heredum reliquorum merus habetur legatarius.

§. 264. Si teſtator diuiſione inter heredes ſcriptos conſtituta hereditatis aſſem non exhauſit, reſiduum cedit coheredibus ſcriptis omnibus.

§. 265. Qui quidem heredes plures, ſi iis certas tantum partes aut quotas ad aſſem relatas (ſ. ad computum erga totum) aſſignauit, eius, quod accreſcit, partem acquirunt pro hereditatis portionum rata.

§. 266. Si vero hereditatem relinquens, hereditatis quotis non expreſſis, hereditatem omnem (ſ. omnia bona derelicta) excepto eiusmodi reſiduo, pluribus heredibus aſſignauit, his in reliquum, ſ. reſiduum competunt iura aequalia.

§. 267. Heredes, qui meri legatarii habendi, (§. 263.) eiusmodi rei accreſcentis non ſunt participes.

§. 268. Si teſtator heredum inſtitutorum plurium vni aut nonnullis hereditatis portiones expreſſe aſſignauit, aliis eiusmodi hereditatis portione nulla definita; poſteriores accipiunt reſiduum, et quidem, ſi ſint plures, eius portiones aequales.

§. 269. Si teſtator hereditatis quotis definitis maſſam ita exhauſerit, vt ei aut iis, quorum portio non

eſt

Source : BIU Cujas

definita, nihil amplius ſuperſit, huic aut his coheredes reliqui ex portione ſua pro ratis eorum dare tantum oportet, quantum requiritur, ad eos aequandos illi, cui in teſtamento minima ſcripta eſt portio.

§. 270. Heredes reliquos, ſi eorum hereditatis quotae æquales ſint, ei, cuius pars non eſt determinata, tantum ex portione ſua dare oportet, vt, quantum eorum quisque, tantundem et hic accipiat.

§. 271. Praelegatorum, (§. 262.) vni alteriue reliquorum coheredum ſcriptorum, in exaequando non habetur ratio.

§. 272. Si heredi, cuius portio in caſu §. 269. non erat determinata, legitima competit, haec ei præſtanda integra, nulla ratione habita, an haec legitima maior aut minor ſit portione coheredis eius, cui portio omnium minima ſcripta.

§. 273. Si in caſu §phi 269. heredi, ſine determinatione propiori inſtituto, hereditatis res quaedam aut ſumma fuerit praelegata; is nihilominus portionem ſuam ex iisdem principiis accipit, praelegato non computato.

§. 274. Caeterum praecepta §. 269 — 273. locum habent, licet teſtator eiusmodi heredi expreſſe reſiduum tantum aſſignauerit, aut expreſſe interdixerit, ne de reliquorum coheredum portionibus quid detrahatur.

§. 275. Si vero teſtator nonnullis, quibus certae quotae non ſunt ſcriptae, heredibus tot res ſingulares aut ſummas aſſignauerit, vt iis hereditas omnis exhauriatur, et coheredibus reliquis nihil ſuperſit; hi poſteriores ab eorum coheredibus, rebus ſingulis aut ſummis ornatis, nihil, quod inde dent, poſſunt petere.

§. 276. Quin potius in eo caſu eadem locum habent, quae praecepta ſunt, ſi hereditas legatis fuerit exhauſta.

Source : BIU Cujas

Effectus repudiationis hereditatis omnium heredum teſtamentariorum.

§. 277. Si heres vnus tantum eſt ſcriptus, qui heres eſſe non poteſt, aut non vult; deficiente ſubſtituto, hereditas omnis ad heredes ab inteſtato deuoluitur.

§. 278. Quod idem ſit, ſi plures quidem heredes ſunt inſtituti, iſti autem ad vnum omnes hereditatem adire aut nequeunt, aut nolunt, et nullus eſt ſubſtitutus eum in caſum denominatus.

§. 279. In vtroque caſu (§ 277. 278.) heredes ab inteſtato in heredum ſcriptorum locum tantum ſuccedunt, adeoque eos non minus, quam illos, teſtatoris voluntati de legatis et aliis oportet ſatisfacere.

§. 280. Si vero hereditatem relinquentis diſpoſitio ad factum ſpectat, ad heredis inſtituti perſonam ſolam relatum, heres legitimus in eius locum ſuccedens neque ad perficiendum factum neque ad compenſationem pro eo praeſtandam poteſt cogi.

Ius accreſcendi.

§. 281. Si contra ex coheredibus inſtitutis pluribus vnus aut alter heres eſſe non poſſit, aut nolit, portio vacans, deficiente ſubſtituto, heredibus reliquis accreſcit.

§. 282. Quae portio accreſcens ſecundum eandem proportionem diuiditur, qua hereditatis aſſis, vi teſtamenti aut legum, inter coheredes eſt diuidendus. (§. 261. ſeqq.)

§. 283. Heredes, pro legatariis tantum habendi, iuris accreſcendi ſ. eiusmodi accretorum non ſunt participes. (§. 256. 257. 258. 262. 263.)

§. 284. Res atque iura, heredibus pluribus coniunctim in partes eorum hereditatis haud diuiſe aſſignatae, cedunt, ſi horum vnus deceſſerit, reliquis tantum coniunctis, excluſis heredibus aliis.

§. 285. Si teſtator ius accreſcendi expreſſe prohibuit, portio vacans ſemper ad heredes ab inteſtato redit.

§. 286. Cui leges eiusmodi accrementum aſſignant, repudiare illud nequit, ſi portionem ſuam conſeruare velit.

Source : BIU Cujas

§. 287. At iis, quibus ex eiusmodi accremento legata ſunt relicta, vltra delatae portionis vires ad ſatisfaciendum non tenetur.

§. 288. Rerum et iurium in teſtamento legatorum dominium in regula a die mortis hereditatem relinquentis ad legatarium tranſit (§. 377. ſeqq.) B. Intuitu legatorum generatim.

§. 289. Legata, pecunia parata determinanda, heredes omnes in ſolidum praeſtare tenentur, niſi teſtator legati praeſtationem vni tantum eorum expreſſe iniunxerit.

§. 290. Quod ad eiusmodi pecuniae paratae legata, legatarius ius habet, ex tota hereditate, quae debitis deductis ſupereſt, ſecuritatis cautionem in hereditate petere, vel ſine ſpeciali heredis conſenſu; vti et ius praelationis in heredis ipſius bonis, in ordinatione concurſus propius definitum.

§. 291. Eadem iura ei, cui res ſingulares determinatae ſunt legatae, competunt intuitu earum pretii, quatenus hoc pretium ab heredibus praeſtandum.

§. 292. Si heredes, legatorum communiter iis impoſitorum praeſtatione nondum facta, hereditatem diuidunt, legatariis manent in heredem ſingulum quemque eadem iura, quae in caſu ſimili conceſſa ſunt hereditatis creditoribus (Tit. XVII. Sect. II.)

§. 293. Legatarius, vlteriore praeſtatione legati tertio ſcripti oneratus, reſpectu huius heres habetur.

§. 294. Deficientibus determinationibus propioribus, ab hereditatem reliquente expreſſis, legati traditionem et praeſtationem legatarius ſtatim poteſt petere peracto deliberandi tempore legitimo (Tit. IX. §. 383. ſeqq.)

§. 295. At ſi de vltima voluntatis validitate contenditur, legatarius proceſſus finem exſpectare debet.

§. 296. Heres quoque, qui cum reſeruatione tantum hereditatem adiit, legatum tam diu retinere poteſt, donec legitime cognitum eſt: an hereditas

Source : BIU Cujas

ad extinguendum aes alienum et praeſtanda legata ſufficiat.

§. 297. At contra, legatario aeque ac hereditatis creditori ius competit petendi, vt heres inuentarium exhibeat, et proceſſus liquidationis formationem petat.

§. 298. Hereditatis defenſio contra actiones inſtitutas in primis quidem heredi incumbit; et ſententia contra heredem lata et contra legatarios valet;

§. 299. At legatariis tamen, quatenus poſſunt intereſſe verum probare, licet, in litibus (proceſſibus) de hereditatis aſſe comparere, et contra ſententias in aſſis detrimentum latas legitima iuris remedia, herede vel non accedente, at ſuis ſumtibus, perſequi.

§. 300. Quidquid hereditatis creditores conueniendo vel tranſigendo remittunt de ſuis petitionibus, aſſi accedit, non ſoli heredi.

Si res aut iura definita legata.

§. 301. Si res aut iura certa, legato deſtinata, ab hereditatis creditore petuntur: heredis eſt, de petitione certiorem reddere legatarium, qui eiusmodi cauſam ſumtibus ſuis agendam in ſe ſuſcipere obligatur.

§. 302. Si in teſtamento reditus certi annui aut tempore alio ſoluendi ſunt legati, praeſtationis tempus a die mortis hereditatem relinquentis putatur.

§. 303. At cui vſus aut vſusfructus fundi, aedificii, aut rei certae alius eſt legatus, is eum tantum poteſt petere inde a praeterlapſo legitimo deliberandi termino.

§. 304. Vſuris, decumis et reditibus aliis eiusmodi perpetuis legato deſtinatis, legatario ii tantum termini competunt, quorum dies poſt mortem hereditatem relinquentis venit.

§. 305. Res legata legatario tradenda in eo ſtatu, quo fuit tempore hereditatis delatae, cum omnibus, quae poſt aduenerunt, acceſſoriis et accrementis.

§. 306. Vſque ad traditionem res ab herede in legatarii commodum cuſtodienda et adminiſtranda.

§. 307. Legatario vero fructuum et emolumentorum intermedii temporis a teſtatoris morte vſque ad

Source : BIU Cujas

hereditatis additionem, ea tantum praeſtat, quae ipſe percepit.

§. 308. Et per adminiſtrationis tempora heres culpam praeſtat tantum latam.

§. 309. Legati traditionem vero ſi vltra legitimum terminum ſine ratione moratur, (§. 294 ſeqq.) omnia, quae ex mora legitime debentur, praeſtare tenetur.

§. 310. Heres, eiusmodi illicitae morae reus, a morae tempore malae quoque fidei poſſeſſor habendus.

§. 311. Legatario non licet, rei legatae poſſeſſionem propria auctoritate apprehendere.

§. 312. Legati traditio aut exhibitio legatarii fit ſumtibus, niſi teſtatoris voluntas contraria appareat.

§. 313. Heres, qui rem legatam vendidit, legatario tenetur ad compenſandum omne id, quod intereſt.

§. 314. Quatenus legatarius rem ipſam a tertio poſſeſſore vindicare, et de eo, quod huic reſtituere debet, heredem poſſit conuenire, ex regulis de proſequendo dominio diiudicandum. (Tit. XV.)

§. 315. Si res legata tempore hereditatis delatae in hereditate non amplius extat, legatum vi omni deſtituitur.

§. 316. At contra, legatum manet validum, ſi res legata a teſtatore quidem alienata, ſed ante obitum eius recepta, in hereditate re vera extat.

§. 317. Si res legata quoad materiam, licet forma mutata, in hereditate extat, legatum ſubſiſtit.

§. 318. Si teſtator rei legatae materiae, ſine additamento vllo aut coniunctione cum re alia, aliam tantum formam dedit, legatarius pro re legata accipit mutatam.

§. 319. Si teſtator vero in forma commutanda materiam ſimul auxerit, aut cum alia re confuderit, commiſcuerit aut coniunxerit, legatarius reſtitutione pretii communis materiae ipſi legatae contentus ſit.

Source : BIU Cujas

§. 320. Si apparet, formam teſtatore inſcio et ſine eius conſenſu eſſe mutatam, legatario in caſu §. 318. competit electio; vtrum rem mutatam velit accipere, an petere commune pretium rei ipſius legatae, qualis haec fuit mutationis tempore.

§. 321. At contra, in caſu §. 319. legatarius petere tantum poteſt pretium commune rei legatae, qualis haec ante mutationem fuit.

§. 322. Si teſtator pecuniam, pro re vendita exactam, vſque ad mortem ſeparatim aſſeruauit, ea pecunia legatario pro re legata tradenda, niſi heres contrariam voluntatis declarationem teſtatoris docere poſſit.

§. 323. Si hereditatem relinquens ipſe rem legatario iam tradidit, hic ex hereditate nihil amplius petere poteſt.

§. 324. Quod ſi vero hereditatem relinquens rem legatario pacto oneroſo contulerit, eique in iis, quae ipſi praeſtanda erant, in totum aut ex parte vſque ad mortem ſuam indulſerit; iſta nondum praeſtita legato cenſentur remiſſa, niſi contraria voluntatis declaratio teſtatoris clare appareat.

§. 325. Legatarius rem legatam cum oneribus omnibus, mortis tempore hereditatem relinquentis rei iam impoſitis, debet ſuſcipere, niſi teſtator aliud expreſſe conſtituerit.

§. 326. Hinc ſi res eſt pignori data, aut hypothecis conſignatis onerata, legatarius haec onera herede non conferente aut concurrente debet redimere.

§. 327. Si res cum pluribus ſimul eſt pignori data, legatarius tantum tenetur ad ſoluendam partem pecuniae, pro pignore datae, (*Pfandſchilling*) pro ratione rei pretii; heredem contra poteſt impellere, vt rem pignorationis iure liberet.

De legatis pecuniae.

§. 328. Si legatum in pecuniae ſumma definita conſiſtit, heres legatario inde a praeterlapſo deliberandi termino tenetur ad ſoluendas eius vſuras publice receptas.

Source : BIU Cujas

§. 329. A quibus vſuris heres ſe liberare tantum poteſt deponendo ſummam legatam in iudicio, quatenus ſcilicet eiusmodi depoſitio legibus admittitur. (Tit. XVI. Sect. III.)

§. 330. Rei legatae tradendae aut ſummae ſoluendae terminus in heredis tantum fauorem eſt definitus, qui igitur traditionem aut ſolutionem praeſtare poteſt maturius.

§. 331. Heres, cui in legato ſoluendo mora ex eius culpa orta imputari poteſt, legitimas morae vſuras praeſtare tenetur.

§. 332. Praeter caſum §. 325. legatarius ad onera aſſis hereditarii (maſſae hereditariae) conferre non tenetur. In quantum legatarii ad hereditatis onera conferre debeant.

§. 333. Heres itaque legatariis nihil poteſt detrahere ex ea cauſa ſola, quod ipſi ſoluto aere alieno et legatis praeſtitis portio hereditatis nulla ſuperſit.

§. 334. Si vero hereditas ad ſoluendum aes alienum, legitimam ſupplendam, et legata reliqua praeſtanda non ſufficiat, legatarii pro legatorum ſuorum proportione conferant aut ſibi detrahi patiantur.

§. 335. Et hic quoque de donationibus, mortis cauſa factis, conferendum et detrahendum.

§. 336. Pretium rei legatae, cuius proportione conferri debeat, ſi partes de eo conuenire nequeant, iudicialiter aeſtumandum eſt, ratione habita temporis momenti, quo eſt delata hereditas.

§. 337. Si alteri taxatio diſpliceat, petere poteſt, vt res vendatur in iudicio.

§. 338. Legatario, qui conferre non vult, legatum repudiare licet, etiam ſi iam acceperit.

§. 339. Qui igitur rem reddit, tenetur ſimul fructus in poſſidendo perceptos hereditati reſtituere.

§. 340. De fructibus vero deducere poteſt ſumtus, in fructus percipiendos et rem conſeruandam factos.

Source : BIU Cujas

§. 341. Caeterum, quod ad deteriorationes et meliorationes et alia attinet, bonae fidei poſſeſſori aequiparatur.

§. 342. Si legatarius rem legatam bona fide vendiderit, antequam ipſi, quae de ea conferenda ſunt ad praeſtanda hereditatis onera, erant indicta, pro ratione (proportione) tantum accepti venditionis pretii confert.

§. 343. In caſibus aliis omnibus, vbi legatarius rem legatam alienauit, eamque, vt a conferendo liberetur, non amplius reddere poteſt, reſpicitur ad pretium, quod fuit rei tempore, quo eſt delata.

§. 344. At legatario tamen non imputantur deteriorationes, quas rei in poſſeſſione ſua ſine culpa ſua lata accidiſſe poteſt docere, neque rei interitus, qui ſine eiusmodi culpa euenit.

§. 345. Aes alienum et reliqua hereditatis onera ex hereditatis ſubſtantia et bonis ad eam pertinentibus ſunt praeſtanda.

§. 346. Hinc legatarii, quibus tantum ſunt ſcripti vſusfructus, aut reditus annui certi, aut reditus alii certis temporibus ſtati, ad ea onera non niſi in tantum conferunt, in quantum proportione ſortis, ex qua eiusmodi reditus expectandi ſunt, iſta collatione praeſtanda deminutae, eorum etiam vſusfructus aut reditus deminuantur neceſſe eſt.

§. 347. Vt definiri poſſit, in quantum eiusmodi legatariorum reditus annui deminuantur, ex iis pro vſuris putatis ſors (ſ. ſumma capitalis) conſtituenda.

§. 348. Quotenis centeſimis ſors computando ex reditibus ſit conſtituenda, ex legatarii aetate, et probabili vitae tempore definiendum eſt, ratione habita principiorum, quae recepta ſunt ab inſtituto prouinciali proximo viduarum alendarum, redituum vitalitiorum, aut tontinarum.

Source : BIU Cujas

§. 349. Qua igitur proportione, de ſorte eo modo conſtituta ad ſubleuanda hereditatis onera foret conferendum; eadem et legatarii reditus annui deminuuntur.

§. 350. Si igitur exempli gratia legati, ex quo thaleri quadraginta quotannis redeunt, ſors ſecundum §phi 348. regulas quingentos det thaleros, et a legatis ad praeſtanda onera hereditatis reliqua quinquaginta pro centum ſ. thaleri quinquageni centeſimi ſint conferendi, hunc legatarium viginti thaleris redituum annuorum contentum eſſe oportet.

§. 351. Qua proportione legatarii principalis commodum conferendo ad hereditatis onera praeſtanda deminuitur, eadem et deminuitur commodum eius, cui ille ex teſtatoris voluntate ad legatum praeſtandum eſt obligatus.

Quid iuris ſit, ſi hereditas legatis exhauritur.

§. 352. Secundum principia in antecedentibus expoſita legatarii omnes, pro rata commodi iis conceſſi, reliqua hereditatis onera tunc quoque ferre debent, ſi tota hereditas legatis ſingulis eſt exhauſta.

§. 353. Heredibus ex teſtamento aut ab inteſtato relinquitur tamen hereditas adminiſtranda et diuidenda, ſecundum praecepta in ordine iudiciario (ſ. proceſſus) data.

§. 354. Eiusmodi heredi reſtituendae ſunt expenſae, in conſeruandam et adminiſtrandam hereditatem et componendum negotium cum creditoribus et legatariis factae omnes.

§. 355. Aequam etiam operae datae et rei ſuae negligendae compenſationem petere poteſt.

§. 356. Quae quidem, ſi ii, quorum intereſt, amice conuenire de ea nequeunt, a iudice definienda eſt ex iisdem principiis, ex quibus hereditatis aut concurſus curatoris ſalarium definitur.

§. 357. Ad heredis damni reparationem (§. 354. 355. 356.) legatarii eadem, qua ad reliqua hereditatis onera, proportione conferunt.

Source : BIU Cujas

§. 358. Eiusmodi tamen damni reparationem heres eatenus tantum petere potest, quatenus damnum hereditatis portionem excedit, ipsi residuam.

§. 359. Si heres ipse hereditatis | dirigendae (regulandae) negotium suscipere nolit, ipsi licet petere, vt a iudice constituatur hereditatis curator, saluo iure suo hereditario, massae sumtibus.

§. 360. Hinc et in eo casu quodque hereditatis augmentum, postea accedens, ei accrescit, qui ius hereditarium delatum suscepit.

§. 361. Ex eiusmodi autem augmento ante omnia legatariis supplenda, quae ipsis antea deducta sunt, at sine vsuris.

§. 362. Si neque testamentarius heres, neque heres ab intestato, hereditatem delatam velit adire, metuens, vt hereditas ad onera eius et legata praestanda sufficiat; iudicem vocare oportet heredes legitimos proxime sequentes pro ordine, quo deficientibus propioribus ius hereditarium ipsis defertur.

§. 363. At simulac huius heredis ab intestato, gradus proximi, persona aut domicilium sit ignotum aut dubium, a iudice de hereditate concursus formandus.

§. 364. Si deinde aere alieno et legatis, et expensis omnibus deductis aliquid supersit, residuum hoc cedit heredi proximo ab intestato, qui ius hereditarium non repudiauit.

§. 365. Quis ille sit, si persona eius aut domicilium ignota, citatione edictali cognoscendum.

De iure accrescendi intuitu legatorum.

§. 366. Legatum, quod accipere non potest aut non vult legatarius, deficiente substituto, a testatore denominato, ad hereditatem redit.

§. 367. At vero, si hic legatarius oneratus erat legatis, aliis praestandis, heredem haec praestare oportet, aut concedere legatum delatum legatario illi, cui a legatario primo aliquid erat praestandum.

Source : BIU Cujas

§. 368. Si legatum perſonis pluribus coniunctim et indiuiſim ſcriptum, portio vacans vnius, deficiente ſubſtituto, collegatariis reliquis accreſcit.

§. 369. Et ea quidem proportione, qua teſtator legatarii cuiusque quotas totius legati definiuit.

§. 370. Eiusmodi proportione ab hereditatem relinquente non definita, collegatarii augmenti partes aequales acquirunt.

§. 371. Caeterum de legatorum augmento eadem valent, quae de augmento hereditatis portionum praecepta ſunt. (§. 281. ſeqq.)

§. 372. At vero, ſi teſtator inter legatarios ius accreſcendi prohibuit, legata vacantia non cedunt heredi ab inteſtato, ſed teſtamentario.

De ſingularibus legatorum generibus,

§. 373. Si teſtator alicui rem futuram expreſſe legauit, rem iſtam, ſimulac exiſtit, heres praeſtare tenetur.

a) ſi legata res futura,

§. 374. Rem heredi inſtituto propriam teſtator legare tertio poteſt.

b) res heredi propria,

§. 375. In eiusmodi legato nihil refert; an ſciuerit teſtator, rem eſſe ipſius heredis.

§. 376. Si res eſt coheredum plurium vnius, cui ſoli legatum non eſt expreſſe iniunctum, huic commune rei pretium ex hereditatis aſſe reſtituendum.

c) res aliena,

§. 377. Si teſtator alicui rem alienam expreſſe legauit, heres omni ſtudio niti debet, vt eam legatario acquirat.

§. 378. Si rei legatae poſſeſſor tertius rem legatario vel plane nolit concedere, vel ſub conditionibus tantum iniquis, (non proportionatis) legatario ab herede compenſandum eſt pretium rei extraordinarium a rei peritis definitum.

§. 379. Si legatarius rem, ipſi tanquam alienam legatam, pacto oneroſo, ante hereditatem relinquentis mortem aut poſt eam, ſibi iam acquiſiuit, ea, quae legatarius dedit, ipſi ab herede reſtituenda.

Source : BIU Cujas

§. 380. Si vero legatarius pacto lucratiuo aut alio modo gratis rei dominium acquiſiuit, legatum nullum habet effectum.

§. 381. Si legatarius legati conditi tempore ipſe rei legatae fuit dominus, legatum eſt ſine effectu, niſi ex diſpoſitionis tenore appareat, teſtatorem eo voluiſſe conferre legatario commodum aliquod ſingulare, et quale hoc commodum fuerit.

§. 382. Caeterum hoc in caſu nihil intereſt, vtrum legatarius rem legatam teſtatoris mortis tempore adhuc actu poſſideat, an eam temporis interiecti ſpatio alienauerit.

§. 383. In caſu dubio nunquam praeſumitur, teſtatorem rem alienam legare voluiſſe.

§. 384. Si itaque rem re vera alienam tanquam ſuam legat, legatum caret effectu.

§. 385. Si teſtatori in rem alienam ius tantum certum aut petitio (praetenſio) competit, in caſu dubio hoc ius tantum aut haec petitio legata cenſetur.

d) res, quae non eſt in commercio,

§. 386. Legatum rerum, quae plane non ſunt in commercio, non eſt validum.

e) facta.

§. 387. Si teſtator heredem factis certis in legatarii fauorem onerauit; heres ad ea facta praeſtanda in tantum obligatur, in quantum ad ea perficienda pacto ſe obligare potuit. (Tit. V. §. 39. ſeqq.)

f) Legata optionis.

§. 388. Si teſtator plurium rerum vnam ita legauit, vt neceſſario optio locum habeat, haec optio heredi competit, niſi ex diſpoſitionis tenore clare appareat, eam legatario eſſe deſtinatam.

§. 389. Idem tunc quoque valet, ſi quidem res vna tantum definita eſt legata, at in hereditate eiusdem generis res plures extant, neque clare apparet, quam earum teſtator in animo habuerit.

§. 390. Si teſtatoris diſpoſitio ea eſt, vt heres legatario plurium rerum vnam tradat, eo deſignatur, heredi electionem eſſe conceſſam.

Source : BIU Cujas

§. 391. Sin vero teſtator diſpoſuit, vt legatarius ex rebus pluribus vnam ſibi eligat, eo ſignificatur, optionem legatario eſſe conceſſam.

§. 392. In caſibus omnibus, vbi heres eligit, hic tantum obligatur, vt rem det legatario pro eius conditione et circumſtantiis vtilem.

§. 393. Quod ſi vero optio legatario ſine reſtrictione fuerit relicta, eligere vel optimam poteſt.

§. 394. Si ab heredibus aut legatariis pluribus ex eiusdem generis rebus pluribus inſtituenda electio, ſors decidit, quo ordine eligant.

§. 395. Si teſtator tertio definiendum commiſerit, quam ſpeciem legatarius habeat, hic vti legatarius ipſe (§. 393.) eligere optimam poteſt.

§. 396. Si tertius eligere neque poſſit neque velit, electio quidem competit legatario, qui vero contentus eſſe debet re ſibi vtili, qualitatis non optimae ſed mediae.

§. 397. In caſibus omnibus, vbi heres eligit, hic vti in pactis legatario obligatur ad euictionem rei datae praeſtandam.

§. 398. Si vero legatarius elegit, heres, rei conditionis vitioſae euictionem non praeſtat, excepto caſu doli admiſſi.

§. 399. Heredem tamen oportet in caſibus omnibus, vbi legatario competit electio, huic ſpecies, in hereditate extantes omnes, ex quibus eligere poſſit, fide indicare, et ſpectandas praebere petenti.

§. 400. Quod ni fecerit, heres prima electione non obligatur, ſed de nouo poteſt eligere.

§. 401. Cui certum genus rerum, qualitate et quantitate non expreſſa, eſt legatum, omnes eius generis accipit ſpecies, tempore mortis in hereditate extantes. *g*) Genera legata.

§. 402. Excipiendae tamen ſpecies, quae tanquam pertinentiae aut inuentaria praedii aut aedium

Source : BIU Cujas

conſiderandae, niſi ex teſtatoris voluntate clare appareat, et eas legatario eſſe tradendas.

§. 403. Si teſtator ſine vlteriore determinatione alicui legauit certi generis ſpeciem, quae in hereditate non extat, heredem legatario eiusmodi ſpeciem acquirere oportet.

§. 404. Eiusmodi rei legatario deſtinatae qualitas non definita pro ordine (ſtatu) et neceſſitate legatarii definienda.

§. 405. Sub legato certae et determinatae ſpeciei, deficientibus propioribus praeſcriptis comprehenduntur pertinentiae etiam legitimae, quatenus teſtatoris morte extiterunt. (Tit. II. §. 42. ſeqq.)

b) Legata res ſ. ſpecies certa.

§. 406. Is igitur, cui eiusmodi res (ſ. ſpecies) eſt legata, reſpectu pertinentiarum legitimarum ei praefertur, cui legatum eſt rerum genus, ad quod iſtae pertinentiae in et per ſe pertinent.

§. 407. Ad legatas res fluidas pertinent quoque vaſa, in quibus vendi aut tranſportari ſolent.

c) Legata nominis.

§. 408. Si cui nomen certum (ſ. debitum exigendum) eſt legatum, ſors legatario competit cum vſuris omnibus, poſt hereditatem relinquentis mortem venientibus.

§. 409. Si nomen (ſ. debitum) eſt falſum, aut debitor non eſt ſoluendo, iacturam legatarius ſentit.

§. 410. Nomine extincto (ſ. debito ſoluto), legatarius nihil petere poteſt.

§. 411. Si vero nomen tantum extinguitur petitionibus contrariis, (tollitur praetenſionibus mere reconuentionalibus), poſt temporis momentum, quo ſcriptum eſt legatum, exortis, quarum rationem hereditatem relinquens cum debitore non computauerat, legatarius ſortis ſummam ex hereditate poteſt petere.

§. 412. Si debitor debitum quidem ſoluit, teſtator vero pecuniam acceptam ad mortem vſque ſeparatim afferuauit, haec legatario cedit, niſi animus teſtatoris contrarius appareat.

Source : BIU Cujas

§. 413. Idem valet, ſi teſtator pecuniam, pro legato debito acceptam, ſtatim in eadem ſumma aut minori de nouo collocauit.

§. 414. Si cui omnia, quae ſunt in certo receptaculo, ſunt legata; nomina, quorum inſtrumenta in eodem ſunt aſſeruata, iis non comprehenduntur, ſimulac in eo receptaculo res adhuc ſunt aliae, de quibus legatum poteſt accipi.

§. 415. At omnino eiusmodi legatum complectitur ſyngraphas menſae feneraticiae publicae (*Banconoten*), literas pigneraticias (*Pfandbriefe*) aut literas, quibus cautum eſt de pecunia ſocietati credita (*Actien*) et alias chartas, pecuniae paratae vice fungentes, niſi contraria teſtatoris voluntas clare eluceat.

§. 416. Si teſtator ſolutionem tantum ſummae legatae ex forte quadam collocata (ſ. ex ſumma quadam locata) aſſignauit, ſolutio ab herede praeſtanda, licet ſors capitalis a teſtatore poſtea fuerit exacta.

§. 417. At vero, ſi debitum falſum, aut debitor non eſt ſoluendo, legatum omni effectu deſtituitur.

§. 418. Quod ſi vero debitor ad meliorem poſtea perueniat fortunam, legatum in tantum fit validum, in quantum praeſtari ſolutio a debitore poteſt.

§. 419. Ex legato, ex reditibus certis annuis ſoluendo, legatarius non poteſt plura petere, quam veram redituum ſummam.

§. 420. At vero deminutiones anni vnius compenſandae ſunt ex annorum trium ſubſequentium reſiduis, in quantum haec ſufficiunt.

§. 421. Vſu aut vſufructu rei legato, et quidem non adiecta certi temporis determinatione, legatarius commodum ad dies vitae percipit; et cui ſubſtantia tanquam heredi aut vi legati alius cedit, petere nequit, vt vſus aut vſusfructus ſit focius. *k*) Legatum vſus vel vſusfructus.

§. 422. Quatenus ſubſtantiae heres aut legatarius eius cautionem poſſit petere, diiudicandum ex prin-

Source : BIU Cujas

cipiis in titulo de vſufructu praeſcriptis. (Tit. XXI. Sect. I.)

§. 423. Si vero vſus aut vſusfructus legatus eſt corporationi, vniuerſitati, aut alii perſonae morali, temporis determinatione nulla adiecta, legatum per quinquaginta tantum annos ſubſiſtit.

§. 424. At contra, reditus annui aut tempore certo redeuntes, perſonae morali legati, quatenus legatum per ſe valet, deficiente propiori determinatione ſunt praeſtandi, dum perſona moralis adhuc exiſtit.

l) Legatum nominis, quod legatarius ipſe debet, ſ. liberationis.

§. 425. Si hereditatem relinquens debitori legat, quod hic ipſi debet, debitum habendum remiſſum cum vſuris, ante et poſt conditum teſtamentum accretis.

§. 426. At eiusmodi tamen remiſſio ad nomina, poſt legatum iam conditum exorta, non eſt extendenda, niſi clare appareat, eam fuiſſe hereditatem relinquentis voluntatem.

§. 427. Pro debiti remiſſione habendum, ſi teſtator diſpoſuit, vt debitori chirographus eius aut pignus reddatur.

§. 428. Legato nominis ſ. debiti aequiparandum, ſi parentes, in liberorum vnius aut alterius fauorem ea remittunt, quae ab eo eſſent conferenda, et ſecundum leges illi imputanda.

§. 429. Si mortis tempore teſtatoris apparet, legatarium teſtatori nihil debere, legatum eſt ſine effectu.

m) Legatum nominis, ſ. debiti, quod teſtator debet.

§. 430. Si hereditatem relinquens creditori legat debitum, quod huic ipſe debuit, eiusmodi diſpoſitio pro debiti agnitione habenda.

§. 431. Quod vero legatum ſi habere effectum debeat; debitum agnitum rite definitum ſit neceſſe eſt ſumma expreſſa aut inſtrumento, quod de debito eſt datum, deſignato.

§. 432. Si ſumma fuerit definita, ea ſoluenda eſt legatario, licet nequeat cognoſci fundamentum legitimum, ex quo hereditatem relinquens eam debeat.

§. 433.

Source : BIU Cujas

§. 433. At ſi probari poteſt, hereditatem relinquentem idem debitum, quod creditori legauit, ſoluiſſe poſt legatum conditum, legatum eſt ſine effectu.

§. 434. Caeterum per eiusmodi legatum (§. 430.) debitum ſub conditione (ſeu conditionale) commutatur in debitum purum, ſ. non conditionale.

§. 435. Legatarius etiam eiusmodi legato acquirit iura legatariis §. 290. conceſſa.

§. 436. At contra, per legatum debiti terminus, quo eſt ſoluendum, in heredis detrimentum non mutatur.

§. 437. Nondum cenſendum eſt pro legato debiti, ſi heredi fuerit impoſitum hereditatem relinquentis debita ſoluendi negotium.

§. 438. Quatenus vero hereditatem relinquens in hoc actu imponendo debitorum ſummas aut dies definite expreſſit, eatenus eiusmodi declaratio cenſetur debiti agnitio.

§. 439. Ex eo, quod hereditatem relinquens creditori legat ſummam, nomini ſeu debito a teſtatore illi ſoluendo aequalem, nondum ſequitur, teſtatorem non niſi debitum extinguere voluiſſe.

§. 440. Quin potius res legata praeſtanda, et praeterea debitum ſoluendum, niſi aliud expreſſe fuerit conſtitutum.

§. 441. Si cui, qui ipſe alere ſe nequit, alimenta ſunt legata, haec ei praeſtanda ſunt, quoad in hoc ſtatu verſatur. n) Alimenta legata.

§. 442. Si itaque filio alimenta, propriore determinatione nulla adiecta, ſunt legata, heredis obligatio ad ea praeſtanda tam diu durat, quam diu legatarius, quae ad vitam ſuſtentandam ſunt neceſſaria, parare ſibi ipſe non poteſt.

§. 443. Alimentorum modus, in teſtamento non propius definitus, definiendus eſt, ſi teſtator legatarium iam ante aluerat, ex defuncti more conſueto, et

Source : BIU Cujas

ratione vitae, ad quam degendam praeparare legatarium voluit hereditatem relinquens.

§. 444. Praeterea ratio habenda eſt ſtatus et ordinis, in quo legatarius fuit tempore teſtamenti conditi.

§. 445. Niſi regulae in antecedentibus expoſitae aliud ſuppeditant, ſub alimentis legatis neque dotis (inſtructionis, *Ausſtattung*) neque ſtudiorum ſumtus comprehenduntur, at ii tamen, qui ad edifcendam artem aut opificium requiruntur.

§. 446. Si legatarius nobili gente fuerit ortus, et militiae deſtinatus, alimentis legatis ſubintelliguntur etiam apparatus bellici primi praefecto militari comparandi. (*erſte Officier-Equipage*).

c) Legatum dotis (inſtructionis *Ausſtattung*.)

§. 447. Si quis feminae dotem aut dotationem, ſine determinatione alia legauit; nulla rei familiaris dotandae propriae ratione habita talis eſt definienda, qualem perſona, quae cum legataria eiusdem eſt ordinis, (conditionis et ſtatus legatariae) ex legis praeceptis petere poſſet.

§. 448. Si legatarius ſit altioris quam heredita-tem relinquens ordinis, contentus ſit inſtructione, (*Ausſteuer*) quam pro ordine petere poteſt, leviſſima.

§. 449. Si teſtator liberorum ſuorum vni dotem aut inſtructionem praelegauit, eiusmodi legatum ex principiis §. 425. ſeqq. eſt diiudicandum.

De numorum genere in legatis.

§. 450. Legata, quorum nullum numorum genus eſt definitum, praeſtanda ſunt in numis maioribus argenti ſolidioris, (*Silbercourant*) quales in vſu fuerunt tempore voluntatis vltimae iudicialiter conſignatae aut oblatae.

§. 451. Si legatum ſcripto extraiudiciali, in ſe valido, eſt conſignatum, in definiendo numorum genere ad diem ſcripti reſpicitur.

Legata rerum, quas legatarius poſſidere nequit.

§. 452. Si cui legata res eſt, ad quam poſſidendam propter ordinem ſuum eſt inhabilis, heres iuris ei concedere debet tantum, quantum ex legibus poteſt acquirere.

Source : BIU Cujas

§. 453. Si igitur nobilium praedium legatum fuerit ei, qui ad illud poſſidendum eſt inhabilis, heredem (ſ. ſucceſſorem) oportet ei concedere intra terminum § 42. definitum, praedii poſſeſſionem naturalem et vſum.

§. 454. Heredem etiam oportet eos actus ſuſcipere, ſine quibus legatarius praedium in alium ad poſſidendum habilem transferre nequit.

§. 455. Si res ita comparata, vt legatarius ius plane nullum in eam acquirere poſſit, heredi eſt electio: vtrum ſoluto communi praetio eam retinere velit, an curare, vt in legatarii commodum iudicialiter vendatur habili.

§. 456. Si res prorſus non eſt in commercio, praeceptum § 366. 367. locum habet.

§. 457. Teſtatoris diſpoſitiones, quibus heredi aut legatario certa incommoda iniungit, ſi vltimam ſuam voluntatem impugnent, aut contra eam agant, nunquam ad eum caſum ſunt extendendae, ſi hi tantum de certitudine et veritate vltimae voluntatis dubitant. Legata poenae loco relicta.

§. 458. Qui heredi aut legatario ſubſtitutione vulgari eſt ſubſtitutus, huic, quatenus teſtator non aliud expreſſe conſtituit, eadem iura et obligationes competunt cum eo, cui eſt ſubſtitutus. C) Intuitu ſubſtitutionum, 1) vulgaris.

§. 459. Subſtitutus in iis rebus, in quibus eſt ſubſtitutus, non heredes ſolum ab inteſtato praecedit, ſed coheredes etiam teſtamentarios.

§. 460. Habilitas aut inhabilitas ſubſtituti diiudicatur ex temporis momento, quo ſubſtitutionis caſus incidit.

§. 461. Si heres aut legatarius cum ſubſtituto tempore vno eodemque periit, poſterioris heredes ex ſubſtitutione nihil poſſunt petere (Tit. I. §. 39).

§. 462. Si vero ſubſtitutus teſtatori fuit ſuperſtes, et intra legitimum deliberandi tempus heredis inſtituti

Source : BIU Cujas

demum mortuus, ius ex subſtitutione ad heredem eius tranſit. (Tit. IX. § 383).

§. 463. Subſtitutio vulgaris effectu deſtituitur, ſimulac heres aut legatarius primus hereditatem aut legatum modo legitimo adiit.

§. 464. Qui ſi tamen vna ratione vel alia in eum caſum venerit, vt iuri quaeſito renuntiare poſſit aut debeat; ſubſtituto quoque priſtina iura de nouo competunt.

§. 465. Si heres ſcriptus ante deliberandi tempus transactum moritur, heredibus praeceptum tituli noni § 397. prodeſt quoque contra ſubſtitutum.

2) fideicommiſſariae.

§. 466. Quod ad ſubſtitutiones fideicommiſſarias attinet, heredi inſtituto aut legatario ſunt vſufructuarii iura et officia omnia, (Tit. XX. Sect. I.) donec ſubſtitutionis caſus incidit.

§. 467. Subſtitutionis caſu incidente, heredem aut legatarium aut eorum heredes ſubſtituto aut eius heredibus reſtituere oportet, quidquid rerum aut iurium heredis inſtitutionis aut legati vi ex hereditate acquiſiuerunt, eodem in ſtatu, quo tempore fuit ſuſceptionis, ne minimum detrahendo, ex principiis, inter vſufructuarium et dominum conſtitutis.

§. 468. Si teſtator diſpoſuit, vt ſubſtitutio fideicommiſſaria ad ea tantum extendatur, quae caſu ſubſtitutionis incidente adhuc extant, heres inſtitutus de ſubſtantia, ſubſtitutione onerata, inter viuos quidem at non mortis cauſa poteſt diſponere.

§. 469. Neque inter viuos donationibus, quae ſunt merae liberalitatis, ſubſtituti ius poteſt peruertere.

§. 470. Subſtituto ius competit petendi, vt ipſi exhibeatur rerum ſibi deſtinatarum inuentarium iudiciale aut priuatum, iureiurando affirmandum.

§. 471. Si teſtator expreſſe prohibuit, quo minus ſubſtitutus eiusmodi exhibitionem petat, accipiendum eſt, eum hunc tantum ſubſtituere voluiſſe in iis, quae tempore mortis heredis inſtituti adhuc extant.

Source : BIU Cujas

§. 472. Caeterum quod attinet ad ſubſtituti ius petendi cautionis praeſtationem, et ad bonorum ſeparationem inter eum et heredem principalem aut legatarium, ſubſtitutionis caſu incidente; eadem praecepta obtinent, quae inter vſufructuarium et dominum locum habent.

§. 473. Quatenus hereditas ad aes alienum omne extinguendum non ſufficit, eatenus et fideicommiſſa, ex obaerata hereditate conſtituta, ſecundum propiorem determinationem §. 345. ſeqq. ad aes alienum ſoluendum impendenda.

474. Legata ſingula quoque ſunt praeſtanda, antequam ille, qui heredi ſubſtitutione fideicommiſſaria eſt ſubſtitutus, aliquid poteſt petere.

§. 475. Si hereditatem relinquens ex hereditate ſua familiae fideicommiſſum conſtituit; fideicommiſſarium legata ſingula praeſtare oportet, in quantum hereditas reliqua non ſufficit.

§. 476. At legatarii tamen non ex ſubſtantia, ſed tantum ex fructibus et emolumentis fideicommiſſi ſatisfactionem poſſunt petere.

§. 477. In quantum legitima fideicommiſſis poſſit onerari, ſuo loco eſt definitum. (Part. II. Tit. II. Sect. V.)

D) De conditionatis heredum inſtitutionibus et legatis,

§. 478. Si quis ſub conditione ſuſpenſiua heres eſt inſtitutus, heres ab inteſtato in legati poſſeſſione et vſu manet, donec exiſtit conditio, niſi aliud expreſſe teſtator conſtituerit.

de conditionibus ſuſpenſiuis,

§. 479. Si heredis ab inteſtato perſona aut domicilium ignota, hereditas, ſumtibus eius a curatore, ſub auctoritate iudiciali, eſt adminiſtranda, donec perſona et domicilium eius innotuit.

§. 480. Inter heredem ab inteſtato, aut eius curatorem, et heredem teſtamentarium, ſub conditione inſtitutum, tum eadem eſt ratio, quae inter heredem inſtitutum et fideicommiſſarium ſubſtitutum. (§. 466. ſeqq.)

Source : BIU Cujas

§. 481. At vero heres sub conditione institutus nullo in casu cautionem petere potest, si ex solo eius arbitrio pendet, conditionem efficere.

§. 482. Legato sub conditione suspensiua relicto, eadem praecepta inter heredem et legatarium obtinent.

§. 483. Dominium igitur rei legatae hoc in casu, vti ius, fructus aut emolumenta inde petendi, eo demum die ad legatarium transit, quo adimpletur conditio.

§. 484. At vero legatarius tum quoque vsuras aut fructuum et emolumentorum exhibitionem inde ab eo tantum tempore potest petere, quo heredi de conditione adimpleta certiorem fecit, et eam, si opus fuerit, legitime docuit.

§. 485. Quatenus in genere ius sub conditione concessum ad eius, cui ius competit, heredes potest transire, eatenus idem etiam locum habet in fauorem heredum heredis aut legatarii, sub conditione instituti. (Tit. IV. §. 162. 163.)

§. 486. Quae in antecedentibus de conditione suspensiua praecepta sunt, (§. 478 -- 485.) tum quoque valent, si cui hereditas (s. successio) aut legatum a certo tantum die scripta.

§. 487. Quo tamen in casu inde ab eo die vsurae praestandae, aut fructus exhibendi et emolumenta; nulla heredis aut legatarii facta annuntiatione. (§. 484.)

§. 488. Si cui quid dotis aut instructionis nomine est legatum, eiusmodi additamentum pro finis definitione potius, quam pro conditione suspensiua habendum.

resolutiuis, §. 489. Si hereditas aut legatum sub conditione resolutiua relictum, heredis aut legatarii ad eum, cui conditione existente hereditas aut legatum ex testatoris dispositione aut ex legibus cedit, eadem est ratio,

Source : BIU Cujas

quae heredis inſtituti aut legatarii ad ſubſtitutum fideicommiſſarium. (§. 466. ſeqq.)

§. 490. Si hereditatem relinquens ex conditionibus impoſitis pluribus vnam eligere ſine definitione vlteriore liberum reliquit; electio competit conditione onerato. de pluribus conditionibus.

§. 491. Si limitatio (ſ. clauſula) adiecta pro conditione vera habenda, et ſic quidem, vt heredis aut legatarii ius pendeat ab euentu, qui vel exiſtere debeat vel non exiſtere; conditio ſine vlla exceptione eſt adimplenda (Tit. IV. §. 100.) Implementum conditionum.

§. 492. Ex eiusmodi heredis aut legatarii arbitrio non pendet, conditionum impoſitarum plurium partem tantum aut nonnullas adimplere, atque pro iis partem tantum petere commodi ipſi deſtinati.

§. 493. Sin vero (conditione reſolutiua adiecta) commodum heredi aut legatario deſtinatum ante aut intra poſſeſſionis tempus caſu, ſine culpa ſua vel leuiſſima, fuerit deminutum; hic poſtulare poteſt onerum ipſi impoſitorum deminutionem proportionatam.

§. 494. Si vero eiusmodi onera pecunia aeſtumari non poſſunt, neque in certis conſiſtunt praeſtationibus, tempore definito reiterandis, vel in eo caſu (§. 493.) conditio perfecte adimplenda.

§. 495. Si conditionis adimplementum pendet ab eo, qui ea eſt oneratus; nullo ad implendum termino ab hereditatem relinquente praefixo; ii, quorum intereſt, iudicialem petere poſſunt termini proportionati determinationem.

§. 496. Quod quoad non factum, heres aut legatarius ſub conditione inſtitutus intra annos adhuc triginta, a morte hereditatem relinquentis, conditionem poteſt adimplere, et commodum ſibi deſtinatum inde acquirere.

§. 497. Cui cedat commodum, conditione, ſub qua heredi aut legatario commodum erat deſtinatum,

Source : BIU Cujas

non exiſtente, diiudicandum eſt ex principiis de iure accreſcendi (§. 281-287. §. 366-372.)

De conditionibus, pluribus iunctis,

§. 498. Si pluribus coniunctim conditio ſit impoſita, quae ab vno eorum ex animo teſtatoris, ex diſpoſitione et circumſtantiis elucente, perfecte poteſt adimpleri, adimplementum ab vno eorum praeſtitum reliquis prodeſt.

§. 499. Si vero conditio ab omnibus ſit adimplenda, et legatum legatariorum vniuerſitati ſit deſtinatum, tunc commodum non adimplentium accreſcit reliquis.

§. 500. Si vero teſtator partem, quam quisque ex legato capit, expreſſe definierit, ad hereditatem redit non adimplentis portio.

de conditionibus iam adimpletis,

§. 501. Si conditio hereditatem relinquente adhuc viuo, aut ante publicationem teſtamenti exſtitit, iam ſufficit.

§. 502. Quod ſi vero conditio conſiſtat in facto heredis vel legatarii, quod ab hoc poteſt reiterari, ad reiterandum hic eſt obligatus.

§. 503. Ex qua autem reiteratione ſi neque in ſe, neque relatione ad teſtatoris animum, ex diſpoſitione aut circumſtantiis elucentem, vlla ſperari poteſt vtilitas, praecepta valent tituli quarti §. 133. 134. 135.

de conditionibus impoſſibilibus.

§. 504. Ex iisdem praeceptis (Tit. IV. §. 126. ſeqq.) vis quoque et effectus diiudicatur conditionis, heredis inſtitutioni aut legato adiectae impoſſibilis.

§. 505. Si conditionis adimplementum, in ſe poſſibile, heredi aut legatario, viuo adhuc hereditatem relinquente, fuit impoſſibile, atque id hereditatem relinquenti innotuit; iſta conditio, ſi in diſpoſitione nihil mutauerit, habetur pro remiſſa.

§. 506. Sin vero, quae incidit, impoſſibilitas hereditatem relinquenti non innotuit, aut poſt eius mortem demum eſt exorta, heredis inſtitutio et legatum vi deſtituitur.

Source : BIU Cujas

§. 507. Si commodum tertio acquirendum tanquam conditio eſt adiectum, locum habet regula Tit. IV. §. 112. 113.

§. 508. Si ex vltimae voluntatis diſpoſitionis tenore aut ex circumſtantiis apparet, hereditatem relinquentem iis, quae legatario aut heredi iniunxit, propriis huius commodis conſulere voluiſſe; eiusmodi determinatio pro fine tantum habenda. (Tit. IV. §. 152.) De fine.

§. 509. Finis quoque, ad quem alicui commodum eſt deſtinatum, in regula ab eo efficiendus.

§. 510. Heres aut legatarius, qui ſua culpa eum in ſtatum venit, vt finem nequeat efficere, commodum ipſi deſtinatum non capit.

§. 511. Si finis implementum fine heredis aut legatarii culpa fit impoſſibile; commodo iſto efficiendus eſt finis alius, quam proxime accedens ad ſimilitudinem teſtatoris animi, (finis) ex diſpoſitione aut circumſtantiis apparentis.

§. 512. Quodſi ne id quidem pro rerum circumſtantiis fieri poſſit, heres aut legatarius commodum deſtinatum nihilominus capit;

§. 513. Niſi ex teſtamento aut circumſtantiis clare appareat, hereditatem relinquentem in heredem aut legatarium commodum omnino non fuiſſe translaturum, ſi praeuidiſſet, non adimpletum fore finem praefinitum.

§. 514. In quibuscunque caſibus hereditatem relinquens, conditionem adiiciendo aut finem, ſalutis publicae immediate habuit rationem, in iis res publica (ſtatus) ius habet, adimplementum vrgendi. De conditionibus aut finibus in ſalutem publicam adiectis.

§. 515. Si is, cui adimplemento non praeſtito portio hereditaria aut legatum cedat, conſenſu occulto conſpiret cum onerato ad euertendum finem, ſaluti publicae profuturum; ſtatui ius eſt, de fine adimplendo ex re aut ſumma huic deſtinata curandi.

§. 516. Si facta committenda aut omittenda non definita ſunt praecepta, adhortationes generales ad De conditionibus indefinitis.

Source : BIU Cujas

virtutem, ordinem, parſimoniam etc. tanquam conditiones conceptae, heredis aut legatarii conſcientiam tantum poſſunt obligare.

§. 517. Si vero hereditatem relinquens heredis aut legatarii mores perſonis certis obſeruandos iniunxit, a quibus iudici heredis aut legatarii mores, teſtatoris voluntati plane contrarii, referuntur et probantur; hereditas aut legatum amittitur, ſi admonitio iudicialis ante facta fuerit irrita.

§. 518. Denominationes et deſignationes hereditatem relinquentis falſae diſpoſitionem non reddunt inualidam, ſi alio tantum modo de vera eius voluntate conſtat.

VIII. De regulis interpretandi.

§. 519. In genere vltimae voluntatis declarationes in caſu dubio ita ſunt interpretandae, vti ex legum praeceptis conſiſtere optime poſſunt.

§. 520. Atque etiam in caſu dubio interpretatio fiat in heredis inſtituti fauorem.

§. 521. Quatenus autem legitima hereditatis ſucceſſio vltimae voluntatis declaratione non eſt ſublata, ex ſucceſſionis legitimae regulis ſuppletur diſpoſitionis definitio deficiens.

§. 522. Si teſtator, determinatione propiore non adiecta, cognatione coniunctis aliquid deſinauit, id iis cedit, qui tempore mortis teſtatoris ad ſucceſſionem legitimam proximi ſunt aut gradus aequalis, ſine discrimine ordinis aut ſexus.

§. 523. Si quid in familiae vtilitatem aut florem reliquit; quod ad nobiles attinet, legatum praeſumitur poſteritati tantum virili prodeſſe debere.

§. 524. Si vero teſtator nobili gente non oriundus, commodum quoque poſteris ſexus muliebris competit.

§. 525. In familiae fideicommiſſis perpetuis ſucceſſionis ordinem ex legibus eſſe definiendum, et qua ratione id fieri debeat, ſuo loco eſt praeſcriptum. (Part. II. Tit. IV. Sect. IV.)

Source : BIU Cujas

§. 526. Sub appellatione liberorum, ſi in vltima voluntatis declaratione fuerit adhibita, ſiue agatur de hereditatem relinquentis propriis ſiue de heredis aut legatarii liberis, in regula ſimul comprehenduntur etiam deſcendentes vlteriores, in eorum locum ſuccedentes, quatenus iis ex legibus competeret legitima ex bonis parentum, quibus immediate vitam debent. (Tit. XI. §. 1145. 1146. 1147.)

§. 527. Si hereditatem relinquens liberis alterius, propiori determinatione nulla adiecta, quid legauit, id cedit iis, qui tempore, quo delata hereditas, iam erant nati aut concepti.

§. 528. Hoc quoque in caſu deſcendentes remotiores eiusmodi liberorum, qui ante hereditatem relinquentem ſunt mortui, ratione legati in parentum ſuorum locum eatenus ſuccedunt, quatenus iis foret ius in hereditatem auorum ſuorum aut aſcendentium remotiorum.

§. 529. At hoc tamen quoque de iis tantum valet deſcendentibus remotioribus, qui morte teſtatoris iam erant editi aut concepti.

§. 530. Si hereditatem relinquens tertii liberis vſum certum legauit, cuius dies in totum aut ex parte tempore demum futuro venit, liberi quoque poſtea nati eum participant.

§. 531. Si ex diſpoſitione apparet, aut ſi alias plene probari poteſt, eam fuiſſe teſtatoris voluntatem, vt legato ſimul legatarii liberis proſpiceret; liberi legatarii, licet ante teſtatorem ſit mortuus, in eius locum ſuccedunt, quatenus eius heredes facti.

§. 532. Si hereditatem relinquens familiae certae aliquid in tempora futura legauit, eiusmodi diſpoſitio familiae fideicommiſſi conſtitutioni aequiparanda.

§. 533. Quatenus eiusmodi diſpoſitio valeat, diiudicandum eſt ex praeceptis legitimis de fideicommiſſis et ſubſtitutionibus fideicommiſſariis. (Part. II. Tit. IV. Sect. III.)

Source : BIU Cujas

§. 534. Interdictum, ne res vendatur, sine determinatione vlteriore datum, continet in se voluntatis declarationem hereditatem relinquentis, vt res in heredis aut legatarii familia maneat.

§. 535. Venditionis interdictum alienationem aliam omnem et pignerationem in se continet.

§. 536. Si cui personae plures, quae vel sine testamento eius forent heredes, sine determinatione vlteriore sunt substituti, dispositio qua substitutos secundum legitimae successionis regulas interpretanda.

§. 537. Quae quidem successio, si sint diuersae eius leges, diiudicatur ex legibus fori personalis, cui subiectus est quisque, cui substitutus fuit denominatus.

§. 538. Si quis liberis suis, testamenti conditi tempore prolem non habentibus, heredes substituit; substitutio pro extincta habenda, si filius institutus prolem suscepit et reliquit ad hereditatem acquirendam habilem.

§. 539. Quo casu excepto in expedienda quaestione, vbi substitutio fideicommissaria locum habeat, aut extinguatur, vltimae voluntatis dispositionis sententia accurate est exequenda, in quantum leges non obstant.

§. 540. Si dubium sit, quem testator, denominatione non accurate definita, heredem vel legatarium vocauerit, ex pluribus ille praefertur, cui cum hereditatem relinquente propior coniunctio aut familiaritas intercessit.

§. 541. Familiae coniunctiones in eiusmodi casu meris officii aut amicitiae coniunctionibus et rationibus anteferuntur.

§. 542. Si ratio est eadem, hereditas aut legatum aequaliter diuidenda inter eos, in quos denominatio secundum interpretandi regulas quadrat.

§. 543. Si res indiuidua fuerit legata, in casu §. 542. adducto inter eos, qui pari iure petere eam

Source : BIU Cujas

poſſunt, exiſtit dominium commune. (Tit. XVII. Sect. I.)

§. 544. Si quis ex heredibus vel legatariis pluribus, non adiecta determinatione propiori, legato aut praeſtatione vlteriori eſt oneratus; eiusmodi legatum vlterius in caſu dubio ab eo praeſtandum, qui rerum genus, ad quod ſpecies legata pertinet, accepit.

§. 545. Si ex hoc principio res dirimi nequeat, legati vlterioris praeſtandi obligatio ex iis, ad quos voluntas hereditatem relinquentis referri poteſt, ad eum pertinet, qui reliquis fauore maiore gaudet.

§. 546. Si perſona legatarii ratione tantum et neceſſitudine ad hereditatem relinquentem eſt deſignata; is tantum legatum petere ab herede poteſt, cui mortis tempore ea ratio et neceſſitudo cum hereditatem relinquente interceſſit;

§. 547. Niſi ex diſpoſitionis ſententia aut praeter ea ex circumſtantiis appareat, teſtatorem non huius ſolum rationis et neceſſitudinis, ſed amoris ſ. fauoris etiam perſonalis ſimul habuiſſe in ſcribendo legato rationem.

§. 548. Hinc quod teſtatoris officialibus, famulitio, aut domeſticis ſine additamento vllo eſt legatum, in regula iis competit, qui hereditatem relinquentis morte in eius domo et famulitio fuerunt.

§. 549. Si vero tempore mortis nemo exiſtit, cui neceſſitudo dicta cum hereditatem relinquente intercedit; legatum petere poteſt is, cui teſtamenti conditi tempore ea cum teſtatore neceſſitudo et ratio interceſſit.

§. 550. Si perſona connubio aut deſponſatione coniuncta coniugi ſuo aut perſonae ſibi deſponſatae, ſine additamento vlteriori, quid legauit; legatum petere ea perſona nequit, quae demum poſt teſtamentum conditum eam coniunctionem cum hereditatem relinquente coniugauit.

§. 551. Si perſona connubio aut deſponſatione nondum coniuncta coniugi ſuo aut perſonae ſibi de-

Source : BIU Cujas

ſponſatae quid legauit; ea perſona intelligitur, quae cum perſona teſtamentum condente mortis tempore ea ratione erat coniuncta.

§. 552. Eaedem interpretandi regulae (§. 550. 551.) obtinent, ſi tertii coniugi aut perſonae deſponſatae, determinatione vlteriori adiecta nulla, quid fuerit legatum.

§. 553. Hinc et in hoc caſu ad id attendendum, an tertius teſtamenti conditi tempore connubio aut deſponſatione fuerit coniunctus.

§. 554. Si controuerſum eſt, quid ſub rei quantitate aut qualitate, ab hereditatem relinquente definita, ſit intelligendum; rei peritorum arbitrio decidendum.

§. 555. At ſi probari poteſt, hereditatem relinquentem appellatione, qua in teſtamento eſt vſus, certum rerum genus deſignare conſueuiſſe; haec interpretatio rei peritorum iudicio praefertur.

§. 556. Caeterum regulae interpretandi, de voluntatis declarationibus interpretandis Tit. IV. §. 65. ſqq. datae, locum etiam obtinent in vltimae voluntatis diſpoſitionibus, et generatim, et tanquam norma, rei peritis conſtituta, in caſu §. 554.

IX. De executoribus teſtamentariis.

§. 557. Si hereditatem relinquens alicui commiſit vltimae voluntatis exequendae curam, hic mandatarius hereditatem relinquentis habendus, et vltimae voluntatis diſpoſitio ipſa mandatum et inſtructio eius habenda (Tit. XIII. Sect. I.)

§. 558. Si cum hac exequendi cura ſimul hereditatis adminiſtratio in totum aut ex parte eſt coniuncta, in tantum executor pro adminiſtratore bonorum alienorum habendus. (Tit. XIV. Sect. II.)

§. 559. In qua quidem adminiſtratione rationem eum habere oportet eius, quod heredis intereſt, huiusque diſpoſitionum;

§. 560. At vero, vti heres ipſe contra hereditatem relinquentis voluntatem diſponere nihil poteſt; ita neque executori licet, eiusmodi heredis diſpoſitionibus aſſentire.

Source : BIU Cujas

§. 561. Si de ſenſu diſpoſitionis hereditatem relinquentis inter executorem teſtamentarium et heredem contenditur; in caſu dubio ſententia prioris praeferenda.

§. 562. In quantum executor bonorum alienorum adminiſtrator habetur, in tantum ad rationem reddendam eſt obligatus.

X. Quomodo teſtamenta tolluntur et reuocantur.

§. 563. In quantum voluntatis declaratio omnis factis tollitur, aut caſibus extinguitur (ſ. euaneſcit) in tantum et teſtamentum et codicilli legitimo deſtituuntur effectu.

De reuocatione

§. 564. Vltimae voluntatis diſpoſitio vnilateralis omnis a teſtatore vſque ad mortem pro lubitu in totum aut ex parte reuocari poteſt et mutari.

receptione ex iudicio.

§. 565. Teſtamentum aut codicilli, in iudicio depoſiti a teſtatore ex iudicio recepti validitatem amittunt.

§. 566. Neque vllum inde diſcrimen, ſi ſcriptum ex iudicio receptum adhuc obſignatum, aut alias immutatum in hereditate inueniatur.

§. 567. Si teſtamentum aut codicilli ex iudicio recepti iterum iudicio debent offerri; eadem ſolennia ſunt obſeruanda omnia, quae in teſtamento aut codicillis offerendis generatim ſunt praeſcripta.

§. 568. Teſtamentum vnum idemque in pluribus iudiciis depoſitum, et in iudicio vno vsque ad teſtatoris mortem, qui illud non recepit, aſſeruatum validum manet, licet exemplaria in reliquis iudiciis depoſita fuerint recepta.

§. 569. Repetitione ſola nondum fit inualida diſpoſitio, ſi non fuerit actu recepta.

§. 570. Si teſtator dum teſtamentum a iudicio repetiit, expreſſe declarauit ſuam teſtamentum tollendi aut mutandi voluntatem; validitas et effectus huius declarationis ſecundum regulas, de expreſſa reuocatione datas, diiudicandi. (§. 587. ſqq.)

Source : BIU Cujas

§. 571. Teſtamentum aut codicilli, in iudicio depoſiti, teſtatori tantum ipſi reddantur, aut mandatario ab eo iudicialiter conſtituto.

condito teſtamento nouo.

§. 572. Si in teſtamento nouo oblato teſtamenti prioris heredis inſtitutio mutatur; teſtamentum prius validitatem amittit.

§. 573. Hinc et legata in teſtamento priori relicta ceſſant, quatenus in teſtamento poſteriori non expreſſe ſunt repetita aut confirmata.

§. 574. Quod ſi vero teſtator in teſtamento poſteriori expreſſe declarauit, heredis inſtitutionem teſtamenti prioris quoque valere, atque adeo heredem, in teſtamento poſteriori ſcriptum, vna cum herede in teſtamento priori inſtituto eſſe heredem; legata etiam teſtamenti prioris ſubſiſtunt, quatenus in teſtamento poſteriori non expreſſe ſunt ſublata.

§. 575. Eiusmodi ſublationi expreſſae aequiparandum, ſi teſtator vnam eandemque rem definitam, in priori teſtamento legatario cuidam legatam, in poſteriori alteri legat.

§. 576. In quantum poſteriori teſtamento teſtamentum prius ex hoc praeſcripto validitatem plane amittit; legatariis ex teſtamento priori prodeſſe non poteſt clauſula ſic dicta codicillaris illi adiecta.

§. 577. Si teſtator in teſtamento poſteriori ipſo, aut in eo offerendo expreſſe declarauit, ſe ob ſolam heredis in teſtamento priori ſcripti mortem heredis inſtitutionem mutaſſe; teſtamentum poſterius eſt inualidum, ſi apparet, errorem mutationis cauſam fuiſſe.

§. 578. Quo in caſu teſtamentum prius, ſi in iudiciali cuſtodia manſit, validitatem retinet omnem.

§. 579. Hinc diſpoſitiones teſtamenti poſterioris eatenus tantum valent, quatenus iis teſtamenti prioris diſpoſitiones, excepta heredis inſtitutione, ſunt ſublatae.

§. 580.

Source : BIU Cujas

§. 580. Quo caſu excepto (§. 577. 578.) teſtamentum prius, poſteriori ſublatum, vim et efficaciam non recuperat, ſi vel poſterius ſubſiſtere nequeat; ſed locum habet ſucceſſio legitima.

§. 581. Si vero in teſtamento poſteriori ne requiſita quidem reuocationis validae inueniuntur, teſtamentum prius valet.

§. 582. Si teſtamento poſteriori ex iudicio recepto, prius in iudicio fuerit cuſtoditum; hoc manet validum, niſi alio modo legitimo fuerit reuocatum.

§. 583. Codicillis poſterioribus, quibus legata tantum ſunt relicta, priores in regula non tolluntur.

§. 584. Hinc legata in codicillis vtrisque relicta ſunt praeſtanda, quatenus diſpoſitio poſterior priorem non expreſſe tollit, aut eius eſt generis, vt prior cum hac ſubſiſtere omnino nequeat. (§. 575.)

§. 585. Teſtamento et codicillis ſimul oblatis, codicilli poſt teſtamentum praeſumuntur conditi, niſi ex diebus adiectis aliud appareat.

§. 586. Si in codicillis poſterioribus perſonae, in priori teſtamento iam honoratae, legatum aſſignatur, legatario in caſu dubio, et niſi ex diſpoſitionis poſterioris tenore aliud appareat, legatum poſterius petendi ius tantum competit.

§. 587. In regula diſpoſitionem factam reuocaturus reuocare tantum eo modo poteſt, quo teſtamentum poteſt condere. reuocatione expreſſa,

§. 588. At vero, in iisdem circumſtantiis, et iisdem, quibus quis poteſt diſpoſitionem priuilegiatam condere, requiſitis reuocari etiam poteſt diſpoſitio, antea ſolenniter et iudicialiter facta.

§. 589. At contra, teſtamentum priuilegiatum, requiſitis legitimis conditum, in circumſtantiis, vbi priuilegium locum non amplius habet, reuocari tantum poteſt obſeruatis teſtamenti iudicialis ſolemnis ſ. formalis requiſitis.

Source : BIU Cujas

§. 590. Reuocationis ſub priuilegiatis circumſtantiis factae effectus tamdiu tantum durant, quamdiu teſtamentum ſub iisdem circumſtantiis conditum eſſet duraturum.

§. 591. Si vero teſtamentum prius ex iudicio eſt receptum, effectus huius receptionis ſubſiſtunt, licet reuocatio expreſſa, ob defectum ſolennium legitimorum neceſſariorum, ob tempus elapſum, aut ob aliam cauſam in ſe eſſet inualida.

§. 592. At contra, reuocationis in ſe requiſitis legitimis factae vis et efficacia non infirmatur, licet teſtamentum reuocatum ipſum ex iudicio non ſit receptum.

in primis legatorum,

§. 593. Ad reuocanda legata mera, in iudiciali diſpoſitione relicta, teſtatoris ſufficit declaratio, coram notario et duobus teſtibus facta.

§. 594. Teſtatoris reuocatio extraiudicialis ſola tum tantum ſufficiens poteſt haberi, ſi in ſcriptura, manu propria conſcripta, eſt declarata.

§. 595. Si ſcriptura extraiudicialis, reuocationem continens, a teſtatore tantum eſt ſubſignata, huius ſcripturae tum demum ratio poteſt haberi, ſi reuocationis cauſa mouens ſimul eſt adiecta, et veritati inuenitur conſentanea.

deletione, lineae inductione, cancellatione, corruptione tabularum intuitu diſpoſitionum extraiudicialium,

§. 596. Si in diſpoſitionibus extraiudicialibus legatum in totum, aut legatarii tantum nomen, res, aut quantitas legata eſt linea inducta, deleta, aut alio modo ita corrupta, vt legi nequeat, legatum ſublatum habendum.

§. 597. Reuocari etiam poteſt eiusmodi diſpoſitionum extraiudicialium ſententia contrariis voluntatis declarationibus ſolis; ſimulac eiusmodi hereditatem relinquentis diſpoſitio poteſt probari modo, in caſibus ordinariis ſufficiente.

§. 598. Ad praeſumtiones meras, teſtatorem voluntatem mutare voluiſſe, non attendendum.

Source : BIU Cujas

§. 599. Heres vel legatarius, qui data opera aut culpa lata teſtatoris mortis cauſam praebuit, vel ſine expreſſa reuocatione priuatur commodo, ipſi deſtinato. *ſi teſtator ab herede aut legatario vita fuerit priuatus,*

§. 600. Contrarium tamen obtinet, ſi poteſt cognoſci, hereditatem relinquentem heredi vel legatario remiſiſſe culpam, ex qua caſus aduerſus accidit.

§. 601. Quid obtineat, ſi tempore mortis teſtatoris liberi extant, quorum in teſtamento condito nulla eſt habita ratio, loco ſuo praeſcriptum. (Part. II. Tit. II. Sect. V.) *ob prolem poſtumam,*

§. 602. Si teſtamentum aut codicilli caſu amittuntur, tenoris ſ. ſententiae cognitio per probationem admittitur; *interitu aut amiſſione teſtamenti vel codicillorum,*

§. 603. At vero plena requiritur probatio, quae per iusiurandum ſuppletorium ſuppleri nequit.

§. 604. Si diſpoſitio iudicis culpa lata aut leui eſt amiſſa, hic non tumtus cognitionis tantum ferat, ſed etiam pro negligentiae demonſtratae ratione, puniatur aut ab officio remoueatur.

§. 605. Qui conuincitur, impediuiſſe alium, quo minus teſtamentum condat, priuatur commodis omnibus, quae vi ſucceſſionis legitimae aut teſtamenti ante conditi alias ſuiſſet conſecuturus. *Poena eius, qui alium impedit, quo minus teſtetur,*

§. 606. Qui ad promouendum ſuum commodum, aut ad laedenda iura tertii impedit, quo minus teſtamentum iam conditum iudicio offeratur, iis, qui in eo erant honorati, de commodis ceſſantibus reſpondere tenetur. *aut teſtamentum offerat,*

§. 607. Qui alterum impedit, quo minus teſtamentum conditum reuocet, commoda amittit omnia ſibi legata, et praeter ea plane indemnem praeſtare tenetur eum, cui reuocatio fuiſſet profutura. *aut reuocet,*

§. 608. Qui teſtamentum aut aliam vltimae voluntatis diſpoſitionem celat, non ſolum omnia amittit commoda ipſi deſtinata, ſed etiam adigitur ad ſoluendam, poenae loco, fiſco ſummam eius commodi, quod teſtamento celando percipere cupiebat. *eius, qui teſtamentum celat.*

Source : BIU Cujas

Poena illius, qui vi aut dolo teſtamentum condendum effecit.

§. 609. In quibus caſibus ſecundum praeceptum §. 23-25. teſtamentum ob vim illatam, aut ſollicitationes doloſas pro inualido declarandum, in iis eiusmodi delicti reus quoque priuatur iure legitimo hereditario.

§. 610. Qui ſi ius hereditarium legitimum non habeat, pro ratione circumſtantiarum poena pecuniaria aut corporali ſeuere puniendus.

XI. Corroboratio vltimae voluntatis diſpoſitionis, ratihabendo.

§. 611. Heres vel legatarius, qui vltimae voluntatis diſpoſitionem ſemel ratihabuit, validitatem eius impugnare non amplius poteſt.

§. 612. Expreſſae ratihabitioni aequiparandum, ſi heres legata in teſtamento ſcripta ſine reſeruatione praeſtat, aut ſi legatarius eiusmodi legatum ſine reſeruatione accepit.

§. 613. At legatarius tamen non minus, quam heres legitime eſt audiendus, ſi probare poſſunt, fundamenta ea, ex quibus diſpoſitionem ſunt impugnaturi, poſt ratihabitionem ad eorum notitiam demum peruenisſe.

XII. De teſtamentis reciprocis.

§. 614. Teſtamenta reciproca, quibus alter alterum ſcribit heredem, intuitu heredis inſtitutionis ab hoc factae, non poſſunt condi, niſi inter coniuges.

§. 615. Determinationes propiores eiusmodi teſtamentorum ſuo loco ſunt praeſcriptae. (Part. II. Tit. I. Sect. VII.)

§. 616. Si duae perſonae in teſtamentis diuerſis heredes ſe inuicem inſtituunt, inſtitutione altera ad alteram non relata; diſpoſitio vtraque habenda pro teſtamento per ſe ſubſiſtente.

Sectio Secunda.

De pactis ſucceſſoriis.

§. 617. Pactis quoque ſucceſſoriis contrahens alter alteri, aut vtrique inter ſe reciproce ſibi concedere poſſunt iura in hereditatem futuram.

Facultas perſonalis.

§. 618. Pacta ſucceſſoria celebraturus iisdem facultatibus praeditus ſit neceſſe eſt, quae et ad teſta-

Source : BIU Cujas

mentum condendum et ad contractum ineundum requiruntur.

§. 619. Deficientibus promittenti, quae ad valide contrahendum requiruntur, qualitatibus, pactum succeſſorium, ne quidem tanquam vnilateralis vltimae voluntatis diſpoſitio valet, licet leges contrahenti in ſe hanc condendi concedant facultatem.

§. 620. Eiusmodi tantum res et iura in alterum transferri pactis ſucceſſoriis poſſunt, de quibus per vltimam voluntatem diſponendi ius diſponenti competit. Obiecta.

§. 621. Pacta ſucceſſoria, vti teſtamenta, in iudicio ſunt celebranda, aut ab vtraque parte in perſona iudiciis offerenda. Forma.

§. 622. Teſtamentorum forma priuilegiata in pactis ſucceſſoriis locum non inuenit.

§ 623. Quod ad cuſtodiam, aperturam et retrotraditionem pactorum ſucceſſoriorum attinet, iudicis eſt, obſeruare omnia, quae de teſtamentis praeſcripta ſunt.

§. 624. Pactis ſucceſſoriis ſolis ius paciſcentium, de bonis inter viuos diſponendi, nullis circumſcribitur limitibus. Effectus contrahentibus adhuc viuis.

§. 625. At heres tamen ex pacto ſucceſſorio donationes, quas hereditatem relinquens ob exceſſum iure reuocare potuiſſet, intra terminum legitimum poteſt repetere, licet hereditatem relinquens reuocationi expreſſe renuntiaſſet. (Tit. XI. §. 1094.)

§. 626. Si quis profuſionibus temerariis ſ. expenſis ſubſtantiam rei familiaris ita deminuit, vt ex legibus prodigus ſit habendus; ille, cui ius in eius hereditatem ex pacto ſucceſſorio eſt conceſſum, petere poteſt, vt prodigus declaretur.

§. 627. Vltimae voluntatis diſpoſitiones, pacti ſucceſſorii ſententiae aduerſantes, non admittuntur. In quantum vltimae voluntatis diſpoſitiones contra eius-

§. 628. At vero hereditatem relinquens, niſi huic iuri in pacto expreſſe renuntiauerit, legata, poteſt

Source : BIU Cujas

modi pacta admittuntur.

relinquere, viceſimam hereditatis partem non excedentia.

§. 629. Si pactum ſucceſſorium de definita tantum hereditatis parte eſt celebratum, reliqua bona heredi cedunt in teſtamento denominato, aut eo deficiente, heredibus legitimis.

§. 630. Si vltimae voluntatis diſpoſitio de certa re aut ſumma in pacto ſucceſſorio eſt reſeruata, praecepta tituli vndecimi §. 1087. 1088. locum habent, ſi nulla eſt facta diſpoſitio.

Ius hereditarium.

§. 631. Ex pacto ſucceſſorio reciproco non niſi ſuperſtes ius acquirit hereditarium, et praedefuncti heredes aut poſteri eatenus hereditatem ſuperſtitis futuram petere nequeunt.

§. 632. Si vero in pacto ſucceſſorio ſucceſſionis ordo non ſolum inter paciſcentes ipſos, ſed etiam intuitu heredum et poſterorum eſt definitus; eiusmodi diſpoſitio, quatenus ad bona paciſcentium propria ſpectat, ex regulis fideicommiſſi et ſubſtitutionis fideicommiſſariae diiudicanda. (Part. II. Tit. IV. Sect. II.

§. 633. Succeſſionis ordines perpetui, quibus et poſteri, intuitu bonorum propriorum obligentur, non poſſunt valide conſtitui pactis ſucceſſoriis ſolis, ſed tantum conſenſu familiae. (Part. II. Tit. IV. §. 7. ſeqq.)

Reuocatio.

§. 634. Pacta ſucceſſoria iudicialia, in caſum mortis celebrata, vnilateraliter ſic tantum reuocari poſſunt, vti pacta inter viuos.

§. 635. Si pars vtraque ius, a pacto ſucceſſorio pro arbitrio recedendi, ſibi reſeruauit, negotium tantum habetur teſtamentum.

§. 636. Quidquid de teſtamento reuocando praeceptum eſt, idem valet de reuocando eiusmodi pacto ſucceſſorio. (§. 587. ſeqq.)

§. 637. Simulac altera pars eiusmodi pactum ſucceſſorium reuocat, pactum ſucceſſorium intuitu quoque alterius valore ſuo cadit.

Source : BIU Cujas

§. 638. Sin vero alter ex ſua parte neque pactum ſucceſſorium expreſſe reuocauit, neque alias per vltimam voluntatem diſpoſuit, legata ſubſiſtunt ea, quae ab eo in pacto ſucceſſorio relicta ſunt perſonis aliis, ac iis, quae cum reuocante conſanguinitate aut amicitia ſunt coniunctae.

§. 639. Si alter tantum ſibi ius reuocandi reſeruauit, exinde alteri ius reuocandi nondum competit.

§. 640. Simulac vero ille reuocauit, intuitu etiam huius locum obtinet praeceptum §. 637. 638.

§. 641. In pactis ſucceſſoriis pars ſuperſtes aeque, ac heres teſtamentarius, hereditatem valide poteſt repudiare. Renuntiatio iuris hereditarii.

§. 642. Sed tum quoque iure hereditario ſuo legitimo vti nequit. (Tit. IX. §. 401.)

§. 643. Si in pacto ſucceſſorio ipſo iuri hereditatis repudiandae expreſſe eſt renuntiatum, eo quidem inſiſtendum eſt;

§. 644. At eiusmodi heres ex pacto ſucceſſorio obligari tantum poteſt ad hereditatem adeundam, ſaluo iuris beneficio conficiendi inuentarii.

§. 645. In ſucceſſione etiam ex pactis ius accreſcendi locum habet. De iure accreſcendi.

§. 646. Caeterum pacta ſucceſſoria inter contrahentes tantum tanquam pacta ſubſiſtunt; intuitu vero tertii, cui in pacto quid deſtinatum, et qui ad pactum, conſentientibus paciſcentibus principalibus, non expreſſe acceſſit, vim tantum habent diſpoſitionum voluntatis vltimae vnilateralium. (Tit. V. §. 75-77.) Effectus pactorum ſucceſſoriorum intuitu tertii.

§. 647. Quatenus teſtamenta ob conditiones non exiſtentes, ob mortem hereditatem relinquenti ab herede illatam, aut ob interuentum liberorum legitimorum, vti in genere caſu infirmantur, aut irrita fiunt, eatenus quoque ex iisdem cauſis pacta ſucceſſoria reſcinduntur. (§. 478-518. §. 599-601. 563.) Eorum ſublatio.

Source : BIU Cujas

Pacta succeſſoria inter coniuges.

§. 648. Quid in pactis succeſſoriis inter coniuges iuris ſit, ſuo loco eſt definitum. (Part. II. Tit I. Sect. VII.)

Pacta renuntiatiua.

§. 649. Pacta, quibus hereditati futurae certae renuntiatur, aut diuiſio eiusmodi hereditatis in anteceſſum conſtituitur, inter eos tantum valent, qui ad eiusmodi hereditatem tanquam heredes legitimi ſunt vocati.

§. 650. In alieni fauorem eiusmodi pacta tum demum valent, ſi ille, de cuius hereditate debet diſponi, ad pactum tanquam compaciſcens expreſſe accedit.

§. 651. In vltimo vero caſu hic quoque hereditatem relinquens futurus eiusmodi pacto, tanquam pacto ſucceſſorio proprio, obligatur, neque per teſtamentum, neque per pacta ſucceſſoria poſteriora diſponere quidquam poteſt huic pacto contrarium.

§. 652. Hinc eiusmodi renuntiatio valida iuris hereditarii legitimi ſimul complectitur renuntiationem iuris hereditarii ex vltima voluntatis diſpoſitione; et vice verſa.

§. 653. Si ille, de cuius hereditate futura eiusmodi pactum (§. 649.) celebratur, voluntatis declarationem obligatoriam ſignificandi facultate non gaudet, pactum quidem, vel ipſo non accedente, valide poteſt celebrari;

§. 654. Tum vero conſignatio et celebratio eius iudicialis ad eius validitatem eſt neceſſaria.

§. 655. Ad pacta familiae, quatenus ea alias valide celebrantur, praeceptum §. 650. extendi nequit, licet in iis mentio quoque facta fuiſſet renuntiationum futurarum hereditatum delationum.

§. 656. Pacta, quibus parentes adhuc viui bona liberis ſuis cedunt, pro pactis tantum inter viuos habenda.

Source : BIU Cujas

TITVLVS DECIMVS TERTIVS.

De acquirendo dominio rerum et iurium per tertium.

§. 1. Res et iura factis quoque tertii possunt acquiri.

§. 2. In quantum in genere quis ex pactis, inter alios in suum fauorem initis, ius acquirat, in tituli quinti §. 74. sqq. est praescriptum.

§. 3. Quatenus coniux per alterum coniugem; patres per liberos in patria potestate constitutos; paterfamilias per famulitium; pupilli per tutores; et mercatores per mercaturae adiutores mercenarios (seruitores mercatoriales) acquirunt, suo loco est definitum. (Part. II. Tit. I. Sect. V. Tit. II. Sect. II. Tit. V. Tit. VIII. Sect. VII. Tit. XVIII. Sect. V.)

§. 4. Quibus casibus exceptis, si cui tertii factis res et iura debeant acquiri, in regula expressum mandatum requiritur eius, qui inde acquirat.

Sectio Prima.

De mandatis.

§. 5. Mandatum est voluntatis declaratio, qua quis alteri ius concedit, negotium pro ipso et loco ipsius expediendi. Definitio.

§. 6. Si mandatum est acceptum (s. acceptatum) inter vtramque partem subsistit pactum.

Source : BIU Cujas

Quomodo pactum mandati perficiatur.

§. 7. Vbi ex legibus contractus scriptus non requiritur, ibi mandati contractus perfectus habendus, si alter mandatum alterius ore prolatum, vel tacite tantum accipit s. acceptat. (Tit. V. §. 81. 82.)

§. 8. At vero in eiusmodi casibus, vbi inter contrahentes ipsos pactum scriptum non est necessarium, tertius, qui cum mandatario egit, ad implementum pacti cum eo celebrati contra mandantem agere nequit, nisi mandatarius approbatus (legitimatus) fuerit mandato mandantis scripto.

§. 9. At mandatarium conuenire, atque ab hoc et damni reparationem et iurium cessionem contra mandantem potest postulare.

§. 10. Mandans et in hoc casu contra tertium, quocum mandatarius ipsius nomine egit, actionem potest instituere.

§. 11. In casibus, vbi leges generatim pactum requirunt scriptum, huius loco est mandatum scriptum, ab altera parte datum, et ab altera parte vel tacite tantum acceptum.

§. 12. Quamdiu vero absens, cui mandatum est transmissum, se de accipiendo (s. acceptando) mandato nondum declarauit, vel eo nondum est vsus, contractus nondum perfectus habendus.

Qui ad mandata suscipienda sit obligatus.

§. 13. Quibus auctoritate publica est demandatum officium, certa expediendi negotia, hi negotia ista curanda defugere non possunt nisi idoneis de causis, sine mora indicandis.

§. 14. Qui si respondere cunctantur, mandatum habetur acceptatum, et mandanti non minus sunt obligati, ac si expresse declarassent mandatum se esse suscepturos.

§. 15. Ii quoque, qui suscipiendis certis mandatorum generibus, praemio (s. honorario) dato, quaestum exercent, mandantem sine mora de eo certiorem reddere debent, si mandatum delatum acceptare nolunt.

Source : BIU Cujas

§. 16. Quod ſi negligant, et contra eos praeceptum §phi 14. inuenit locum.

§. 17. Termini, intra quos eiusmodi perſonas (§. 13. 15.) de non acceptato mandato ipſis delato mentem declarare oportet, ex regulis Tit. V. §. 90. ſqq. definiendi.

§. 18. Negotia priuata omnia, quae quis ipſe agendi ius habet, in regula ab ipſo et alteri expedienda poſſunt committi. Quid mandati obiectum eſſe poſſit.

§. 19. Quatenus in cauſis ciuilibus et criminalibus mandatarius partium loco agere poſſit, in ordinatione proceſſus ciuilis et criminalis eſt definitum.

§. 20. Quid iuris ſit, ſi negotia illicita aliis ſunt demandata, in Tit. VI. §. 51. ſeqq. eſt praeſcriptum. Quae mandata non debeant ſuſcipi.

§. 21. Simulac mandantis commodum et mandatarii commodum colliduntur, huic mandatum neque ſuſcipere licet, neque retinere.

§. 22. Neque mandatarius mandata diuerſarum perſonarum, quarum intereſſe eſt contrarium, poteſt ſuſcipere.

§. 23. Qui ſecundum §. 13. ad expedienda certa negotia auctoritate publica ſunt conſtituti, eos in caſu §. 22. mandatum prius, iam ſuſceptum, retinere oportet.

§. 24. Aliis licet, facta renuntiatione legitima mandati prioris, ſuſcipere poſterius.

§. 25. Mandatarius, qui in caſibus §phi 21. 22. mandatum retinet, rei ſtatu mandanti idoneo tempore (§. 17.) non fideliter indicato, mandanti tenetur ad praeſtandum damnum omne inde oriundum.

§. 26. Praeterea in caſu §. 21. quidquid mandatarius egit, quatenus vtile eſt, mandanti ſoli prodeſt.

§. 27. In caſu §phi 22. mandatarii facta in commodum eius, cuius nomine negotium re vera egit, valent, ſi praeuaricationis cum mandatario, in laeſionem aliorum, reum ſe non fecit.

§. 28. In vtroque caſu (§. 21. 22.) factum mandatarii illicitum, in ſuſcipiendis eiusmodi mandatis,

Source : BIU Cujas

tertio, qui bona fide cum eo egit, intuitu mandantis non nocet.

Qui aliis mandata committere, et ea fuscipere possint.

§. 29. Quatenus quis in genere se potest obligare, eatenus tantum obligatur dando et accipiendo mandato.

§. 30. Qui ad se obligandum est inhabilis, nihilominus negotio demandato rite expediendo acquirere potest iura contra mandantem.

§. 31. Iura certo ordini aut quaestui propria aliis neque demandari possunt, neque ab his fuscipi.

§. 32. Cum mandatario, cui deficiunt qualitates, ad ineunda pacta valida requisitae, tertius agere non tenetur.

§. 33. Quod vero si fecerit, negotium, a mandatario mandato conuenienter perfectum et mandantem et tertium in regula obligat.

§. 34. Si vero mandatario in fuscipiendo eiusmodi negotio lex obstitit prohibitoria, negotium est nullum.

§. 35. Si ex defectu qualitatis mandatarii mandanti aut tertio, qui cum illo egit, damnum fuerit ortum; ius laesi, damni reparationem ex mandatarii bonis petendi, diiudicandum est ex regulis in Tit. V. §. 31. seqq. praescriptis.

§. 36. Vbi tertio ius competit, damni reparationem ex mandatarii bonis petendi, in iis casibus, si mandatarius damnum refarcire nequeat, laeso damnum praestare debet is, qui scienter constituit mandatarium inhabilem.

Effectus mandati.

§. 37. Qui mandatum fuscipit, in regula obligatur, vt ipse illud expediat.

I. Iura inter mandantem et mandatarium,

§. 38. Qui si negotium sine mandantis consensu alteri committit; huius facta et culpam tanquam sua praestare tenetur.

a) de facultate substituendi.

§. 39. Si vero mandans mandatario substituti electionem expresse concesserit, mandatarius tantum

Source : BIU Cujas

praeſtat culpam latam aut leuem in eligendo ſubſtituto admiſſam.

§. 40. Caeterum tum inter mandantem et ſubſtitutum, locum habent eadem iura et officia, quae inter mandantem et mandatarium immediatum.

§. 41. Muneris publici negotia nemo proprio auſu alteri loco ſui demandet.

§. 42. Quod ſi nihilominus fuerit factum, ſubſtituti facta ſunt nulla, et hic et eius mandans in ſolidum praeſtant damnum omne, inde ortum.

§. 43. Quod ſi vero ſubſtitutus ad expedienda eiusmodi muneris officia in ſe erat habilis; eo, quod is, a quo ipſo negotium erat expediendum, auctoritate propria eum ſubſtituit, factum ipſum quidem nondum fit inualidum;

§. 44. Attamen, qui auſu proprio alterum ſubſtituit, pro modo circumſtantiarum pecuniae aut carceris poena proportionata eſt afficiendus.

§. 45. Qua tamen poena liberatur munere publico fungens, qui morbo aut alio caſu impeditus per aliquod tempus muneris ſui officiis fungi non potuit, et eiusmodi muneris actus, qui moram non patiuntur, aliis auctoritate publica ad negotia eiusdem generis peragenda conſtitutis, tamdiu demandauit, donec a praeſide muneri inter ea adminiſtrando fuerit proſpectum.

§. 46. Si negotium demandatum eius eſt generis, vt mandatarius illud ſine aliorum auxilio expedire nequeat, de ſociis ſuis eatenus tantum reſpondet, quatenus ipſi in iis eligendis aut obſeruandis leuis culpa poteſt imputari.

§. 47. Idem obtinet, ſi mandatarius incidentibus impedimentis, quae perſonam ſuam afficiunt, aliis fuerit vſus perſonis, ad expediendum negotium, moram non patiens.

§. 48. Qui vero nulla vrgente neceſſitate, auxilio alieno ad negotium demandatum perficiendum eſt vſus, de damno ab eiusmodi ſociis dato omni reſpondet.

Source : BIU Cujas

b) De mandatarii officio, praeceptum mandantis diligenter obſeruandi.

§. 49. A mandantis praeſcripto definito, ad negotium expediendum dato, recedere auſu proprio mandatario non licet.

§. 50. Quod ſi fecerit, mandanti ad damnum omne, inde ortum, reſarciendum tenetur.

§. 51. Si mandatarius, licet a mandantis praeſcripto receſſerit, negotium ipſum in mandantis vtilitatem expediuit, hunc, ſi commodum inde exortum velit capere, ratihabere ſimul oportet, quod mandatarius a praecepto receſſerit.

§. 52. Si mandatarius a praeſcripto receſſit, praeſumtio valet, damnum datum inde fuiſſe exortum.

§. 53. De mandati limitationibus et extenſionibus, ex negotii natura aut cognita mandantis intentione neceſſariis, exiſtimari non poteſt, mandatarium iis a praecepto dato receſſiſſe modo illicito.

c) De gradu culpae, a mandatario praeſtandae,

§. 54. De negotii ſuſcepti exitu mandatarius eatenus tantum reſpondet, quatenus in eo ſuſcipiendo aut expediendo culpam admiſit.

§. 55. In regula mandatarius in expediendo mandato ad eum diligentiae et attentionis gradum obligatur, quem in eiusdem generis negotiis ſuis propriis ſolet adhibere.

§. 56. Si culpae praeſtandae gradus, eo modo erui nequeat; aut ſi mandatum, praemio ſ. ſalario motus ſuſceperit; in genere praeſtat culpam leuem omnem.

§. 57. Si vero mandatum tanquam artis aut rei peritus in ſe ſuſcepit; culpam praeſtat vel leuiſſimam.

§. 58. Artis tamen peritus, qui mandatum abſque remuneratione in ſe ſuſcepit, ad leuem tantum culpam praeſtandam tenetur.

§. 59. In omnibus caſibus, vbi mandatarius, quo minus negotium expediat, caſu impeditur, aut retardatur, mandantem de eo tempeſtiue certiorem reddere oportet mandatarium.

Source : BIU Cujas

§. 60. In genere inter negotii expediendi tempus mandantem, si petat, rei statum praesentem summa fide docere.

§. 61. Negotio perfecto, mandanti est obligatus ad rationes reddendas de negotio expedito. *d*) De rationibus, ad quas reddendas mandatarius mandanti est obligatus.

§. 62. Commoda, quae ex eiusmodi negotio demandato exoriuntur, omnia mandans capit solus, quatenus de alio non fuerit conuentum.

§. 63. Hinc mandatario non licet, mandato accepto eum in finem vti, vt mandante non consentiente commoda sibi inde acquirat.

§. 64. At mandatarius tamen mandati expediendi occasione negotia, cum mandato non coniuncta, in commodum suum agere potest et expedire.

§. 65. Mandans restituere tenetur mandatario impensas in negotio expediendo factas omnes, quatenus necessariae fuerunt aut vtiles. *e*) Obligationes mandantis erga mandatarium ad indemnitatem praestandam.

§. 66. Impensae quae in negotio expediendo solent fieri, habentur vtiles.

§. 67. Impensae, a mandante expresse prohibitae, in computando eatenus tantum ipsi possunt imputari, quatenus re vera in mandantis vtilitatem sunt erogatae, et mandans capit commodum, iis effectum.

§. 68. Impensae necessariae et vtiles, ad mandatarii personam pertinentes, mandatarii qualitate, non mandantis diiudicandae sunt.

§. 69. Quin etiam, si mandatum fuerit rescissum, aut eius expeditio ad irritum ceciderit, mandatarius impensarum, fini conuenienter factarum, iure potest petere restitutionem.

§. 70. Vbi leges non aliud sanciunt, mandatarius iam ante negotium absolutum pecunias, in antecessum suppeditandas, aut restitutionem expensarum iam factarum petere potest. Quatenus mandatarius vsuras, aut

§. 71. Qui si pecuniam in antecessum suppeditandam non petiit, postulare potest summae expen-

Source : BIU Cujas

ſarum factarum vſuras, publico vſu receptas, ab eo tantum die, quo mandanti exhibuit rationem impenſarum, cum teſtimoniis et probationibus neceſſariis.

§. 72. Mandatario vero, qui ſortis ſolutiones mandantis loco praeſtitit, pecuniae ſuppeditatae iam inde ab eo tempore, quo erogata eſt, vſurae legitimae ſunt ſoluendae.

§. 73. Idem obtinet, ſi mandans pecuniam ſuppeditandam poſtulatam iuſto tempore non comparauit; aut ſi mandatarius antequam negotium perficeret, pro caſus circumſtantiis, pecuniam ſuppeditandam neceſſariam exigere a mandante non poterat.

præmia poſtulare poſſit.

§. 74. Praemia non pacta mandatarius tum demum poteſt petere, ſi leges ipſae praemium conſtituunt, aut ſi negotium, quod expediendum ſuſcepit, refertur ad quaeſtum, quem exercet.

§. 75. Si negotia, ad quae expedienda certa hominum claſſis eſt deſtinata, ab aliis, ad hanc claſſem non pertinentibus, modo in ſe licito, praemio pacto fuerint ſuſcepta; neque eiusmodi praemium pactum vnquam excedat taxam, illius claſſis perſonis praeſcriptam.

§. 76. Hinc in comparandis mutuis mandatarius, licet verus proxeneta non ſit, paciſci ſibi nunquam poteſt praemium, legitimum proxeneticum excedens.

§. 77. In negotiis, vbi legitimus praemii modus non eſt praeſcriptus, eius determinatio prorſus a contrahentium conſenſu dependet.

§. 78. Honorarium pro eiusmodi negotio expediendo verbis non definitis promiſſum, deficiente partium conſenſu, ex arbitrio iudicis definiendum.

§. 79. In quo arbitrio ferendo iudici rationi conuenienter reſpiciendum eſt ad determinationes legitimas, in caſibus ſimilibus datas, ad qualitatem contrahentium, et ad tempus atque operam ad expediendum negotium neceſſarias.

§. 80.

Source : BIU Cujas

§. 80. Casus aduersos, mandatario in negotio expediendo accidentes, mandans eatenus tantum praestare tenetur, quatenus ipse culpa vel leuissima ansam eorum praebuit. De damno casuali, quod mandatarius sentit.

§. 81. Attamen damnum casu mero exortum tum quoque est refarciendum, si mandatarius mandantis praeceptum obseruare non potuit, nisi eiusmodi damni periculo expositus.

§. 82. Mandans liberare tenetur mandatarium ab obligationibus omnibus, erga alios occasione expediendi mandati in se susceptis. Mandantis officium, mandatarium liberandi ab obligationibus erga alios in se susceptis.

§. 83. Propter eas, vti ob expensas factas et honorarium petendum, ius ei competit retentionis intuitu earum rerum, quae vi mandati, loco mandantis ad eius manus peruenerunt. (Tit. XX. Sect. II.)

§. 84. Contra vero, si mandatarius eiusmodi res consumsit, alienauit, aut alio modo amisit (possidere desiit), concursu de eius bonis exorto, mandans fruitur ratione earum pretii praelationis iure classis sextae.

§. 85. Quidquid mandatarius, vi mandati accepti, cum tertio agit, mandantem aeque obligat, ac si negotium cum ipso esset actum. II. Jura inter mandantem et tertium *a*) generatim,

§. 86. Si quis fundamento mandati nondum reuocati nisus cum mandatario, et alius cum mandante ipso de vno eodemque obiecto conuentiones celebrauit, quae nequeunt simul subsistere; in regula valet conuentio maturius perfecta. *b*) speciatim, si quis cum mandatario et alius cum mandante ipso egit,

§. 87. At vero, si ex eo, quod conuentio posterior rescinditur, damnum verum is sentit, qui bona fide egit; mandans eum indemnem praestare semper tenetur.

§. 88. Si mandans mandatario pactiones de negotio cum alio ab ipso factas non nuntiauit, pactio valet cum mandatario inita, licet serius quam mandantis pactio fuerit facta.

Source : BIU Cujas

§. 89. Quo vero in casu mandans ei, quocum ipse sine reseruatione egit, tenetur ad praestandum non solum damnum, eo datum, quod a negotio est recedendum, sed etiam lucrum cessans.

c) si mandatarius fines mandati excessit.

§. 90. Quatenus mandatarius mandati limites excedit, eatenus mandans eius factis tertio in regula non obligatur. (§. 51. 67.)

§. 91. Qui in eo est, vt cum mandatario agat, iure postulare potest, vt mandatum producatur.

§. 92. Quod mandatum, si ad singularem instructionem referatur, idem et de hac locum habet.

§. 93. Si instructionis singularis in mandato nulla sit facta mentio, aut si eius productio fuerit prohibita, negotium inter mandantem et tertium ex sola mandati sententia diiudicandum.

§. 94. In causis litigiosis mandatarius nunquam obligatur ad producendam instructionem parti aduersae.

§. 95. Neque iudici ius competit postulandi, vt producatur instructio, ad transigendum data.

§. 96. Si tertius, quocum mandatarius agit, praecepta §. 91. et 92. neglexerit, mandatarium tantum conuenire potest de negotio contra mandantis praeceptum peracto.

§. 97. Si vero mandatarius tantum excesserit fines instructionis ipsi datae singularis, cuius nulla in mandato facta est mentio, aut cuius productio fuit prohibita, praeceptum §. 93. locum habet.

De mandato speciali.

§. 98. Qui ad expediendum negotium certum, nulla limitatione aut relatione ad instructionem singularem expresse adiecta, mandato est instructus, mandantem obligat factis ad expediendum negotium susceptis omnibus, nisi leges mandatum speciale in eum finem requirunt.

§. 99. Mandatum speciale requiritur, 1) si iuramenta remitti aut pro praestitis haberi debeant.

Source : BIU Cujas

§. 100. 2) Si mandatarius iusiurandum in animam mandantis iurare debeat.

§. 101. 3) Si causae decisio arbitri iudicio permitti debeat;

§. 102. 4) si de mandantis iuribus controuersis transactio re vera perfici debeat;

§. 103. 5) si tertio cedi mandantis ius debeat, aut ei renuntiari.

§. 104. Quatenus autem renuntiationes sub certi generis mandatis vi legum singularium simul comprehenduntur, aut in expediendo negotio, mandatario commisso, solent occurrere, eatenus mandatum speciale non requiritur.

§. 105. 6) Si mandatarius res aut pecunias (litis sumtibus solis exceptis) loco mandantis accipere, et acceptarum apocham (quietationem) dare debeat;

§. 106. 7) si mandantis nomine fundi sunt alienandi aut emendi;

§. 107. 8) Si praedii possessoris nomine debitum in librum hypothecarium sit referendum, aut creditoris nomine deletio iurium in tabulis hypothecariis consignatorum est concedenda.

§. 108. At vero mandato legitimo instructus ad accipiendam summam consignatam, eo ipso ius habet, accepta summa soluta eius deletionem concedendi.

§. 109. 9) Donationes omnis generis, quae debent nomine mandantis fieri, mandatum speciale exigunt.

§. 110. Mandata specialia a mandante manu propria scripta et subscripta, aut, si mandatum ab altero iam fuerit conceptum, post demum a mandante manu propria subscripta sint, necesse est. Eius forma.

§. 111. Si mandans scribendi artis est imperitus, mandatum speciale danti obseruanda sunt praecepta generalia in titulo de pactis praescripta. (Tit. V. §. 172. sqq.)

Source : BIU Cujas

§. 112. Charta blanca, in qua nomen tantum est mandantis, negotio, ad quod expediendum mandatum est datum, non determinato; nunquam ad actus sufficit, qui speciale requirunt mandatum.

§. 113. Qui vero chartam dat (s. exhibet) blancam negotio, ad quod expediendum est destinata, non expresso, tueri se nequit contra mandatum nomini subscripto superimpositum, licet id demum post nomen subscriptum fuerit additum.

§. 114. In actibus extraiudicialibus tertii est, qui cum mandatario est acturus, qua ratione de veritate mandati specialis exhibiti certior velit fieri.

§. 115. Quod si vero eiusmodi mandati fundamento in iudicio aliquid peragendum; iudicem petere oportet mandatum iudicialiter aut coram iustitiae commissario et notario datum aut agnitum.

§. 116. Si res aut pecuniae per mandatarium in iudicio accipiendae; mandatum iudiciale requiritur.

§. 117. Si accipiens est extraneus; mandatum sufficit, quod attestatus est notarius in iudicio immatriculatus.

e) De mandato generali.

§. 118. Is etiam, cui a mandante commissa sunt negotia curanda omnia, mandantem actibus speciale mandatum exigentibus eatenus tantum obligat, quatenus isti in mandato generali sunt expressi.

f) De mandato praesumto.

§. 119. Cognati lineae ascendentis et descendentis, coniuges, fratres sororesque et gradus primi patrueles, soceri et generi, affines in casibus, qui moram non patiuntur, omnibus vel sine mandato expresso admittendi sunt ad expedienda eorum negotia, quibus eo modo sunt coniuncti.

§. 120. Idem mandatum praesumtum conceditur rerum aut iurium communium condominis, et litis consortibus in negotio isto communi.

Source : BIU Cujas

§. 121. Idem valet de dominis et magiſtratibus in negotiis praedii ſubditorum et iurisdictioni ſubiectorum.

§. 122. Atque etiam de adminiſtratoribus, et iis, qui ſunt a rationibus (ſ. regiſtratoribus *Buchhaltern*) et officialibus domeſticis, quod ad negotia attinet, a principalibus aut dominis ipſis commiſſa.

§. 123. At vero perſonis iſtis omnibus (§. 119.—122.) ſine mandato ſpeciali ius non eſt ad eos actus, ad quos expediendos leges mandatum ſpeciale deſiderant.

§. 124. Qui ex mandati praeſumti fundamento alterius negotia expedit, hunc ſine mora certiorem de eo reddere, eiusque ratihabitionem debet petere.

§. 125. Qui cum eiusmodi mandatario praeſumto aliquid agit, ei ius competit compellendi mandatarium, vt principalem de eo certiorem faciat; aut vel ipſum eum, cuius negotia aguntur, immediate prouocandi, vt voluntatem ea de re declaret.

§. 126. Et hic quidem, ſimulac ipſi negotium vno aut alio modo fuerit nuntiatum, tenetur ſe declarare, de ratihabendo negotio aut non ratihabendo intra terminos in tituli quinti §. 90. ſeqq. definitos.

§. 127. Quos terminos ſi neglexerit, ſine vlla contradictione pro conſentiente habetur.

§. 128. Quod ſi vero diſſenſum tempeſtiue declarauerit; tertius mandatarium tantum praeſumtum conuenire poteſt de damno vero, ipſi ex eo orto, quod irritum factum negotium.

§. 129. Ex eo, quod chirographus alienus fidei alicuius fuerit commiſſus, nondum ſequitur, ei competere ius, exigendi ſummam in eo ſcriptam. De mandato tacite dato.

§. 130. At contra ille, cui apocha ſummae ſoluendae eſt commiſſa, ad accipiendam ſolutionem mandato inſtructus habetur.

Source : BIU Cujas

§. 131. Cui venditio rei mobilis eſt commiſſa, illi eatenus competit ius accipiendi emtionis venditionis pretium, quatenus ipſi a mandante conceſſa eſt facultas emtori rem tradendi.

§. 132. In eo tantum caſu emtor mandatario ſolutionem praeſtare non tenetur, ſi de ea in mandato ſunt limitationes expreſſae, aut ſi mandantis voluntas contraria alio modo emtori innotuit.

§. 133. At vero mandatum ad vendendam rem immobilem nondum in ſe continet mandatum emtionis venditionis pretium accipiendi.

§. 134. Nullo in caſu praeſumitur, ei, cui mandatum rei vendendae eſt datum, competere ius, emtionis venditionis pretium credendi.

§. 135. Si igitur in caſu in §. 133. adducto mandans voluntatem ſuam non declarauit de modo, quo ſolutio emtionis venditionis pretii praeſtanda ſit, in primis mandantis declaratio petenda.

§. 136. Quam ſi neque mandatarius neque emtor expectare velit, hic debet et poteſt iure ſolutionem ita praeſtare, vt pecuniam in iudicio cum mandantis ſumtibus deponat.

§. 137. In caſibus omnibus, vbi mandatarius ſine mandantis permiſſu expreſſo emtionis venditionis pretium credidit, mandans pacto non obligatur, ſed rem repetere poteſt.

§. 138. Quam ſi emtor non amplius detineat, mandans ad ſoluendum pretium pactum contra emtorem ſtatim agere poteſt.

§. 139. Si vero negotium fuit eius generis, vt ii, qui eiusmodi quaeſtum exercent, pecunia non praeſente vendere ſoleant, mandantem validam agnoſcere oportet fidem a mandatario de pretio habitam, exceptis caſibus in §. 132. definitis.

§. 140. Si quis mutui contrahendi mandato eſt inſtructus, mandatum datum creditori eſt exhibendum.

Source : BIU Cujas

§. 141. Si vero mandatum ad plura negotia pertineat, aut si mutui contrahendi negotium pro medio tantum sit habendum, ad promouendum negotii commissi finem; sufficit, si creditori mandati tantum exemplar descriptum fide munitum exhibetur.

§. 142. Actus quoque, quos mandatarius contra mandantis praeceptum perfecit, accedente mandantis ratihabitione sunt validi. *h*) De obligatione mandantis accedente ratihabitione.

§. 143. Quae quidem ratihabitio etiam declarari potest mandantis actibus, postea factis. (Tit. V. §. 185. — 191.)

§. 144. Hinc si mandans haud ignorans, mandatarium mandati limites praescriptos excessisse, nihilominus sibi vindicat commodum, ex negotio exortum, aut si in se suscipit praestationes, ex actu mandatarii propria auctoritate perfecto prouenientes, ea ratihabitioni expressae aequiparantur.

§. 145. Simulac mandans a mandatario aut a tertio, quocum est actum, certior est factus, mandatarium limites praescriptos mandati excessisse; eum se declarare oportet intra terminos in tit. V, §. 90. seqq. definitos, vtrum negotium ratum habere velit, an minus.

§. 146. Quod si non fecerit, tertio, quocum est actum, de omni damno, ex declaratione ista non facta orto, respondere obligatur.

§. 147. Si quis erga tertium scriptis declarat, se alteri negotium certum expediendum commisisse; eum huius alterius actus cum tertio, declarationi scriptis expressae conuenienter suscepios, ratihabere oportet; licet alteri mandatum verum nullum dedisset.

§. 148. Si declaratio tertio ore tantum est facta, declarans quidem non tenetur ad ratihabendum ea, quae inter hunc tertium et mandatarium sic dictum acta et pacta sunt;

Source : BIU Cujas

§. 149. At vero si tertius mandatario sic dicto eiusmodi pacti fundamento, quid dederit aut praestiterit; declarans eo aeque obstrictus tenetur, ac si ipse ex pacti oretenus initi fundamento idem accepisset. (Tit. V. §. 155. seqq.)

III. Rationes inter mandatarium et tertium, cum hoc agentem.

§. 150. Qui cum mandatario vltra limites mandati praescriptos scienter agit, ei mandante non ratihabente mandatarii facta ius tantum competit, negotium totum rescindendi, et, quidquid dederit aut praestiterit, a mandatario repetendi.

§. 151. At contra, damni reparationem ne a mandatario quidem postulare potest, nisi quatenus hic expresse et scriptis ad damnum reparandum se obligauerit, aut ab eodem dolus fuerit commissus.

§. 152. In quantum mandans damnum, a mandatario expediendo negotio datum, praestare debeat, suo loco est definitum. (Tit. VI. §. 50. — 53.)

§. 153. Qui cum mandatario contraxit, mandantem in regula de implendo pacto conuenire debet.

§. 154. Si mandatarius nomine suo solo contraxit, alter non nisi ab eo pacti implementum postulare potest.

§. 155. Exceptiones et determinationes propiores in negotiis mercatoriis in iure mercatorio sunt definitae.

§. 156. Si quis, cui publica auctoritate expediendorum negotiorum certorum cura demandata est, eiusmodi negotia sui ipsius nomine perfecit; at ex circumstantiis, contrahendi tempore iam existentibus et alteri satis cognitis, apparet, negotii obiectum re vera fuisse res ad officium pertinentes; alteri est electio, vtrum eum velit conuenire, quocum contraxit, an aerarium vel institutum, cui hic est praefectus.

§. 157. Mandatarius, mandante absente a iudice potest impelli ad actus expediendos, quos vi mandati expedire ei licet.

Source : BIU Cujas

§. 158. At vero mandans ab obligatione sua se liberare nequit exceptione, mandatarium, vt officio fungatur, a tertio non fuisse admonitum.

§. 159. In regula et mandanti ius est, mandatum reuocandi, et mandatario, negotii suscepti perfectionem mandanti renuntiandi. Quomodo mandata tollantur,

§. 160. Necesse non est, vt reuocatio vel renuntiatio inter praesentes fiat scriptis. 1) renuntiatione et reuocatio ne.

§. 161. At vero illum, qui a pacto recedit, ab altero mandatum scriptum datum reposcere, vel alteri reddere (s. restituere) oportet.

§. 162. Si mandatum actis iudicialibus est appositum, pacti rescissio iudici indicanda ab eo, qui primus ab eo recedit.

§. 163. Mandans, negotio nondum perfecto mandatum reuocans, tenetur mandatario non solum ad restituendas expensas iam factas, sed etiam ad resarciendum damnum, quod eo alia ratione est passus.

§. 164. Mandatarius, simulac ipsi innotuit mandantis reuocatio, mandantem ipsum, aut eum, quem mandans ipsi substituit, et indicauit, negotia nondum perfecta fideliter debet docere, et exhibere omnia, quae ad negotia continuanda pertinent.

§. 165. Non tenetur ad negotium vllo modo continuandum.

§. 166. Quatenus tamen continuatio negotiorum inchoatorum moram non patitur, et mandans de iis sigillatim nihil disposuit; ei, qui eo vsque mandatarius fuit, competit ius, negotia in tantum curandi, in quantum necesse est ad auertendum damnum alias ineuitabile.

§. 167. Si mandatario negotium fuerit commissum cum certa persona definita peragendum; aut si mandanti alio modo innotuerit, quocum mandatarius tractauerit; mandantis mandatum reuocantis est, tertium de eo certiorem facere.

Source : BIU Cujas

§. 168. Quod ni fecerit, mandans agnoſcere tenetur tractatus, a mandatario ex mandati fundamento actos; licet iam poſt factam, quae tertio vero non innotuit, reuocationem perfectos.

§. 169. Si mandanti damnum eſt inde exortum, ideo contra mandatarium agere debet.

§. 170. Quo caſu excepto (§. 167.) et ſi mandans ignorat, quocum mandatarius de negotio commiſſo egerit, mandantem non obligant ea, quae mandatarius geſſit, reuocatione iam accepta.

§. 171. Si mandatarius eiusmodi tractatus, reuocationem factam reticens, cum tertio perfecit, hic de damno, ex negotii nullitate oriundo, conuenire mandatarium debet.

§. 172. Mandatarius, qui mandatum ſibi commiſſum renuntiat, inchoata negotia vel ipſe, vel per ſubſtitutum, (§. 38. ſeqq.) eo vsque continuare tenetur, donec mandans iis continuandis alio modo poteſt proſpicere.

§. 173. Mandans contra obligatur ad proſpiciendum ſine mora iis continuandis, ſimulac renuntiatio in eius notitiam venit.

§. 174. Ab eo temporis momento, quo mandans, vel leui tantum culpa, moram in proſpiciendis mediis neceſſariis commiſit, ab eo, qui eo vsque fuit mandatarius et negotium non amplius continuauit, damni reparationem petere amplius nequit.

§. 175. Si mandatarius poſt illud temporis momentum, vel ipſe vel per ſubſtitutum ſuum negotium continuauit, renuntiatione ab ipſo facta non expreſſe reuocata; res diiudicanda eſt ſecundum praecepta ſectionis ſubſequentis.

§. 176. Si mandatum ſpectauit ad negotium iudiciale, mandatarium, mandatum renuntiantem, eodem tempore iudicem de renuntiatione facta certiorem facere oportet.

Source : BIU Cujas

§. 177. Quo facto iudex, ratione praesentium circumstantiarum habita, tempus definiat, ad quod ille, qui hucusque fuit mandatarius, negotium adhuc continuare debeat, et mandantem de eo certiorem reddat.

§. 178. Contra mandantem, qui intra tempus praefinitum rebus suis non prospexit, adhibendo media necessaria, praeceptum §phi 174. locum habet.

§. 179. In negotiis extraiudicialibus mandatario licet, in iudicio etiam renuntiare, et renuntiationem, at suis sumtibus, mandanti iudicialiter insinuandam curare.

§. 180. Si mandanti petente mandatario praefixus est certus terminus ad prospiciendum iis, quae sunt necessaria; mandans hoc termino frustra praetermisso ex mora culposa egisse praesumitur.

Reuocatio subſtitutionis.

§. 181. Mandati reuocatio extenditur quoque ad subſtitutionem, a mandatario factam.

§. 182. Si autem subſtitutus a mandante ipso est denominatus, mandati principalis reuocatio subſtitutionis reuocationem tunc demum inuoluit, si mandantis animus, de negotio prorsus desistendi, apparet.

§. 183. Mandatarius subſtitutum arbitrio suo institutum commutare pro lubitu potest.

§. 184. Subſtitutus vero a mandante ipso denominatus, sine mandantis consensu a mandatario excepto necessitatis casu, cum alio commutari non potest.

1) Reuocatio tacita.

§. 185. Simulac negotii continuatio cum mandantis dispositionibus vlterioribus consistere nequit, mandatum tacite reuocatum habendum.

2) Morte.

§. 186. Contrahentium alterutrius morte in regula finiuntur mandata omnia, nisi sint in heredes expresse directa.

§. 187. At vero mandatarii heredes tenentur, mandanti non solum mortem sine mora nuntiare, sed inchoata etiam negotia, vsque donec a mandante alio

Source : BIU Cujas

modo poteſt proſpici, eatenus continuare, quatenus neceſſe eſt ad auertendum, damnum alias ineuitabile.

§. 188. Ad quod quidem poſterius mandatarius eſt obligatus, ſi morte mandantis mandatum eſt finitum.

§. 189. Si mandans vel eius heredes in proſpiciendis et adhibendis aliis mediis neceſſariis ſe morae reos reddunt, praecepta §phi 174. locum obtinent.

§. 190. A regula, morte mandantis mandatum finiri, poteſt excipi, ſi negotium ita eſt natura ſua comparatum, vt poſt mandantis mortem demum poſſit peragi.

§. 191. De negotiis mercatoriis valet praeſumtio: ea et mortuo mandante continuanda eſſe ab eo, cui ſunt commiſſa.

§. 192. In cauſis etiam proceſſualibus mandatum non tollitur morte mandantis.

§. 193. Nec morte mandatarii finitur ſubſtitutio, facta a mandante ipſo, aut mandatario principali, vi iuris ſubſtituendi expreſſe ipſi conceſſi.

§. 194. In caſibus omnibus, vbi mandato principali ſublato, ſubſtitutio durat, ſubſtituto ius eſt et obligatio incumbit, negotium, tanquam mandatarius principalis, continuandi, vſque donec mandans alio modo diſpoſuit.

§. 195. Mandata, vi officii alicui data, poſt mortem etiam mandantis manent.

3) Exorta inhabilitate.

§. 196. Quae de reſcindendo pacto, morte vnius aut alterius contrahentis praecepta ſunt, eadem quoque in eo caſu valent, ſi alter eorum ſuis rebus praeeſſe amplius nequit.

4) Exorto concurſu.

§. 197. Simulac mercatoris bona ad concurſum redierunt, aut hic ſoluere ſe non poſſe publice declarat, mandata ei commiſſa pro reuocatis habenda.

§. 198. Curatores bonorum eius a iudicio conſtituti tenentur, committentem ſine mora certiorem de eo

Source : BIU Cujas

facere, et vſque donec hic alio modo poteſt diſponere, negotium eatenus tantum curare, quatenus ad auertendum damnum ineuitabile neceſſario continuandum eſt.

§. 199. Concurſu de mandantis bonis exorto, mandatarius a continuando negotio, in quantum ſine manifeſto maſſae detrimento fieri poteſt, debet deſiſtere, donec ipſi a curatoribus praeceptum vlterius datum eſt.

§. 200. Negotium cum tertio perfectum, antequam huic mandantis mors aut inhabilitas exorta innotuit, valet, licet mandatarius mandantis mortem et inhabilitatem iam nouerit.

De mandatariis pluribus.

§. 201. Si mandatarii plures vnum idemque negotium communiter expediendum ſuſceperunt, quisque mandanti ad negotium perficiendum in totum obligatur.

§. 202. Si vero mandatum eſt tale, vt ſuſcipientium quisque, pro quaeſtu, quem exercet, certam tantum negotii partem perficere poſſit; de iis non praeſumitur, ſe communiter ad perficiendum negotium totum obligare voluiſſe.

§. 203. Si mandatariorum plurium vnus mandatum ſolus rite expediuit, reliquos etiam ab obligatione ſuſcepta liberat.

§. 204. A ſociis ſuis, quorum negotia ab eo ea ratione vtiliter ſunt geſta, expenſarum factarum reſtitutionem iure poteſt petere.

§. 205. Ex cuius culpa in negotio expediendo damnum ortum eſt, is ſociis ſuis de eo ſetisfacere debet, quatenus hi damnum mandanti praeſtare tenentur.

§. 206. Facta vnius plurium mandatariorum, ad vnum idemque negotium conſtitutorum, ſemper valent, ſi mandanti iura et commoda inde acquiruntur.

Source : BIU Cujas

§. 207. At contra, mandans factis vnilateralibus vnius plurium mandatariorum, contra fuam voluntatem fuſceptis, non obligatur.

§. 208. Niſi ex mandati ſententia mandantis fuerit animus, vnum idemque negotium expediendum committere mandatariis pluribus, vel in ſolidum, vel cuiuis eorum ſoli (adiecta clauſula: iunctim aut diuiſim — *ſammt oder ſonders*).

§. 209. In caſu §. 202. mandatariorum plurium quisque ſolus mandantem obligat certa negotii parte ſibi commiſſa.

De pluribus mandantibus.

§. 210. Mandatarius, cui mandatum a pluribus datum, iis et coniunctim tantum rationem reddere tenetur. (Tit. V. §. 450. — 453.)

§. 211. Mandantes plures, quod ad eorum obligationem erga mandatarium attinet, debendi correi habendi. (Tit. V. §. 424. ſeqq.)

§. 212. Si a mandantibus pluribus ad continuandum negotium praecepta dantur contraria; in rebus indiuiduis illud debet ſequi, quod omnibus, quorum intereſt, minime eſt nociturum.

§. 213. At mandatarius tamen damnum reſarcire non tenetur, ſi in caſu dubio, illud praeceptum ſequitur, quo conſeruatur res in ſtatu, quo fuit eo vsque.

§. 214. Mandati renuntiatio a mandatario omnibus mandantibus fiat neceſſe eſt.

§. 215. Vti mandantis vnius mors mandatum non tollit; ita nec vnius reuocatio.

§. 216. Qui effectus inter mandantes ipſos eo producantur, ſi vnus eorum moriatur, aut mandatum velit reuocare, ex regulis condominii diiudicandum. (Tit. XVII.)

De conſilio et commendatione.

§. 217. Quidquid alicui in negotiis propriis ſuis demandatum ſ. commiſſum eſt, pro conſilio tantum aut commendatione habendum.

Source : BIU Cujas

§. 218. In regula ille tantum, qui ſcienter conſilium malum dedit, aut commendationem noxiam, de euentu aduerſo reſpondere tenetur.

§. 219. At rei peritus, in artis aut ſcientiae ſuae rebus male conſulens, culpam praeſtat latam.

§. 220. At vero et culpam leuem praeſtare tenetur, ſi mercede aut honorario ductus dedit conſilium.

§. 221. Qui rei peritus non eſt, de culpa etiam leui reſpondet, ſi in negotiis aliis mercede aut honorario motus dedit conſilium.

§. 222. Quae commendationes effectum fideiuſſionis habeant, ſuo loco definitum. (Tit. XIV. Sect. III.)

§. 223. Sic etiam de mercatorum commendationibus in iure mercatorio propiora praeſcripta ſunt. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VI.)

§. 224. Mandata, quibus quis iuſſu eius, cui obedire eum oportet, in eiusdem rebus priuatis obtemperat, in regula quidem ex mandatorum legibus diiudicantur;

§. 225. Hinc et ſubiectus, nomine praepoſiti negotium cum tertio acturus, ad illud expediendum iuſſo praepoſiti ſcripto legitimare ſe debet;

§. 226. At eiusmodi iuſſo ſcripto non opus eſt, ſi negotium ad ea officia pertinet, ad quae perficienda ſubiectus praepoſito eſt obligatus, vi rationis et neceſſitudinis eorum, legibus definitae.

§. 227. Praecepta propiora de iuſſis, facta illicita perpetrandi, in titulo ſexto §. 45 — 49. data.

Sectio Secunda.

De negotiorum alienorum geſtione ſine mandato.

§. 228. In regula nemini competit ius, ſe im- Principia.
miſcendi negotiis alterius ſine eius mandato aut alio iure ſingulari, legibus expreſſis ipſi tributo.

Source : BIU Cujas

§. 229. Quod qui fecerit, non minus domino, quam tertio, qui cum eo egit, respondere tenetur.

§. 230. At nemini licet, rerum vel factorum alienorum commoda sine iure singulari sibi vindicare, et cum damno alterius locupletari.

Iura illius, qui negotia alterius sine mandato vtiliter gessit.

§. 231. Qui igitur ex negotio sine mandato ab altero gesto verum commodum sentit, alterum, in quantum commodum sufficit, indemnem praestare tenetur.

§. 232. Locupletatus ille habetur, cuius bona alterius impensis aut factis, pro quibus pretium ei solet solui, sunt conseruata, aucta, aut ad meliorem statum euecta.

§. 233. Si alter eiusmodi factis id tantum praestitit, ad quod efficiendum iam erat obligatus, ille, cuius negotia ea ratione vtiliter sunt gesta, eo non habetur locupletatus.

Si negotia ad auertendum damnum imminens sunt gesta.

§. 234. Qui alterius negotia gerit, vt damnum auertat, rationibus collectis probabiliter imminens, iure expectare potest domini ratihabitionem.

§. 235. Et dominus, licet negotia ita gesta rata non habuerit, nihilominus restituere tenetur expensas ad damnum auertendum vtiliter factas.

§. 236. Quod quidem vel tum locum obtinet, si res postea, sine culpa negotium gerentis, nihilominus interierit.

§. 237. Alienorum negotiorum gestor, qui ea gerit eo tantum animo, vt damnum imminens auertat, non nisi culpam latam praestat.

Si negotia ad commodum promouendum sunt gesta.

§. 238. Qui vero ad gerenda aliena negotia, sine mandato accedit, eo tantum animo, vt alterius commodum promoueat, curare debet, vt alter negotia habeat rata.

§. 239. Quae ratihabitio si expresse et sine limitatione est subsecuta, inter vtrumque eadem, quae inter mandantem et mandatarium, oriuntur iura et officia.

§. 240.

Source : BIU Cujas

§. 240. In quantum is, cuius negotia geſta ſunt, ratihabitionem recuſat, in tantum et renuntiare debet commodo, ex geſtis negotiis orto.

§. 241. Qui commodum ſemel cepit, haud ignorans, ex negotiis ſine ſuo mandato geſtis illud eſſe exortum; negotiorum geſtori, at non niſi quatenus commodum ſufficit, damnum reſarcire et expenſas reſtituere tenetur.

§. 242. Si ille, cuius negotia ſine mandato geſta ſunt, commodo renuntiat; negotiorum geſtor ſumtibus ſuis rem in ſtatum priſtinum reſtituere, et domino damnum reparare tenetur.

§. 243. Si res in ſtatum priſtinum reſtitui nequit, et ſi commodum, quod in dominum ex negotio geſto redundat, manifeſte maius eſt damno, domino in vtroque ſimul eſt acquieſcendum.

§. 244. Si vero commodum praeualere non clare appareat, dominus poſtulare poteſt, vt geſtor totum negotium ſumtibus ſuis ſuſcipiat, et damnum inde ortum ei reſarciat.

§. 245. Qui negotia aliena ſine mandato eo tantum gerit animo, vt domini vtilitatem promoueat, iam culpam leuiſſimam praeſtare tenetur.

§. 246. Praecepta antecedentia ſine diſcrimine valent, ſiue is, cuius negotia ſine ſuo mandato geſta ſunt, abſens fuerit, ſiue praeſens.

§. 247. Si is, cuius negotia ſine mandato ſunt geſta, antequam aut dum gerebantur, rei notitiam habens, negotium gerendum, ſimulac ei in notitiam venit, non prohibuit, antequam abſoluebatur; negotium ipſum ratihabere eum oportet.

§. 248. At vero negotiorum geſtori, eatenus tantum eſt obligatus, quatenus commodum ſuum re vera eſt promotum.

§. 249. Qui ſuſcepit negotia expreſſe prohibentis, iura aliena laedit, atque adeo reſarcire tenetur Si quis prohibentis negotia geſſit.

Source : BIU Cujas

omne damnum, vel casuale, quatenus hoc non fuisset oriturum, si negotiis alienis se non immiscuisset.

§. 250. Domino etiam respondet de lucro inde cessante, quod proprio usu negotio se immiscuit.

§. 251. Quod si vero dominus lucrum, ex negotio, quod interdixit, gesto exortum, capere velit, in hoc quoque casu praeceptum §. 241. locum obtinet.

§. 252. Qui haud ignorans, dominum absentem aut alio modo impeditum negotia sua alteri expedienda commisisse, se immiscendo eiusmodi mandatarium impedit, quo minus mandatum perficiat, in casibus omnibus non solum damnum verum resarcire, sed etiam lucrum cessans praestare tenetur.

Rationes inter dominum et negotiorum gestorem.

§. 253. Qui secundum principia in antecedentibus exposita eo, quod negotiis alienis se immiscuit, damni reparationem alteri praestare debet, semper ius habet, lucrum, quo affecit alterum, cum damno compensandi.

§. 254. Cui secundum eadem principia, ob negotia aliena, sine mandato gesta, remuneratio iure competit, ei lucrum, quod ex negotiis gestis ipse percepit, deducitur.

§. 255. Impensae in eiusmodi negotium factae pro rata diuiduntur commodi, quod eorum, quorum interest, quisque inde sentit.

§. 256. Quilibet, qui negotia aliena gessit, factorum suorum, accepti, et expensi rationes accuratas reddere debet.

Quamdiu obligatio gestoris duret.

§. 257. Qui semel alienum negotium, inscio domino, expediendum suscepit, illud vsque dum prorsus absoluatur, continuare debet, nisi domino, re cognita, aliud videatur disponendum.

De communi alienorum et propriorum negotiorum gestione.

§. 258. Qui aliena negotia gessit vna tantum cum suis, et dum sua gerebat negotia, is nihilominus, quod ad negotia aliena attinet, diiudicatur ex principiis in antecedentibus expositis.

Source : BIU Cujas

§. 259. Si vero negotium alienum cum ſuo eo nexu erat coniunctum, vt neutrum ſine altero expediri poſſet; ratio inter expedientem et dominum ex regulis ſocietatis ſine pacto ortae definienda. (Tit. XVII. Sect. I.)

§. 260. At vero et in hoc caſu is, cuius negotia geſta ſunt, eatenus tantum eſt obligatus, quatenus, quod inde percepit, commodum ſufficit.

§. 261. Error gerentis in perſona eius, cuius negotium ſe ſuſcepiſſe putat, commiſſus, reſpectu negotii ipſius eiusque effectuum legitimorum nihil mutat.

Sectio Tertia.

De verſione in rem vtili.

§. 262. Is, ex cuius bonis aliquid in alterius vtilitatem eſt verſum, illud vel in natura iure repetere, vel poſtulare poteſt, vt pretium reſtituatur. Principia.

§. 263. Si res data in alterius bonis re vera adhuc extat, dans contentus eſſe debet, ſi eam recipit, qualis eſt.

§. 264. Si res non amplius extat, alter pretium eatenus tantum praeſtat, quatenus illud in ſuam vtilitatem re vera eſt verſum.

§. 265. Quae quis, qui de bonis ſuis libere poteſt diſponere, pecunia aut rebus, quae pecuniae habent valorem, accepit, ſine probatione vlteriori habentur vtiliter verſa. Quae ſint verſiones vtiles.

§. 266. At ſi probari poteſt, accepta caſu interiiſſe, antequam accipiens vtilitatem inde percepit; obligatio reſtituendi eo ſolo, quod rem accepit (ſ. recepit) non adeſt.

§. 267. Si is, in cuius vtilitatem res dicitur verſa, eam non ipſe accepit, aut ſi is eſt talis, cuius facultatem de rebus ſuis diſponendi leges circumſcribunt; probanda eſt conuerſio vere facta, ſi rei non amplius extantis pretii poſtulatur reſtitutio.

Source : BIU Cujas

§. 268. Quae ad sumtus necessarios et vtiles pro alio impendendos dantur, in eius vtilitatem conuersa habenda.

§. 269. Expensae, ad quas erogandas quis ex legibus obligatur, sunt necessariae.

§. 270. Pro quibus et habendae eae, quae sine mali maioris periculo euitari non poterant.

§. 271. At expensae tamen posterioris generis pro eo factae, qui facultate de rebus suis disponendi non gaudet, tunc tantum habendae vtiliter conuersae, si periculum erat tam graue, vt ad disponendum inhabili deesset tempus, impetrandi eorum, sub quorum est cura, consensum ad hoc negotium expediendum alias necessarium.

§. 272. Quidquid rei pretium, aut bona hominis re vera auget, huic est vtile.

Iura, ex versione vtili oriunda.

§. 273. In regula obligatio ad restituendum iam adest, si mutatio in melius versione facta semel fuit promota, licet temporis successu iterum interierit.

§. 274. Inhabilis autem ad restituendum eatenus tantum conueniri potest, quatenus restitutionis petitae tempore, adhuc in possessione versatur commodi, ex conuersione in rem orti.

§. 275. Quod si vero res melior reddita, post versionem factam, ex pacto oneroso transiit in tertii dominium; hic illi, ex cuius bonis conuersio est facta, non est obligatus.

§. 276. At vero, si tertius dominium rei gratis acquisiuit; de versione eatenus respondet, quatenus eo, quo rei dominium acquisiuit, tempore commodum conuersione effectum re vera extitit.

§. 277. Quaecunque in antecedentibus de versione vtili praecepta sunt, ea tantum in eo casu valent, si nullum inter partes adest pactum legitimum.

§. 278. Quid intuitu pacti, cui forma solemnis deest, iuris sit, in titulo quinto, est expositum. (Tit. V. §. 156. seqq.)

Source : BIU Cujas

§. 279. Qui ex bonis alienis pecuniam aut res, pecuniae valorem habentes, dolose in ſuam redegit poteſtatem, ſemper ad omne damnum plane reſarciendum eſt obligatus. (Tit. VI.)

§. 280. Quaecunque alicui data ſunt aut praeſtita beneficentiae et liberalitatis animo, vel perſpicue declarato, vel ex legum praeſcriptis praeſumendo; ea, exceptione, quod alter iis ſit locupletatus, non poſſunt repeti, neque peti poteſt eorum reſtitutio aut compenſatio. (Tit. XI. Sect. IX.)

TITVLVS DECIMVS QVARTVS.

De mediis, dominium et iura conſeruandi.

§. 1. Dominium rerum et iurium poſſeſſione eorum, et mediis conſeruatur omnibus, quae leges ad conſeruanda poſſeſſionis iura concedunt. (Tit. VII. §. 137. ſeqq.)

§. 2. Eo quoque, quod alius rem domini nomine detinet, domino rei dominium conſeruatur. (Sect. I. II.)

§. 3. Iura eiusmodi detentoris, qui alterius nomine rem poſſidet, erga tertium definienda ſunt ex praeceptis legum (Tit VII. l. c.), et erga dominum in primis ex pacto, inter eos ſubſiſtente.

§. 4. Ad auertendas etiam laeſiones futuras, dominus auxilio gaudet legum, mediis ad eas auertendas in iis indicatis. (Sect. III. IV. et V.)

§. 5. Illi, cui res aut ius in futurum ex legibus aut voluntatis declaratione defertur, ad conſeruandum ius ſuum futurum eadem competunt remedia, quae domino cuique ex lege ſunt conceſſa.

§. 6. At vero conſeruatio dominii rei ipſius, in regula domini praeſentis arbitrio eſt relinquenda.

Source : BIU Cujas

§. 7. Qui vero si impediatur, quo minus remedia legitima adhibeat, aut si ea negligat; ille, cui ius in futurum est delatum, iis remediis eatenus iure vti potest, quatenus opus est, ne futura rei aut iuris delatio euertatur aut obscuretur.

§. 8. Propiores de his determinationes in diuersis rerum iuriumque delationis generibus sunt sancitae.

Sectio Prima.

De depositi contractu.

Definitio. §. 9. Si cui res ea lege est tradita, vt eam custodiat, et in posterum reddat, inter partes depositi contractus subsistit.

Forma. §. 10. Ad cuius negotii validitatem contractus scriptus non requiritur, sed alia quoque sufficiunt probandi media de eo, quod actum est.

Obligationes depositarii in custodiendo. §. 11. In quouis casu depositarius tantum obligatus est ad rem commissam eadem diligentia custodiendam, quam adhibere in eiusdem generis rebus suis solet.

§. 12. Si exinde culpae praestandae gradus accurate definiri nequit, et si custodiendi modus suo arbitrio prorsus est permissus; culpam tantum latam praestat.

§. 13. Idem obtinet, si modo, quo res sit custodienda, in pacto aut alio modo a deponente ipso definito, depositarius proprio ausu modum non commutauit.

§. 14. Si vero custodiendi modum proprio ausu et sine necessitate commutauit, praestat damnum inde exortum omne.

§. 15. In casu necessitatis omni, depositario non solum ius est, sed obligatio etiam incumbit, custodiae locum et modum, licet in contractu definitos, mutandi.

Source : BIU Cujas

§. 16. At depositarii est, deponentem, quatenus huius domicilium ipsi notum est, de mutatione facta sine mora certiorem reddere, et eius dispositionem vlteriorem exspectare.

§. 17. In casibus omnibus, vbi custodia, mercede promissa interueniente, est suscepta, depositarius culpam leuem praestat.

§. 18. Idem obtinet, si quis ad rem custodiendam vltro, sine necessitate et a deponente non rogatus, se obtulit.

§. 19. Si quis rem sub praetextu, eam custodiendi, mala fide in suam possessionem redegit; iacturam etiam et damnum casu exortum praestat, vti malae fidei possessor omnis. (Tit. VII. §. 240-242.)

§. 20. Depositario ius competit, exorto iacturae periculo, rem suam rei custodiendae commissae praeferendi.

§. 21. Depositarius, qui ad rem alienam conseruandam rem suam perdidit, aut laesioni exposuit; restitutionem eius et indemnitatem petere potest.

§. 22. Si damnum, quod ex iactura rei e periculo conseruatae exoriturum fuisset, reparari non poterat, ita, vt res tota fuisset peritura, aut inutilis facta; depositarius restitutionem vsque ad totum rei pretium postulare potest.

§. 23. Si vero damnum, conseruatione auersum sumtibus minoribus impendendis reparari poterat; hi tantum sumtus normam constituunt indemnitatis depositario praestandae.

§. 24. Sine deponentis consensu, aut sine iudicis iussu depositario rem sibi commissam alteri nulli exhibere licet. Depositarii obligationes in restituendo.

§. 25. Quod si nihilominus fecerit, de re et rei pretio eo vsque est obligatus, donec deponens depositarii factum expresse aut tacite ratihabuit.

§. 26. Si cui res obsignata aut clausa custodienda est commissa, in statu eodem est restituenda.

Source : BIU Cujas

§. 27. Si in reſtituendo ferae (ſ. feracula) et ſigna (ſ. ſigilla) reperiuntur illaeſae, depoſitarius, de rebus incluſis non reſpondet, niſi doli ſeu culpae latae conuincatur.

§. 28. Seris autem et ſigillis reſignatis aut laeſis, contra depoſitarium eſt praeſumtio, feras et ſigilla ipſo concurrente eſſe reſignatas aut laeſas.

§. 29. Hinc de damno rei dato aut iactura omni, quae poteſt probari, tenetur.

§. 30. Si res depoſitas, incluſas aut obſignatas, ad conſignationem recepit; deponens, quod ad pretium rerum, quae deſunt, attinet, deficientibus aliis probandi mediis, ad iusiurandum poteſt admitti.

§. 31. Si deponens depoſitario, dum ciſtam deponeret, rerum in ciſta obſignatarum et claſarum qualitatem vel generatim tantum indicauit; deponentis iusiurandum, ſi veritas alio modo erui nequeat, admittitur quoque intuitu rerum quantitatis.

§. 32. At deponens tamen tum ſaltem docere debet; ſe tempore, quo facta depoſitio, res eius generis re vera poſſediſſe; atque etiam ex ordine, quaeſtu, aut re familiari (ſ. ſubſtantia) et ex circumſtantiis exploratis reliquis probabile ſit neceſſe eſt, rerum iſtarum quantitatem indicatam poſſidere eum potuiſſe.

§. 33. Praeſumtio in antecedenti §. 28. contra depoſitarium adducta ceſſat, ſi depoſitarius caſum, quo fera aut ſignum laeſa, aut circumſtantias docet, in quibus eiusmodi laeſiones, ipſo non concurrente, probabiliter fieri potuerunt.

§. 34. Attamen depoſitarius, qui ea exceptione tueri ſe cogitat, eiusmodi caſum deponenti praeſenti, aut eo abſente iudicio ſine mora indicare tenetur.

§. 35. In genere depoſitarius omnis, in cuius cuſtodia et poſſeſſione res depoſita laeditur aut amittitur, deponentem ad ſummum intra tres dies, poſt damnum aut iacturam ipſi cognitam, de ea re certiorem

Source : BIU Cujas

facere debet, quo deponens, ſi ei fuerit viſum, legitimam cauſae et rerum circumſtantium cognitionem ſtatim petere poſſit.

§. 36. Quod ſi neglexerit, et ſi eo demum tempore, quo repetitur depoſitum, ad laeſionem aut iacturam rei prouocat, docere eum oportet, laeſionem aut iacturam exortam eſſe mero caſu, qui auerti non potuit, ſine vlla ex ſua parte culpa commiſſa, ne quidem leuiſſima.

§. 37. Praeterea plene ea probet, neceſſe eſt, nec ad probationem ſupplendam admitti poteſt ad iusiurandum neceſſarium.

§. 38. Si eo, quo depoſitarius laeſionem aut iacturam cognoſcit, tempore deponentis domicilium eſt ignotum, aut ſi hic extra prouincias regias degit, rem, vti in §. 35. eſt praeſcriptum, indicare depoſitarius iudicio loci debet.

§. 39. Quod quidem in caſum ſummarie et in tantum inquirit, in quantum opus eſt, ad praecauendam tempore longiori elapſo veri obſcurationem.

§. 40. In eruendo rei amiſſae pretio, quod eſt reſtituendum, locum inueniunt praecepta legitima generalia pro doli aut culpae gradu, a depoſitario praeſtando.

§. 41. Res deponenti reſtituenda eſt cum omnibus acceſſionibus et meliorationibus, ex re ipſa exortis.

§. 42. At contra depoſitario ius eſt, petendi impenſas in rem conſeruandam factas, et reparationem damni, ipſi ex deponentis culpa vel leuiſſima orti.

§. 43. Si res ob incendii, inundationis, belli aut aliud periculum praeſens eſt depoſita; deponens, quod ad laeſionem depoſitario ortam attinet, de leui tantum culpa reſpondet.

§. 44. Ad rem meliorandam depoſitario neque obligatio incumbit, neque ius eſt.

§. 45. Quod ſi nihilominus fecerit, ex regulis tituli antecedentis (§. 238. ſeqq.) eſt diiudicandus.

Source : BIU Cujas

Quamdiu obligatio cuſtodiendi duret,

§. 46. In regula depoſitarius cuſtodire rem debet vſque ad tempus, quod in pacto (ſ. conuentione) eſt definitum, aut quamdiu deponentis intentio cognita cuſtodiam deſiderat.

§. 47. Depoſitarius vero, qui rem ſecure aut ſine detrimento ſuo amplius cuſtodire nequit, petere poteſt, vt deponens eum ab ea cuſtodienda liberet.

§. 48. Si depoſitarius rem non ſine mercede, ipſi ſoluenda, cuſtodiendam ſuſcepit, cuſtodiam renuntiandi ius ei tantum competit, ſi rerum circumſtantium ea ſit facta mutatio, quam pacti celebrati tempore ratio humana praeuidere non potuit.

§. 49. At vero et in hoc caſu depoſitario de praemio conuento deducuntur ſumtus neceſſarii, a deponente, qui rem alii cuſtodiendam tradat, impendendi.

§. 50. Si deponens intra terminos legitimos (Tit. V. §. 90. ſeqq.) ea non curet, quae ad liberandum depoſitarium a rei cuſtodia ſunt neceſſaria; huic ius competit, rem illius ſumtibus in iudicio deponendi.

§. 51. Idem obtinet, ſi deponentis domicilium eſt ignotum, aut ſi hic extra prouincias regias degit.

§. 52. Si res ea eſt, vt in iudiciale depoſitum recipi non poſſit, depoſitario ius eſt, vt rem curae iudiciali tradat.

§. 53. Quo facto iudex cum deponentis ſumtibus curatorem conſtituit, et res deinde ex regulis iudicialis ſequeſtrationis eſt diiudicanda. (§. 92. ſeqq.)

§. 54. Deponens, quandocunque libuerit, rem, quam tantum cuſtodiendam commiſit, a depoſitario poteſt repetere.

§. 55. Tempus in contractu definitum, niſi de contrario expreſſe fuerit conuentum, in deponentis tantum fauorem adiectum habetur.

Source : BIU Cujas

§. 56. Contra quem alias ex pactis agi nequit, is nihilominus ad rem, custodiae suae commissam, restituendam iure obligatur. Quatenus personae ad contrahendum inhabiles depositi pactis obligentur.

§. 57. Re autem ipsa non amplius extante, deponens ab eiusmodi depositario rei pretium eatenus tantum repetere potest, quatenus hic dolose egit, aut rem re vera in suam vtilitatem conuertit.

§. 58. Si quis ob incendii, inundationis, belli, aut aliud periculum praesens personae, alias ad contrahendum inhabili, aliquid custodiendum tradidit; et haec persona restitutionem praestare tenetur pretii, si rem ipsam consumserit aut alienauerit.

§. 59. Re vero deposita pluribus communiter commissa, hi plures in solidum tenentur. De pluribus depositariis aut heredibus.

§. 60. Eadem obligatione depositarii heredes (s. successores) plures obligantur.

§. 61. At deponens tamen conuenire eum coheredem primum, et in primis debet, qui rem ex hereditate in suam accepit custodiam.

§. 62. Si heredes (successores) rem depositam bona fide alienarunt opinione ducti, eam ad hereditatem pertinere; deponens tamen non potest cogi, vt contentus sit pretio ex emtione venditione exacto, sed integra ei seruatur probatio, rei depositionis tempore maius fuisse pretium.

§. 63. Qui rem, a pluribus communiter depositam aut ex iure hereditario ad plures heredes delatam, repetit, eum mandatum a deponentibus vel heredibus reliquis datum producere oportet. De pluribus deponentibus.

§. 64. At vero depositario, qui hereditatem relinquenti instrumentum dedit depositi accepti, competit ius, rem ei heredum restituendi, qui generatim se coheredem esse legitime probauit, et depositi accepti instrumentum possidet.

§. 65. Quod si res vel sit diuidua, depositarius tamen non obligatur, ad agendum de re reddenda cum singulis, quorum interest.

Source : BIU Cujas

§. 66. At quisque tamen eorum, quorum intereſt, petere poteſt, vt res tota in iudicio deponatur.

Iura ſi concurſus exortus.

§. 67. Iura praelationis, intuitu rei ipſius depoſitae aut rei pretii, concurſu de depoſitarii bonis exorto deponenti competentia, in concurſus ordine definita.

Retentio.

§. 68. Reſtitutione rei petita, nihil intereſt, vtrum deponens verus fuerit dominus, an merus detentor.

§. 69. Hinc depoſitarius ſub praetextu, alteri ius melius in re competere, eam deponenti recuſare nequit.

§. 70. Si quis deponentem rei poſſeſſionis iniuſtae accuſat, et interdictum iudiciale obtinet, ne res deponenti reſtituatur: depoſitarius obligatur, ad rem tradendam iudicio, vt in eam inquirat et de ea vlterius diſponat.

§. 71. Idem obtinet, ſi deponenti adminiſtratione rei familiaris ſuae a iudicio fuerit interdictum.

Effectus retentionis illegitimae.

§. 72. Si depoſitarius absque cauſa legitima rem reſtituere moratur, ab eo temporis momento adſtringitur obligationibus malae fidei poſſeſſoris omnibus, et deponenti non minus ad damnum reſarciendum, quam lucrum ceſſans reſtituendum tenetur.

Locus reſtitutionis.

§. 73. Res ipſa in regula reſtituenda et recipienda eſt eo loco, quo eſt depoſita.

§. 74. Si neceſſaria loci mutatio fuerit ſubſecuta, deponens rem, de eo loco, quo tunc eſt, debet reportare.

§. 75. Idem obtinet, ſi depoſitarius mutato domicilio rem, maioris ſecuritatis cauſa, praeſcriptis §. 16. obſeruatis, ſecum deportauit.

Iura depoſitarii contra deponentem ratione operarum ac impenſarum.

§. 76. Quatenus mandatarius operarum et impenſarum reſtitutionem petere poteſt, eatenus ius idem et depoſitario competit.

§. 77. Quae quidem reſtitutionis petitiones (praetenſiones) depoſitario, ſi requiſita legitima reliqua non deſint, tribuunt ius rei depoſitae retinendae. (Tit. XX. Sect. II.)

Source : BIU Cujas

§. 78. At contra ob alias petitiones (ſ. praetenſiones) in deponentem hoc iure vti nequit.

§. 79. Quod ſi vero depoſitione iam facta demum comperuerit, ius ſibi ad rei dominium competere, et ſi rem reſtituendo veniat in periculum iuris huius amittendi; ius ei competit, rem in iudicio cuſtodiendam deponendi, ſi exceptiones iſtae probari quodam modo poſſunt.

§. 80. Depoſitario re depoſita neque ipſi vti licet, neque eam alteri, qui ea vtatur, concedere. De rerum depoſitarum vſu licito et illicito.

§. 81. At vero ſub vſu prohibito non intelligendum eſt, quod ad ſubſtantiam conſeruandam neceſſario fieri debet.

§. 82. Neque contractus natura iam mutatur, ſi deponens depoſitario, ſub circumſtantiis ſingularibus, vſum rei innoxium expreſſe conceſſerit.

§. 83. Simulac vero depoſitarius hoc deponentis conceſſu et beneficio vti incipit, negotium mutatur, ſi res ſint fungibiles, in mutui, et ſi res ſint aliae, in commodati aut locationis conductionis pactum.

§. 84. Si cui, cuius facultas et ius mutui pacta contrahendi legibus eſt circumſcriptum, pecuniae numeratae, chartae, quae pecuniae aequiparantur, et res fungibiles aliae, commiſſae ſunt, conceſſo eo beneficio, vt iis vti poſſit; negotium, licet nomen pacti depoſiti illi fuerit impoſitum, nihilominus habendum pro mutuo, in legum fraudem contracto, ſimulac beneficio conceſſo vtitur accipiens.

§. 85. Qui re depoſita ſine alterius conſenſu vtitur, non ſolum tenetur ad reſtituendum commodum inde perceptum omne, ſed etiam ad praeſtandum caſum, quo res, eius vſus occaſione, laeſa fuit aut amiſſa.

§. 86. Si depoſitarius re vtendo formam eius mutauerit, aut eam deterioraverit; deponens loco indemnitatis, rem depoſitam depoſitario poteſt cedere, et ſummi, quod rei depoſitionis aut repetitionis tempore

Source : BIU Cujas

fuit, pretii reſtitutionem, prout ipſi fuerit viſum, petere.

§. 87. Depoſitarius, pecuniis aut rebus fungibilibus aliis ſine conceſſu vſus, a temporis momento, quo res depoſitae, vſuras, quas deponens pro ordine ſuo petere poteſt, ſummas tenetur ſoluere.

§. 88. Caeterum in eiusmodi caſu depoſitarius, quod ad numorum genus et alias cauſas attinet, ex regulis pacti mutui diiudicandus.

§. 89. Qua poena ille ſit afficiendus, qui rem depoſitam interuertit, aut ea abutitur, in iure criminali eſt praeſcriptum. (Part. II. Tit. XX. Sect. XIV.)

Cuſtodia rerum immobilium.

§. 90. In iis caſibus, vbi res immobilis alicui cuſtodienda eſt commiſſa, leges in antecedentibus expoſitae quoque locum habent.

§. 91. Si cuſtodia ſine adminiſtratione locum inuenire nequit; negotium ex regulis ſubſequentis ſectionis eſt diiudicandum.

Depoſitum iudiciale.

§. 92. Si dominium aut certa iura in re ſunt litigioſa; res ipſa vſque ad litis deciſionem, in ſecuritatem partis vincentis depoſito iudiciali poteſt committi.

§. 93. Quod in primis obtinet, ſi ipſa rei poſſeſſio eſt litigioſa, et ſi iudex ſecundum praecepta Tit. VII. §. 155-160. data, rationes ſufficientes nullas inuenit, poſſeſſionem vſque ad cauſae deciſionem vni parti vel alteri concedendi.

§. 94. Si vero pars altera in poſſeſſione eſt non litigioſa; res litigioſa hac parte inuita tunc tantum depoſito iudiciali poteſt committi, ſi partis alterius petitio ea probatione eſt ſuffulta, quam leges, quo arreſtum decernatur, requirunt, et ſi adſunt rationes probabiles iacturae aut damni irreparabilis metuendi.

§. 95. Determinationes propiores, vbi eiusmodi depoſitio iudicialis ſit neceſſaria, et poſſit admitti, pro diſcrimine cauſuum et negotiorum in legibus ſunt definitae.

Source : BIU Cujas

§. 96. Res mobiles in regula in iudiciali depoſito ſunt cuſtodiendae.

§. 97. Iudicis officia et iura intuitu rerum in iudicio depoſitarum in ordinatione depoſitorum ſunt determinata.

§. 98. Si eiusmodi res natura ſua in iudiciali depoſito cuſtodiri nequeunt, iudicem eas loco idoneo et ſecuro cuſtodiendas curare oportet.

§. 99. In quo quidem curator eſt conſtituendus, qui attendat, ne res amittatur, et gerat rei curam, quatenus ad eam conſeruandam requiritur.

§. 100. In caſibus (§. 98. 99.) adductis iudex leuem tantum culpam praeſtat in eligendo loco, quo res eſt cuſtodienda, et curatore; hic vero, prout honorarium accipit, vel minus, culpam leuem aut latam praeſtat.

§. 101. Si res in iudicio cuſtodienda corruptionis periculo eſt ſubiecta, audiendi ſunt ii, quorum intereſt, qua ratione rei proſpiciendum ſit.

§. 102. Si, quorum intereſt, de eo conuenire nequeant, iudicis eſt, ex arbitrio vnius aut duorum rei peritorum, ab ipſo adhibitorum, decreto definire; vtrum et quo modo res in poſterum adhuc ſit cuſtodienda, an publice diſtrahenda, et pecunia vſque ad litis deciſionem in depoſitum iudiciale recipienda.

De ſequeſtrationibus.

§. 103. Si animantia ſeſe mouentia in cuſtodiam iudicialem ſunt recipienda, ſequeſter (ſ. ſequeſtrator) eorum eſt conſtituendus.

§. 104. Intuitu quoque rerum immobilium iudicialiter cuſtodiendarum locus eſt ſequeſtrationi iudiciali.

§. 105. Sequeſtri a iudice conſtituti officia diiudicanda ſunt ex praeceptis ſectionis ſubſequentis.

§. 106. Quod ad electionem ſequeſtratoris et curam de eo adhibendam attinet, iudex culpam leuem praeſtat.

Source : BIU Cujas

§. 107. Perſonae quoque, quarum intuitu iura certa ſunt litigioſa, in cuſtodiam iudicialem recipi poſſunt, ſi ſunt cauſae iuſtae metuendi, ne vel ipſae vel ii, quorum poteſtati aut curae ſunt ſubiectae, factis ſuis actoris petitiones reddant irritas.

§. 108. Iura et officia ſequeſtri ſ. inſpectoris, eiusmodi perſonis conſtituti, definiuntur ex fine, eiusmodi facta praecauendi.

Sectio Secunda.

De adminiſtratione rerum alienarum et bonorum.

Principium.

§. 109. Bona aliena adminiſtrans, quatenus ad ea conſeruanda et cuſtodienda agit, diiudicandus eſt ex principiis ſectionis antecedentis; quatenus autem ab eo curantur negotia aliena, pro mandatario habendus.

Obligationes generales adminiſtratoris.

§. 110. Obligatus eſt, vt rem conſeruet et ordini conuenienter adminiſtret, vt auertat damnum imminens omne, et re vtatur, quam optime fieri poteſt.

§. 111. Absque cauſis idoneis ius ei non competit, recedendi a modo ſolito, quo negotium ipſi commiſſum eo vſque eſt expeditum.

§. 112. Quod ſi proprio auſu fecerit, de culpa vel leuiſſima reſpondet.

§. 113. Ad expedienda negotia, quae ſumtus extraordinarios et inſolitos deſiderant, domini approbationem expectare debet.

§. 114. Quod ſi vero neceſſitas aut manifeſta domini vtilitas exceptionem ab iſta regula deſideret, adminiſtrator de ea principalem ſine mora certiorem facere, et, quae egit, probare (iuſtificare) tenetur.

§. 115. Si principalis ſumtus improbat, locum inueniunt praecepta legum de negotiis aliorum ſine mandato geſtis, (Tit. XIII. §. 234. ſeqq.) prout vel de

Source : BIU Cujas

de auertendo damno ſolo, vel de commodo comparando actum eſt.

§. 116. Qui bona aliena adminiſtrat, reſpondere tenetur, de bonis ipſi commiſſis neglectis, de accipiendis (prouentibus) reſtantibus, non ſatis diligenter exactis, de adminiſtrationis ſumtibus modo non vtili auctis. De quibus adminiſtrator reſpondere debeat.

§. 117. Praeſtat etiam damnum ex eo ortum, quod ſoluere neglexit onera rei impoſita, et alias expenſas ad rem pertinentes ordinarias, aut, quae praeſtentur, a principali ipſi aſſignatas; quatenus ad eas praeſtandas accepta et prouentus ſufficiebant.

§. 118. Pecuniis paratis reſiduis neque pro ſe ipſo vti, neque eas in ſuos vſus alio modo conuertere adminiſtranti licet, et ne tum quidem, ſi principalis ſecuritati plane eſſet proſpectum. Iura et officia adminiſtratoris intuitu pecuniae acceptae

§. 119. Quin potius eas pecunias, quatenus ad impenſas §. 117. expoſitas non requiruntur, ad vlteriorem principalis diſpoſitionem eum cuſtodire oportet, et in iis cuſtodiendis ſatisfacere officiis res alienas cuſtodientis omnibus.

§. 120. Monetae ſpecies cum aliis permutare ſine principalis ratihabitione non niſi in tantum ipſi licet, in quantum impenſae permutationem requirunt.

§. 121. Adminiſtratori ius non eſt, negotia ſibi commiſſa alteri propria auctoritate committendi. Intuitu iuris ſubſtituendi,

§. 122. At contra, in expediendis negotiis ſingulis auxilio alieno vti licet. (Tit. XIII. §, 46-48.)

§. 123. Ad actiones iudiciales inſtituendas et cauſas defendendas, generale adminiſtrationis mandatum in regula non ſufficit. in actibus iudicialibus.

§. 124. Excipiuntur caſus, vbi leges merum detentorem ad actionem ſpoliatae et turbatae detentionis inſtituendam admittunt. (Tit. VII. §. 141-154. §. 162. ſeqq.)

Source : BIU Cujas

§. 125. In aliis caufis ad rem pertinentibus adminiſtrator mandato praefumto inſtructus praefumitur. (Tit. XIII. §. 119. ſeqq.)

Intuitu fidei habitae et datae.

§. 126. Mutua numerata principalis nomine, ſine ſingulari mandato, contrahendi adminiſtratori ius non eſt.

§. 127. Adminiſtratori de rebus ipſi exhibitis aut operis ipſi praeſtitis eatenus tantum fides haberi poteſt, quatenus in negotiis ab ipſo expediendis haberi ſolet, aut ſine ea fide negotium ipſum rite expediri nequit.

§. 128. Non niſi in iisdem circumſtantiis adminiſtratori ius eſt, aliis fidem habendi.

Intuitu aliorum pactorum, pro principali celebratorum.

§. 129. In quantum caeterum adminiſtrator pactis ſuis principalem obliget tertio, ex principiis mandati diiudicandum.

§. 130. Quibus praeceptis obſeruatis, nihil differt, ſi adminiſtrator pactum vel ſuo ipſius nomine celebraſſet; ſimulac tantum ex rebus circumſtantibus apparet, eum in pacto ineundo adminiſtratoris perſonam egiſſe.

§. 131. Attamen adminiſtrator pactis de iis, quae in poſterum ſunt exhibenda (*Lieferungen*) et praeſtanda, principalem ſine eius expreſſo conſenſu non niſi in tantum poteſt obligare, in quantum eiusmodi pactorum celebratio neceſſario ex eius mandato ſequitur; aut in adminiſtrandis eius generis negotiis ipſi commiſſis conſuetudine perpetua fieri ſolet.

De inhabilibus, qui bona adminiſtranda ſuſcipiunt.

§. 132. Qui ſemet ipſum obligare non poteſt, ſi adminiſtrator fuerit conſtitutus, principalem tamen obligat factis, vi mandati commiſſis. (Tit. XIII. §. 30-36.)

De reddendis rationibus.

§. 133. Quaecunque adminiſtratori debent committi, ad conſignationem ſcriptam ipſi tradantur neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 134. Quod niſi factum ſit, principalem docere oportet, plura eſſe tradita, quam agnoſcuntur ab accipiente.

§. 135. Bona aliena adminiſtrans obligatus eſt ad reddendam rationem accuratam negotiorum omnium, ad rem pertinentium.

§. 136. Accepta et expenſa omnia in libros accepti et expenſi referre, et argumentis firmis iuſtifi care eum oportet.

§. 137. Quod ſi neglexerit, ratio ab eo reddita eatenus tantum valet, quatenus eius veritatem probare poteſt.

§. 138. Quo in caſu quoque praeſtat ſumtus omnes, ex vero cognoſcendo oriundos.

§. 139. Adminiſtrator in regula tenetur, ſtatim, ſi annus praeterierit, termino rationi reddendae praefinito, rationes vna cum argumentis (documentis) requiſitis principali exhibere, et ab eo petere, vt eas accipiat.

§. 140. Qui ſi rationes iuſto tempore non exhibuit, ſoluere tenetur pecuniarum, in aerario reſiduarum (*Caſſenbeſtand*), quatenus iſtae ad negotium vtiliter expediendum non fuerunt neceſſariae, vſuras vſu publico receptas; et quidem ab eo tempore, quo poſt terminum, rationi annuae reddendae praefinitum, hebdomades ſex praeterierunt.

§. 141. Et omne fert periculum pecuniarum in aerario reſiduarum.

§. 142. Pecuniae ab ipſo ſuppeditatae vſuras per illud tempus, quo exhibere rationes reddendas moratus eſt, petere poteſt nullas, licet alias ex principiis legitimis eas poſtulare iure potuiſſet. (Tit. XIII. §. 70. 73.)

§. 143. Si principalis rationes accipere moratur, negotia inde facta obſcura huic imputantur.

Source : BIU Cujas

§. 144. Quo in casu administratori competit ius petendi, vt rationes in iudicio sumtibus principalis morantis accipiantur

Apocha. §. 145. Ratione accepta et absoluta (subsecuta receptione rationis et iustificatione calculi) administrator apocham (quietationem) potest petere.

§. 146. Eiusmodi tamen apocha non liberatur ab obligatione respondendi de factis iniustis et erroribus calculi postea cognitis, licet illi in apocha expresse fuerit renuntiatum.

§. 147. At contra, administrator etiam erroris in calculo, in ipsius detrimentum admissi, satisfactionem petere a principali potest.

§. 148. De rebus etiam et negotiis, in rationes (s. calculum) non relatis, administrator respondere tenetur, licet ipsi apocha fuerit data.

§. 149. Multo minus apocha administratorem liberat a tertii petitionibus, licet huius petitio (praetensio) fuerit ex negotio orta, cuius ratio iam est reddita.

§. 150. Rationes semel redditae et apocha iustificatae, annis decem praeterlapsis, impugnari amplius sub praetextu nullo possunt.

§. 151. In eo tantum casu si in addendo aut subtrahendo error calculi, et in administrando dolus fuerit commissus, principalis praeterlapso etiam decennio contra administratorem ipsum, non vero contra eius heredes agere potest.

§. 152. Praescriptionis tempus in §. 150. definitum, in administrationibus, per plures annos gestis, intuitu administratoris ipsius ab eo temporis momento incipit, quo, dimissus ratione extrema (quae omnes habitas rationes in se continet) reddita apocham vltimam aut generalem accepit.

§. 153. In heredum (successorum) administratoris fauorem praescriptio currit intuitu cuiusque rationis annuae singulae, a die apochae specialis datae.

Source : BIU Cujas

§. 154. Ratio legitime reddita ob moram, ex principalis culpa exortam, intra quinque annos non recenſita, habetur pro ratione apocha iuſtificata. *Quid ſit iuris, ſi reddita ratio ex mora non eſt recenſita, aut*

§. 155. Hinc quinquennio praeterlapſo contra eiusmodi rationem ab eo die, quo eſt exhibita, ea tantum locum obtinent notata, quae et contra rationem, apocha iuſtificatam, admittuntur. (§. 146. 148.)

§. 156. Decennio poſt, a termino, qui §. 154. definitus eſt, praeterlapſo intuitu eiusmodi rationis quoque praeceptum §. 150. 151. locum obtinet.

§. 157. Quod ſi vero principalis adminiſtranti remiſerit rationes reddendas, contra eius adminiſtrationem ea notata tantum formare poteſt, quae dolum ſequuntur commiſſum. *Si obligatio rationes reddendi remiſſa.*

§. 158. Remiſſioni expreſſae eſt aequiparandum, ſi principalis rationes petere ab adminiſtratore per annos quinque neglexit.

§. 159. At vero eiusmodi remiſſio tacita ſemper tantum extenditur ad ſingulas rationes annuas, quarum intuitu quinquennium a rationis reddendae die eſt praeterlapſum.

§. 160. Accepta apocha, adminiſtrator principali tradere debet codices accepti et expenſi, (rationaria) et ſcripturas omnes, ad adminiſtrationem nexu quodam pertinentes. *Exhibitio rationarii et ſcripturarum.*

§. 161. At contra, principalem oportet rationaria et ſcripturas ei, qui bona adminiſtrauit, quandocunque petierit, proponere, attamen non niſi intra decennii terminum, §. 150. definitum.

§. 162. Ad agnoſcenda accipienda non ſoluta principalis eatenus tantum obligatur, quatenus adminiſtratori ius fuit, de iis fidem habendi. *Accipienda non ſoluta.*

§. 163. Alia eiusmodi reſtantia omnia adminiſtrator ex propriis debet ſoluere, et eos, qui debent, de iis conuenire.

Source : BIU Cujas

Cautio.

§. 164. Si administrator cautionem praestitit, ea praestat securitatem, donec ratio fuerit recensita, et apocha data.

Ius retentionis

§. 165. Administrator retentionis ius in re administrata tantum habet ex pecuniis suppeditatis et impensis in rem administratam factis, atque mercede pacta nondum soluta. (Tit. XX. Sect. II.)

De administratione sine mandato.

§. 166. Qui sine domini mandato ad res alienas administrandas accedit, non ex praeceptis sectionis huius praesentis sed sectionis secundae tituli antecedentis decimi tertii est diiudicandus.

§. 167. Eodem modo administrator a domino ipso constitutus, quatenus excedit limites, mandato principalis et praeceptis sectionis praesentis ipsi praescriptos, eatenus tantum habendus est pro eo, qui sine mandato negotiis alienis se ingessit.

De institoribus. (*Handlungsfactoren.*)

§. 168. Determinationes propiores intuitu institorum, tanquam administratorum rerum et negotiorum alienorum, in iure mercatorio continentur. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VII.)

De administrandis aerariis et institutis publicis.

§. 169. Rationes quoque eorum, qui bona fisci, corporationum publicarum, vniuersitatum, ecclesiarum et causarum piarum administrant, suo loco sunt determinatae. (Part II. Tit. VI. XI. XIV.)

§. 170. Si personae aut collegia, quibus administratio complexus iurium aut bonorum fisci aut corporationis publicae competit, certa negotia ad eam administrationem pertinentia alteri, tanquam munus perpetuum, curanda committunt, hic fisco aut corporationi immediate aeque obligatur, ac administrator principalis.

§. 171. At contra, fisco aut corporationi ad eum, qui non nisi ad negotium singulare curandum est constitutus, eadem tantum est ratio, quae mandanti priuato ad mandatarium aut administratorem.

Restitutio in integrum fisci et cor-

§. 172. Neque fiscus, neque corporationes aliae petere possunt restitutionem in integrum contra man-

Source : BIU Cujas

datariorum aut adminiſtratorum ſuorum facta, vi officii aut mandati limites praeſcriptos non transgrediendo praeſtita. porationum aliarum contra adminiſtratorum facta commiſſa aut omiſſa.

§. 173. Atque etiam per negligentiam mandatariorum aut adminiſtratorum fiſci, aut vniuerſitatum aliarum aeque priuilegiatarum, neque praeſcriptionis decurſus impeditur, neque tollitur legitima eius vis et efficacia. (Tit. IX. §. 629. ſeqq.)

§. 174. In caſus tantum controuerſis (proceſſualibus) reſtitutio in ſtatum priſtinum intra quadriennium competit perſonis his moralibus, quarum mandatarii aut adminiſtratores negligunt terminos legitimos, aut a iudice praefixos.

§. 175. Quod quadriennium ab eo die computatur, quo terminus neglectus eſt finitus.

§. 176. Cuius reſtitutionis in ſtatum priſtinum effectus, et quae in ea impetranda obſeruanda ſunt, in ordinatione proceſſus ſunt praeſcripta.

§. 177. Praecepta §. 174-176. data tunc quoque locum habent, ſi, praeter proceſſus, leges facultatem certi iuris exercendi, aut exceptionis opponendae ad praeſcriptionis tempus ſolito breuius adſtrinxerunt, et in eo, quod ad has perſonas morales attinet, exceptionem ſingularem non conſtituerunt.

Sectio Tertia.

De cautionibus et fideiuſſionibus.

§. 178. Cautione poteſt proſpici ſecuritati obligationis ab altero in poſterum adimplendae, aut remoueri periculum laeſionum futurarum et turbationum in dominio et poſſeſſione praeſenti. Finis cautionum.

§. 179. Ius cautionem exigendi voluntatis declarationibus aut immediate ex legibus poteſt acquiri. Ius eas petendi.

§. 180. Caſus, in quibus alicui cautionis exigendae ius ex legibus competat, in hoc legum codice Cautiones legales.

Source : BIU Cujas

et in ordinatione proceſſus ibi ſunt definiti, vbi determinantur iura ipſa, quorum ſecuritati iſta cautione debet proſpici.

§. 181. Qui cautione tantum praeſtita ad rem tradendam obligatur, retinere eam poteſt, donec cautio eſt praeſtita; legitimis morae effectibus ipſi non imputandis.

§. 182. Si rem cautione nondum praeſtita tradiderit, inde nondum colligitur, eum renuntiaſſe iuri, cautionis poſtea petendae.

§. 183. Cui leges ius cautionis exigendae tribuunt, is cogi nequit, vt ſola alterius expromiſſione acquieſcat.

§. 184. Cautio iuratoria tunc tantum locum habet, ſi alio modo praeſtari nequeat.

§. 185. In quibus caſibus loco cautionis iuratoriae incarceratio perſonae, a qua praeſtanda cautio, locum habeat, in legibus expreſſe eſt definitum.

§. 186. In regula cautio legalis ab eo, qui ad eam praeſtandam eſt obligatus, fideiuſſoribus aut pignoribus eſt praeſtanda.

§. 187. Modus et ſumma eiusmodi cautionis a iudice determinandi ſunt proportione iuris, cuius ſecuritati proſpiciendum, aut damni ab altero metuendi.

§. 188. Qui eiusmodi cautionem poteſt exigere, ad eam, ſi pignoribus eſt praeſtanda, eatenus tantum pro idonea et ſufficiente accipiendam obligatur, quatenus ſecuritati poteſt proſpici, ſi praedia ſint ruſtica, intra pretii partium trium partes duas priores; ſi ſint fundi vrbani, intra pretii partem dimidiam primam.

§. 189. Nomina tantum actiua, cum eiusmodi ſecuritate in libro hypothecario configuata, tanquam cautionem idoneam accipere tenetur is, cui cautionis exigendae ius eſt.

§. 190. Si cautio deponendis pignoribus praeſtanda; dodrantis eorum pretii aeſtimati habenda ratio.

Source : BIU Cujas

§. 191. Si cautio praeſtatur fideiuſſoribus, is, cui cautionis exigendae ius competit, eos tantum acceptare tenetur fideiuſſores, qui bona immobilia poſſident.

§. 192. Qui fideiuſſores an ſint acceptabiles, ex ea ratione diiudicandum eſt, qua poſſunt fundis ſuis proſpicere ſecuritati cautionis praeſtandae ſecundum determinationem §phi 188.

§. 193. Neque vnquam ei, qui cautionis exigendae ius habet, obtrudi poteſt fideiuſſor, qui in prouinciis regiis neque in ius poteſt vocari, neque ad ſoluendum cogi.

§. 194. A regulis antecedentibus §. 188 - 192. recedere, et cautionis realis loco cautionis iuramentum ſolum accipere iudici tunc tantum licet, ſi cautio realis praeſtari nulla poteſt, et ſi duae eiusdem cum cauente ordinis perſonae, bona fama fruentes et ſtatus atque conditionis obligati aut fideiuſſoris non ignarae, eum declarant ſatis idoneum atque ſecurum.

§. 195. Cui legalis cautio eſt praeſtita, ex ea reparationem poteſt petere damni ab eo, qui ad cautionem praeſtandam erat obligatus, dati omnis, ſimulac caſus incidit, qui praecaueri ea cautione debebat.

§. 196. Cautio legalis tamdiu durat, quamdiu metuendum eſt, vt obligatus obligationibus ſatisfaciat.

§. 197. Per pacta quoque rebus ſuis et iuribus quis poteſt cauere fideiuſſoribus aut pignoribus. De cautione ex pactis.

§. 198. Simulac cautionis praeſtandae modus in legibus, iudicis ſententia, aut pactis eſt definitus, pignora quidem deponi fideiuſſorum loco poſſunt, non vero fideiuſſores iſti pro pignoribus, inuito eo, cui ius competit.

§. 199. Quomodo cautio pactis pignoraticiis praeſtari poſſit, propius definitur in doctrina de iuribus in rebus dominii alieni competentibus. (Tit. XX. Sect. I.)

Source : BIU Cujas

De fideiuſſionibus proprie ſic dictis.

§. 200. Si ſecuritas praeſtatur eo, quod tertius ei, cui cautionis exigendae ius eſt, ſe obligat ad ſatisfaciendum, ſi obligationi ſuae principalis obligatus non ſatisfecerit, fideiuſſionis pactum adeſt.

§. 201. Qui ſe eo modo obligat pro alio; fit fideiuſſor; et qui in fideiuſſoris ſecuritatem et indemnitatem ſpondet, vocatur fideiuſſoris fideiuſſor. (*Rückbürge.*)

Requiſita fideiuſſionis obligatoriae

§. 202. Ad fideiuſſionem obligatoriam in regula requiritur expreſſa declaratio, ſe tertii obligationes eſſe praeſtiturum.

§. 203. Quae declaratio ſine diſcrimine obiecti ſcriptis, aut ad iudiciale protocollum fiat, neceſſe eſt.

§. 204. Fideiuſſor, ſimulac eo modo ſine conditione aut reſeruatione declarauit, ſe fideiuſſionem eſſe ſuſcepturum, obligatur ei, cui ius competit, vel ſine huius acceptatione expreſſa.

§. 205. Quod ſi vero fideiuſſio ſub conditione aut reſeruatione adiecta fuerit ſuſcepta, vim et efficaciam non conſequitur, antequam is, cui ius competit, ſe de ea declarauit.

Fideiuſſiones tacitae.

§. 206. Qui alterius chirographum ſimul ſubſcribit, in caſu dubio teſtis tantum habetur, niſi inſtrumentum ſit cambium.

§. 207. Commendatio ſola, eum, qui ſibi fidem haberi velit, eſſe virum integrum et opibus praeditum, in regula non producit obligationes ex fideiuſſione oriundas.

§. 208. Quid autem inter mercatores intuitu commendationum iuris ſit; loco ſuo eſt definitum. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VII.)

§. 209. Alii quoque, non mercatores, eiusmodi commendatione generali (§. 207.) tanquam fideiuſſores ſe obligant, ſi meliora ſcientes, aut culpa lata commendato eiusmodi teſtimonium falſum verbis determinatis ſcriptis dederunt.

Source : BIU Cujas

§. 210. Et magis adhuc obligatur ille, qui cum alio pacta ſimulata celebrat, aut alia facta ſimulata ſuſcipit eo animo, vt huic fides habeatur.

§. 211. Attamen in vtroque caſu (§. 209. 210.) obligatio tantum eatenus extenditur, quatenus ille qui credidit, ex commendatione aut ſimulatione non ſine ratione potuit ſumere cauſas mouentes, cum debitore agendi.

§. 212. Qui vero doloſe alterum ad credendum alicui induxit, huic tenetur ad praeſtandum damnum omne inde exortum.

§. 213. Scriptis declarans, alicui poſſe cum ſuo periculo credi, tanquam fideiuſſor tenetur.

§. 214. Idem obtinet de declaratione ore prolata, ſi ſumma, de qua fides habenda, quinquaginta thaleros non exceſſit, aut his minor fuit.

§. 215. Qui alicui mandat, vt ſuo nomine alteri pecuniae aut merces credantur, tanquam debitor principalis tenetur.

§. 216. Inter eum, qui eiusmodi mandatum dat, et eum, qui mandatum exequitur, eadem, quae inter mandantem et mandatarium ſunt, oriuntur iura et officia.

§. 217. Mandans etiam in eum, cui fides eſt habita, iura acquirit omnia, quae mandanti mandatarii factis acquiruntur.

§. 218. Si in declaratione aut mandato (§. 213. 215.) ſumma, quae credenda, non ſit determinata, declarans aut mandans ea, quae ſunt credita, praeſtare debet omnia, quatenus fidem habens ſe non reum fecit conſenſionis cum debitore in abuſum manifeſtum fiduciae mandantis, in debentem poſitae.

§. 219. Expreſſe aut tacite fideiubere non poſſunt, niſi qui ad validum mutui contractum ineundum ſunt habiles. Quinam fideiubere poſſint.

Source : BIU Cujas

De fideiussionibus mulierum.

§. 220. In quantum vxores pro maritis, aut pro aliis fideiubere possint, loco suo est definitum. (Part. II. Tit. I. Sect. IV.)

§. 221. Viduis et virginibus, fideiussionem in se suscipientibus, vires et effectus fideiussionis legales in iudicio sunt explicandi.

§. 222. Quas fuisse admonitas, et quomodo id factum sit, in fideiussionis instrumento ipso, aut ad eius finem est notandum.

§. 223. Si instrumentum fideiussionis singulare non est confectum, sed fideiussio in instrumento principali continetur; admonitio facta in illo aut infra illud notanda.

§. 224. Explicatio verbis fiat conspicuis ita, vt femina fideiubens inde satis possit intelligere, qui sint fideiussionis suscipiendae effectus legales.

§. 225. Explicationis a iudice faciendae loco non est habendum, si in instrumento fideiussionis effectus legales sunt expressi, et femina fideiubens iudicialiter declarauit, instrumentum a semet ipsa fuisse lectum, aut ipsi praelectum.

§. 226. Quibus praeceptis, (§. 221-225.) neglectis, feminae fideiussio legalibus destituitur effectibus.

§. 227. Si iudex, coram quo actus est perfectus, non admonuerit, aut admonendo praecepta §. 222-225. neglexerit; hic praestat ei, cui ius competit, damnum omne inde oriundum.

§. 228. Admonitio praescripta in omnibus casibus est necessaria, vbi a femina obligatio alterius in eum casum suscipienda est, si alter illi non satisfecerit.

§. 229. In genere haec admonitio in negotiis omnibus debet fieri, in quibus femina, in fauorem eius, cui ius competit, certa incommoda in se suscipit, aut commodis certis renuntiat in eum casum, si alter obligationi suae non satisfecerit.

§. 230. Admonitio itaque accedat necesse est, si femina, cuius nomen (praetensiones) in libro hypo-

Source : BIU Cujas

thecario eſt conſignatum, renuntiat ſiue in mariti, ſiue in tertii fauorem prioritatis iuri, quod ei ex conſignatione iſta competit.

§. 231. At contra, ſi femina iuri ipſi competenti plane renuntiat, eiusmodi negotium ex fideiuſſionis regulis non eſt diiudicandum.

§. 232. Si mas aut femina in eodem inſtrumento ſe tanquam debitores principales aut debendi correos obligarunt; legibus mas debitor principalis, at femina fideiubens tantum praeſumitur.

§. 233. Cui praeſumtioni legali ſi renuntiari debeat, eadem admonitio eum in finem eſt neceſſaria, quae in ſuſcipienda fideiuſſione ipſa.

§. 234. Exceptione admonitionis non factae femina, fideiuſſionem praeſtans, tueri ſe poteſt contra quemuis, in cuius ſecuritatem ſpopondit, qualitatis eius perſonalis ratione nulla habita.

§. 235. Quae exceptio quoque omnibus feminae heredibus (ſucceſſoribus) prodeſt, nulla qualitatis eorum ratione habita.

§. 236. Si vero femina, hereditatem relinquens, in vltimae voluntatis legitima diſpoſitione debiti, pro quo fidem interpoſuit, ſolutionem heredi, aut legatariorum cuidam demandauit, eiusmodi declaratio tanquam legatum valet.

§. 237. Femina etiam, fideiuſſionem praeſtans ſi heres ſit debitoris principalis, ei, cui ius competit, non tanquam fideiubens ſed tantum tanquam heres obligatur.

§. 238. Admonitio praeſcripta intermiſſa eo non iuſtificatur, quod feminae fideiuſſionis vis et effectus in caſibus antecedentibus rite ſunt expoſiti.

§. 239. In quantum femina, mercaturam propriam exercens, eodem modo, quo mas, fideiubere poſſit, in iure mercatorio eſt definitum. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VII.)

Source : BIU Cujas

§. 240. Creditori semper obligatur femina pro magnitudine pretii praemiorum et commodorum, quae pecunia aestimari possunt, pro fideiussione praestita re vera acceptorum.

§. 241. Quatenus negotio principali feminae commoda sunt data, quae sine eo percipere iure nullo poterat, eatenus fideiussione, pro negotio principali suscepta, obligatur.

§. 242. In vtroque casu §. 240. 241. nihil mutatur, si femina fideiubens actionis contra eam motae tempore non amplius sit in possessione horum praemiorum aut commodorum.

§. 243. Quae ex fideiussione inualida iam soluit femina, ea repetere hac exceptione nequit.

§. 244. At contra, fideiussio inualide suscepta valorem maiorem non accipit reiteratione eius subsecuta sine praeuia admonitione legitima.

Qui fideiussor sit accipiendus.

§. 245. Fideiussorem, qui idoneam securitatem debiti, pro quo fideiubet, docere nequit, inuitus accipere non tenetur ille, cui ius competit.

§. 246. Qui pro fideiussore idoneo acceptandus, diiudicandum est controuersia de eo oriunda, ex principiis de cautionibus legalibus praestandis praescriptis.

§. 247. Qui vero fideiussorem tanquam idoneum semel acceptauit, securitatem praestandam aliam non amplius petere potest.

§. 248. Quod si vero fideiubentis circumstantiae mutentur in manifestum creditoris periculum, hic potest petere securitatem praestandam meliorem.

In quibus negotiis fideiussio locum habeat.

§. 249. Fideiussio locum habet in obligationibus licitis omnibus, quibus potest satisfieri ab aliis, aut quae aestimari certa pecuniae summa possunt.

§. 250. Praestari etiam potest et peti fideiussio de damno, ex factis alterius illicitis aut ex officiis neglectis oriundo.

Source : BIU Cujas

§. 251. Quatenus vero creditoris nomen (praetenſio) intuitu debitoris principalis eſt plane inualidum, eatenus et fideiuſſio pro eo facta non obligat.

§. 252. In primis autem pro pacto legibus expreſſe improbato fideiuſſio locum non obtinet.

§. 253. Fideiuſſor, qui creditorem falſis aſſertionibus induxit, ad eiusmodi pactum ineundum, praeſtat damnum, huic inde ortum, omne tanquam debitor principalis.

§. 254. Si pacti principalis inualiditas oritur ex ſola obligati qualitate perſonali, fideiuſſor creditori quoque obligatur tanquam debitor principalis.

§. 255. Exceptio ignorantiae huius qualitatis obligati fideiuſſori eiusmodi prodeſſe non poteſt.

§. 256. Qui pro fideiuſſione, a femina inualide praeſtita, vlterius in creditoris ſecuritatem fideiuſſit, creditori aeque obligatur, ac ſi immediate fideiuſſionem ipſi praeſtitiſſet.

§. 257. Fideiuſſor ad ſatisfaciendum principalis debitoris loco eatenus tenetur, quatenus hic non ſatisfacit obligationibus, quibus alteri eſt adſtrictus.

I. Iura et officia inter fideiuſſorem et eum, cui fideiubetur.

§. 258. Obligatio fideiuſſoris extendi nequit vltra obiectum, pro quo fideiuſſio expreſſe eſt praeſtita.

Obligatio fideiuſſoris quousque extendatur.

§. 259. Fideiuſſor, qui pro ſorte (ſumma capitali) fideiuſſit, pro vſuris, fructibus, damnis, ſumtibus et poenis conuentionalibus fidem etiam interpoſuiſſe non praeſumitur.

§. 260. At vero qui pro ſorte foeneraticia fideiubet, vſuras etiam praeſtat vltimi anni nondum ſolutas.

§. 261. Qui non pro ſorte (capitali), ſed tantum pro vſuris fideiuſſit, a fideiuſſione in totum vel ex parte liberatur, ſi ſors apud debitorem principalem in totum aut ex parte amittitur.

§. 262. At de vſuris tamen, vſque ad illud tempus, quo debitoris principalis bona ad concurſum red-

Source : BIU Cujas

ierunt, nondum ſolutis eatenus tenetur, quatenus creditori in iis exigendis mora, ex eius culpa orta, imputari nequit.

§. 263. Eiusmodi fideiuſſio, pro vſuris tantum praeſtita, ſi ſemel fuerit extincta, effectus ſuos non recuperat, licet debitor principalis ad meliorem peruenerit fortunam.

§. 264. Iam vero ſi in caſu §. 261. fideiuſſor fideiuſſionem pro vſuris ſuſcepit ad tempus, per ſe aut per eventum certum, qui incidat neceſſe eſt, definitum; vſuras praeſtat per tempus hoc omne, licet ſors amittatur maturius.

§. 265. Qui fideiubet pro re reſtituenda, fideiubet ſimul pro acceſſionibus et incrementis cum re reſtituendis.

§. 266. Qui pro iis fideiubet, quae alius generatim aut ex negotio certo debet, is nihilominus pro iis tantum ſatisfacere obligatur, quae is, cui fideiuſſum, tempore factae fideiuſſionis ab obligato re vera poterat petere.

§. 267. At vero et eiusmodi obligationes, quarum praeſtationis terminus nondum venerat, iis ſimul comprehenduntur.

§. 268. Qui fideiuſſit pro damno ex negotio oriundo omni, lucrum ceſſans non praeſtat.

§. 269. Qui vero praeſtare promiſit omnia, quae ab obligato ex negotio certo forent ſoluenda, ſuſcipere tenetur obligationes ex negotio prouenientes omnes cum vſuris, fructibus, impenſis, damnis et lucro ceſſante.

§. 270. Eiusmodi ſatisfactio illimitata tunc quoque eſt praeſtanda, ſi fideiuſſor ſe expreſſe tanquam debitorem principalem obligauit.

§. 271. Qui fideiubet, tertium eſſe ratihabiturum negotium ſine mandato pro ipſo geſtum; ratihabitione non ſecuta reſarcire tenetur ei, cui fideiuſſit, damnum omne, ex negotio irrito oriundum.

§. 272.

Source : BIU Cujas

§. 272. Lucrum ceſſans vero tunc tantum praeſtat, ſi ad illud praeſtandum ſe expreſſe obligauit, aut fideiuſſionem ſecundum §. 269. ſine limitatione vlla ſuſcepit.

§. 273. Qui pro aliquo muneris cautionem praeſtitit, praeſtat tantum defectus, per illum oriundos. *Speciatim de cautionibus, quae ob officium exiguntur.*

§. 274. De defectuum vſuris et inquiſitionis ſumtibus eatenus tantum reſpondet, quatenus pro iis expreſſe aut ſecundum §. 269. ſine limitatione vlla fideiuſſit.

§. 275. Licet autem fideiuſſor vſuras et ſumtus ipſos praeſtare non deberet, at illi tamen, cui fideiuſſum, ideo inprimis prae fideiuſſore obligata ſunt debitoris principalis bona.

§. 276. De poena pecuniaria commerita tunc tantum fideiuſſor reſpondet, ſi ad eam ſoluendam expreſſe ſe obligauit.

§. 277. Fideiuſſor nunquam obligatur ad praeſtanda plura, quam praeſtanda ſunt a debitore principali. *Quatenus fideiuſſor ad plura, aut ſtrictius, quam debitor principalis obligatus eſſe poſſit.*

§. 278. At omnino fideiuſſor obligare ſe poteſt ad meliorem ſecuritatem, quam debitor principalis.

§. 279. Fideiuſſor quoque, qui cautionem dedit pro nomine, (praetenſione) cuius ſumma non eſt definita, in anteceſſum conuenire poteſt cum eo, cui fideiuſſum, de ſumma definita, in ſatisfactionis caſu ſoluenda.

§. 280. At vero etiam tum fideiuſſor, ſatisfactionis caſu exiſtente, ad ſummam, de qua conuentum, eatenus tantummodo ſoluendam tenetur, quatenus nominis (praetenſionis) principalis ſumma minor erui nequit.

§. 281. Quidquid creditor impetrare a debitore ideo nequit, quod huic ob rationes perſonales, in legibus definitas, competentiae beneficium eſt concedendum; idem quoque iure petere a fideiuſſore nequit.

Source : BIU Cujas

§. 282. Praeter ea vero respondere debet fideiussor de deminutione, quam creditor sentit intuitu debitoris principalis ob competentiae beneficium, ex aliis rationibus legalibus huic concessum.

Quando creditor fideiussorem conuenire possit;

§. 283. In regula creditor fideiussorem conuenire prius nequit, quam iure suo contra debitorem principalem persequendo probauit, hunc obligationem suam in totum aut ex parte adimplere non posse.

intuitu nominum personalium;

§. 284. Quod si vero debitor principalis tempore, quo fideiussor conuenitur, creditoribus petentibus aliis in custodiam ductus; aut si, iisdem creditoribus pignoris capionem petentibus, obiectum executionis nullum apud eum sit inuentum: fideiussor, qui pro mero nomine (mera praetensione) personali se obligauit, opponere nequit exceptionem debitoris ante conueniendi.

§. 285. Atque etiam, si creditor executionem ob eiusmodi nomen (praetensionem) personale contra debitorem principalem petiit, executoris nuntiatio, obiectum executionis inuentum esse nullum, iam sufficit, ad probandum, debitorem principalem soluere non posse.

§. 286. Si vero in peragenda executione contra debitorem principalem res pignoris loco sunt captae aut in iudicio detentae; creditor distractionem earum publicam expectare debet, antequam conuenire fideiussorem potest.

§. 287. Si debitor principalis nomina possidet actiua liquida, soluenda a debitore opibus praedito, et quorum dies intra tres menses venit; creditor solutionis terminum expectare debet, antequam fideiussorem conueniat.

§. 288. At cogi creditor nequit, vt nominum actiuorum, quorum veritas aut securitas adhuc est dubia, aut quorum dies post longius tempus incidit, solutionem expectet, antequam fideiussorem conueniat.

Source : BIU Cujas

§. 289. Si debitor principalis fundos poſſidet, creditor etiam perſonalis eorum ſequeſtrationem aut immiſſionem in fundos debet prius quaerere, quam contra fideiuſſorem poteſt agere.

§. 290. Quod ſi vero creditor intra tres menſes, facta ſequeſtratione aut immiſſione, ſatisfactionem conſequi non potuit; ad exitum vlteriorem huius exequendi medii exſpectandum non tenetur.

§. 291. Si vero ex qualitate fundi eiusque redituum probari certo poteſt, creditori propter alia nomina, fundo inhaerentia, aut alias nomini ſuo praeferenda, ex fundi reditibus, intra trium menſium ſpatium ſatisfieri non poſſe; ad hanc executionem perſequendam non tenetur, ſed fideiuſſorem conuenire ſtatim poteſt.

§. 292. Si vero debitum, pro quo fideiuſſio eſt praeſtita, debitum eſt reale, a creditore media executionis realis omnia per gradus adhibenda ſunt, priusquam conuenire fideiuſſorem poteſt. Intuitu nominum realium.

§. 293. Hinc creditorem venditionem pignoris iudicialem et emtionis venditionis pretii diſtributionem expectare oportet.

§. 294. Si vero ex facta comparatione emtionis venditionis pretii, pro pignore ſoluti, cum debitis liquidis et creditoris nomini omnino praeferendis, ſtatim apparet, creditori ex emtionis venditionis pretio ſatisfieri non poſſe; hic ad pretii diſtributionem expectandam non tenetur.

§. 295. Licet creditori reali ex pignore ſatisfieri non poſſit; attamen ad executionem in reliqua debitoris principalis bona quaerendam obligatur, priusquam fideiuſſorem conueniat.

§. 296. Qui pro debito cambiali fideiuſſit, conueniri poteſt, ſimulac executio cambialis contra debitorem principalem nullum habuit effectum, aut ob eius abſentiam peragi nequit. Intuitu nominum cambialium.

Source : BIU Cujas

Casus, in quibus creditor fideiussorem conuenire statim potest.

§. 297. Creditor, debitore plane non excusso, statim conuenire fideiussorem potest, qui expresse se, ac si ipse debeat, (*Selbstschuldner*) obligauit, aut legitime renuntiauit beneficio ordinis, debitoris principalis ante ipsum conueniendi. (§. 307. sqq.)

§. 298. Atque tum, si debitor principalis conueniri in terris regiis nequit.

§. 299. Neque minus, si debitori principali iudicis sententia per temporis spatium, anno longius, concessum est moratorium.

§. 300. Denique, si debitoris principalis bonorum concursus est motus.

§. 301. In vltimo tamen casu creditor nomen (praetensionem) et fideiussionem, pro eo ipsi praestitam, in termino minimum liquidationis ad concursus iudicem deferre debet.

§. 302. In regula creditor nomen suum in concursu debitoris principalis eo vsque debet persequi, donec fideiussor, ad satisfaciendum creditori condemnatus est sententia, vires rei iudicatae nacta.

§. 303. Qui vero si iam ante motum concursum sententiam, vires rei iudicatae nactam, contra fideiussorem litigando obtinuit, non obligatur, vt cum concursu agat, sed rem vlterius persequendi ius relinquere fideiussori potest.

§. 304. Creditor, qui nomen suum ad concursum plane non retulit, et ideo est praeclusus, iure contra fideiussorem priuatur.

§. 305. Qui vero si plene probare potest, nomini, licet ad concursum relato, satisfieri tamen non potuisse, fideiussor exceptione antecedente tueri se nequit.

§. 306. Exceptio, debitorem principalem post executionem frustraneam ad meliorem peruenisse fortunam, fideiussorem liberare nequit ab obligatione, sine mora creditori satisfaciendi.

Source : BIU Cujas

§. 307. Exceptioni debitoris principalis ante conueniendi fideiuſſor renuntiare valide poteſt.

§. 308. At mulier fideiubens, huic exceptioni renuntians, de hac exceptione modo, in fideiuſſione ipſa praeſcripto, in primis eſt edocenda et admonenda; et quomodo hoc factum fuerit, eodem modo in principali aut fideiuſſionis inſtrumento vel infra illud notandum. (§. 221. ſeqq.)

§. 309. In quibus caſibus non pro nomine ipſo, ſed expreſſe pro damno tantum, creditori ex negotio oriundo, eſt fideiuſſum; in iis omnibus exceptionis renuntiatio in inſtrumento facta eſt ſine effectu.

§. 310. Iura et exceptiones debitoris principalis, quae ad nomen (praetenſionem) ipſum pertinent, fideiuſſori quoque contra creditorem profunt. Quas exceptiones fideiuſſor opponere creditori poſſit.

§. 311. At vero, ſi creditor, debitorem principalem conueniens, fideiuſſorem ſimul citandum curauit, ſententia contra illum lata huic quoque obſtat.

§. 312. Atque tum quidem fideiuſſor tantum petere poteſt, vt legitime audiatur de exceptionibus, ad validitatem fideiuſſionis ſuſceptae pertinentibus.

§. 313. Fideiuſſor, qui pro eo fideiuſſit, ad quod debitor principalis ſententia, rei iudicatae vires nacta, foret condemnatus; ſententiam condemnatoriam contra debitorem principalem latam impugnare amplius nequit.

§. 314. Et fideiuſſori tum reſeruantur exceptiones aliae nullae, niſi quas debitor etiam in executione ipſa poſſet opponere.

§. 315. In quantum fideiuſſor vti poſſit legalibus contra ſententiam iuris remediis, quibus debitor principalis non eſt vſus, in ordinatione proceſſus eſt definitum.

§. 316. Si quis in nomen ſe obligauit, cuius dies (ſolutio) certo termino incidit, tempore certo, ad quod fideiuſſio valeat, non determinato; ei elapſo Quomodo fideiuſſor ab obligatione liberatur.

Source : BIU Cujas

termino ius competit, creditorem impellendi, vt ob nominis (crediti) satisfactionem actionem moueat, aut eum ab obligatione vlteriore liberet.

§. 317. Quo autem iure si fideiussor non fuerit vsus, eo quod creditor debitori principali indulsit, ab obligatione sua nondum liberatur.

§. 318. Si quis se obligauit, fideiussionis certo tempore non determinato, ad nomen, (praetensionem) cuius soluendi dies post factam tantum renuntiationem, aut alias termino certo nullo venit; eius obligatio tamdiu durat, quamdiu ius creditoris contra debitorem principalem non est extinctum.

§. 319. At eiusmodi tamen fideiussor agere potest contra creditorem, vt debitorem principalem conueniat, aut ipsum fideiussionis obligatione liberet, ex iisdem causis et rationibus, ex quibus ipsi contra debitorem principalem ius agendi competit, vt hic ab obligatione ipsum liberet. (§. 356. seqq.)

§. 320. Si quis ad certum tantum tempus pro mutuo fideiussit; fideiussionis obligatio extinguitur, si creditor contra debitorem principalem, minimum tertio die post terminum elapsum, actionem non mouit, aut eam non continuauit.

§. 321. Creditori tamen, domicilium non eo loco habenti, quo est iudicium competens, coram quo actio est instituenda, praeter hunc tridui terminum ille quoque prodest terminus, qui secundum solitum cursus publici ordinem requiritur, vt actionis delatio in iudicio indicari possit.

§. 322. Si quis ad certum tantum tempus fideiussit pro obligatione, quae, vti muneris officium, natura sua est perpetua (permanens), aut cuius adimplementum alias ad certum diem non est adstrictum; fideiussoris obligatio finitur elapso termino definito.

§. 323. Quo tempore praeterlapso, fideiussori ius competit, ab eo, cui alter est obligatus postulandi, vt vel ipsum a fideiussione liberet, vel contra obii-

Source : BIU Cujas

gatum iudicialiter agendo probet: ab obligato intuitu temporis peracti ipſi quaedam eſſe praeſtanda et reſtituenda, et quae ſint iſta praeſtanda et reſtituenda.

§. 324. Si, cui fideiuſſum, moram in eo committit, fideiuſſor petere poteſt, vt a iudice terminus pro rebus circumſtantibus praefigatur, intra quem ille, cui fideiuſſum, petitiones contra obligatum iudicialiter agendo perſequatur, ea comminatione, vt fideiuſſor alias a fideiuſſionis nexu ſolutus habeatur.

§. 325. Fideiuſſor obligationis nexu ſolutus praeſtare non tenetur obligati principalis praeſtationes aut defectus, licet oriantur ex temporibus, pro quibus eſt fideiuſſum.

§. 326. Dum autem fideiuſſor non eſt liberatus, omnes praeſtat praeſtationes et defectus, ex fideiuſſionis ſuae tempore originem ducentes.

§. 327. Quod ad hanc fideiuſſoris obligationem attinet, nihil ipſi prodeſt vel apocha obligato principali data; quatenus ſcilicet ille, cui fideiuſſum, data etiam apocha, exceptiones (notata) formare iure poteſt. (§. 146. ſeqq.)

Quatenus, quae inter creditorem et debitorem principalem ſunt acta, fideiuſſori obſint aut proſint.

§. 328. Creditor, qui in perſequenda executione contra debitorem principalem culpam admiſit latam, damnum fert ex ea ortum.

§. 329. Si creditor et debitor principalis in fideiuſſoris fraudem et damnum conſenſionis occultae (conſciaminis occulti) reos ſe reddiderunt; eorum quisque ad plenam indemnitatem praeſtandam fideiuſſori obligatur.

§. 330. Pactis inter creditorem et debitorem principalem poſt fideiuſſionem iam praeſtitam contractis, fideiuſſoris obligatio ipſo non conſentiente difficilior reddi nequit.

§. 331. Neque creditor fideiuſſione nondum extincta, renuntiare poteſt ſecuritati, praeter fideiuſſionem, a debitore principali ipſi praeſtitae, fideiuſſore non conſentiente.

Source : BIU Cujas

§. 332. Cui si nihilominus renuntiauerit, iure suo in fideiussorem priuatur.

§. 333. Quatenus tamen creditor euidenter potest docere, fideiussoris iura renuntiatione alterius securitatis neque laesa fuisse neque deminuta, fideiussorem vlterius conueniendi ius habet.

Quatenus iura et obligationes ex fideiussione ad heredes transeant.

§. 334. Iura et obligationes, quae ex fideiussione inter creditorem et fideiussorem oriuntur, ad vtriusque partis transeunt heredes.

§. 335. Quod ad officii cautiones et alias eiusmodi fideiussiones pro adimplenda obligatione praestitas attinet, fideiussoris heredes ad satisfaciendum obligantur; si satisfactionis praestandae casus vel mortuo demum testatore existat. (ad existentiam perueniat.)

§. 336. At fideiussoris obligatione vi pacti ad eius vitae dies tantum adstricta, praecepta §. 320-327. quidem locum inueniunt;

§. 337. At terminus tamen §. 320. definitus ab eo tantum die currit, quo fideiussoris mors creditori in notitiam venit.

II. Iura inter fideiussorem et debitorem principalem.

§. 338. Fideiussor, quatenus creditori satisfecit, in omnia huius iura contra debitorem principalem succedit; expressa cessione eum in finem ne quidem necessaria.

§. 339. At creditor tamen, fideiussore exigente cogendus est, vt etiam expressam cessionem exhibeat eius, quod a fideiussore re vera accepit.

§. 340. Quod si vero fideiussor transigendo aut remittendo creditori satisfecit summa minori, quam eius nomen (praetensio) re vera constituit; fideiussor sine voluntaria creditoris cessione expressa, debitorem principalem conuenire nequit, ad restituendum plura, quam ipse dedit.

§. 341. Qui fideiussit pro alio inuito, non nisi ex regulis tituli antecedentis §. 249 - 252. est diiudicandus.

Source : BIU Cujas

§. 342. Si fideiuſſor a creditore prius conuenitur; ſine mora eum oportet certiorem reddere de actione contra ipſum mota debitorem principalem, eiusque conſenſum ſcriptum ad ſummam petitam ſoluendam poſtulare.

Obligatio fideiuſſoris conuenti, vt debitor principalis ſimul citetur.

§. 343. Quem conſenſum ſi impetrare nequit, res proceſſui committenda.

§. 344. Actione a creditore contra fideiuſſorem mota, hic debitori principali litem debet denuntiare, eumque ad proceſſum ſimul citandum curare.

§. 345. Quo facto ſi debitor principalis non comparuit, fideiuſſor ad cauſam per omnes inſtantias continuandam non tenetur.

§. 346. Quin potius debitor principalis ſententiam inter creditorem et fideiuſſorem in huius odium (detrimentum) latam, in illius fauorem (emolumentum) contra ſe etiam debet agnoſcere.

§. 347. At debitor principalis in proceſſu comparens, fideiuſſore petente, proceſſum ſolus ſuſcipere debet; et fideiuſſor ad eum continuandum eatenus tantum tenetur, quatenus in eo exceptiones ſuas contra obligationem ex fideiuſſione vult docere.

§. 348. Sententia tum contra debitorem principalem lata, vires rei iudicatae nacta, in creditoris fauorem contra fideiuſſorem quoque eatenus valet, quatenus contra creditorem illas exceptiones, ante memoratas (§. 347.) perſequi non potuit; vti in fauorem fideiuſſoris contra debitorem principalem, ſi ad hunc regredi velit.

§. 349. At ſi fideiuſſor neglectis praeceptis antecedentibus §. 342-348. creditori ſatisfecit; agnoſcere debet contra ſe etiam exceptiones omnes, quas debitor principalis creditori opponere poſſit.

§. 350. In eo caſu, ſi creditor debitorem principalem prius conuenit, et quatenus ſententia contra hunc lata contra fideiuſſorem quoque valeat, praecepta §. 310-315. valent.

Source : BIU Cujas

Obligatio debitoris principalis, vt fideiussori damnum refarciat, et vsuras et sumtus restituat.

§. 351. Debitor principalis fideiussori etiam est obligatus, ad damna refarcienda, et sumtus restituendos, ex fideiussione ortos.

§. 352. Quatenus vero damnum propria fideiussoris culpa aut inutilibus eius ambagibus est datum, eatenus debitor principalis ad illud refarciendum non tenetur.

§. 353. At debitor tamen principalis vsuras morae, quas fideiussor creditori soluere debuit, tenetur restituere.

§. 354. Fideiussor non sortis solum, sed etiam vsurarum, quas creditori soluere debuit, omnium a debitore principali vsuras morae petere potest legitimas.

§. 355. Fideiussor, qui pro debitore principali sortem foeneraticiam (censualem) soluit, intuitu etiam vsurarum continuarum in iura creditoris contra debitorem succedit.

Obligatio debitoris, fideiussorem a fideiussione liberandi.

§. 356. Tempore solutionis praeterlapso, fideiussor agere potest contra debitorem principalem, vt eum a fideiussione liberet.

§. 357. Quin et tempore solutionis nondum elapso fideiussori ius competit agendi, vt a fideiussione liberetur, aut securitas praestetur; si debitor rem suam dissipare incipit, aut eius bona alias deminuuntur.

§. 358. Atque si debitor eum parat ex terris regiis discessum, vt in iis amplius conueniri nequeat.

§. 359. Qui pro obligationibus perpetuis tempore non determinato et praemio constituto nullo fideiussit, renuntiare fideiussionem post annum praeterlapsum potest.

§. 360. Quo facto obligatum principalem oportet fideiussorem liberare a fideiussione ante elapsum annum secundum, nisi ex pactis secundariis, aliaue de causa singularia ipsi competant iura, petendi fideiussionis continuationem.

Source : BIU Cujas

§. 361. Ad hanc liberationem efficiendam fideiuſſor contra debitorem principalem mediis coactiuis legalibus iis poteſt vti, quae in genere ex legibus ordinationis proceſſus admittuntur, ſi quis ad factum ſententia, vires rei iudicatae nacta, ipſi iiunctum executione eſt adigendus.

§. 362. At vero in detrimentum eius, cuius ſecuritati fideiuſſione eſt proſpectum, ſi contra eum renuntiatio non pacta eſt, renuntiatio in regula et praeter caſus, in §phis 357. 358. adductos, locum non inuenit, antequam ei fuerit praeſtita ſecuritas alia idonea, et quae accipiatur digna. (§. 318. 319.)

§. 363. Fideiuſſor pro fideiuſſione ſuſcepta praemium poteſt ſibi paciſci. De praemiis fideiuſſionis.

§. 364. Cuius determinatio in regula vnice pendet a partium conuentione.

§. 365. Quod ad mutua aut ad alias pecunias creditas attinet, praemium pactum centeſimam ſummae, pro qua fideiuſſum, partem in regula excedere non debet.

§. 366. Quin et plures fideiuſſores, qui pro eiusmodi debito communiter fideiuſſerunt, ad vnum omnes centeſimam tantum partem praemii loco poſſunt ſibi paciſci.

§. 367. At contra, ſi fideiuſſio per plures durat annos, praemii determinatio in centeſimam partem in ſingulos annos admittitur.

§. 368. Quod ad praemium attinet fideiuſſoris ſuccedanei, qui in fideiuſſoris principalis ſecuritatem et indemnitatem ſpopondit, eadem praecepta locum inueniunt.

§. 369. Qui cautionem pro obligationibus perpetuis, absque temporis determinatione, pro praemio ipſi ſoluendo ſuſcepit, ei ius renuntiationis non pactae in debitorem principalem non competit, niſi in caſibus §. 337. 338.

Source : BIU Cujas

§. 370. Si a fideiuſſore pecunia parata in creditoris ſecuritatem eſt deponenda ; praeter praemium pactum vſurarum etiam publice receptarum reſtitutionem poteſt petere.

§. 371. At debitori tamen pecuniarum depoſitarum, foenore collocatarum, profunt vſurae, ex depoſito iudiciali datae.

§. 372. Si chartae, pecuniae valorem habentes in quemuis detentorem ſonantes, paratae pecuniae loco ſunt depoſitae ; debitor fideiuſſori tenetur ad compenſandam differentiam, quae eſt inter harum chartarum vſuras et vſuras publice receptas.

III. De fideiuſſoribus pluribus,

§. 373. Ratio confideiuſſorum plurium, tam ad creditorem et debitorem, quam ad ſe inuicem, in primis diiudicanda eſt ex pacti celebrati ſententia.

§. 374. In quantum vero pactum nihil determinat, in tantum contra eos confideiuſſores, qui pro vno debitore principali ſe in ſolidum obligarunt, praecepta de obligationibus correalibus locum habent. (Tit. V. §. 424. ſeqq.)

§. 375. Qui pro parte tantum debiti aut in genere pro ſua tantum rata fideiuſſit, nullo in caſu de confideiuſſore reſpondet.

§. 376. Qui pro fideiuſſore inhabili ſe creditori obligat, huic tanquam fideiuſſor principalis ad ſatisfaciendum obligatur.

§. 377. Qui pro fideiuſſore inhabili in confideiuſſorum indemnitatem ſpopondit, horum intuitu confideiuſſor habetur.

§. 378. Si plures , quisque ſeparatim , pro vna eademque obligatione fideiubent; creditori datur electio, eorum quemlibet pro rata fideiuſſionis praeſtitae in totum aut pro parte debiti conuenire, vſque donec ei de toto nomine eſt ſatisfactum.

§. 379. At contra, intuitu eiusmodi fideiuſſorum inter ſe, vti nulla communis obligatio, ita nec ſatisfactio mutua locum inuenit.

Source : BIU Cujas

§. 380. Fideiuſſor ſuccedaneus fideiuſſori principali tenetur ad refarcienda damna et reſtituendos ſumtus ex fideiuſſione ortos omnes. IV. De fideiuſſore ſuccedaneo.

§. 381. At fideiuſſor tamen principalis obligatur, vt principalem obligatum primum conueniat, et fideiuſſorem ſuccedaneum de actione inſtituta certiorem reddat.

§. 382. Aeque fideiuſſor principalis a creditore conuentus fideiuſſorem ſuccedaneum ad cauſam ſimul citandum debet curare.

§. 383. Fideiuſſor ſuccedaneus, quatenus fideiuſſori principali ſatisfecit, vel ſine ceſſione, in omnia eius iura contra obligatum ſuccedit.

§. 384. Fideiuſſori ſuccedaneo, quod ad fideiuſſionis liberationem attinet, contra fideiuſſorem principalem eadem iura competunt, quae huic contra creditorem et contra obligatum principalem.

§. 385. Simulac ceſſat obligatio, pro qua fideiuſſio eſt ſuſcepta, fideiuſſoris quoque extinguitur obligatio. V. Finis fideiuſſionis.

§. 386. Si fideiuſſore non adhibito, transactione inter eum, cui fideiuſſum, et obligatum principalem inita, huius obligatio in ſummam minorem eſt deminuta; haec deminutio fideiuſſoribus quoque prodeſt.

§. 387. Quatenus vero ob tranſactionem, non adimpletam, originaria debitoris principalis obligatio reuiuiſcit; fideiuſſor quoque reſpondet de eo, quod ex pacto debetur originario. (Tit. XVI. §. 445. ſeqq.)

§. 388. Caeterum obligationes ex fideiuſſione oriundae eodem modo, quo obligationes aliae, tolluntur. (Tit. XVI.)

§. 389. Si creditor fideiuſſorem primum ab obligationis nexu liberat; haec liberatio prodeſt etiam ſecundo, pro hoc obligato.

Source : BIU Cujas

§. 390. At vero liberatione vnius ex pluribus confideiuſſoribus iura et obligationes reliquorum neque erga liberatum neque inter ſe mutantur.

§. 391. Praeſcriptio, quae debitorem principalem ab obligatione liberat, fideiuſſoris quoque obligationem tollit.

§. 392. Quidquid praeſcriptionem intuitu debitoris principalis impedit et interrumpit, eam quoque intuitu fideiuſſoris impedit et interrumpit.

§. 393. Fideiuſſor, qui ſe obligauit, ac ſi ipſe debeat, aut exceptioni, vt debitor principalis primus ſit conueniendus, valide renuntiauit; praeſcriptione, quae tantum intuitu debitoris principalis eſt abſoluta, contra creditorem tueri ſe nequit.

§. 394. Neque iuri creditoris contra fideiuſſorem, et confideiuſſoris contra alterum praeſcribitur, donec debitoris principalis obligatio non eſt extincta.

§. 395. Concurſu de bonis fideiuſſoris moto, creditor, licet caſus ſatisfactionis praeſtandae nondum exiſtat, ad concurſus iudicem tamen referre debet ius, caſu ſatisfactionis praeſtandae exiſtente ipſi competens.

§. 396. Quod ſi omiſerit, ex maſſa ad concurſum redacta ſatisfactionem petere poſtea non poteſt.

§. 397. Si fideiuſſor poſtea ad meliorem peruenit fortunam, creditori quidem iura contra eum aeque reſeruantur, ac aliis creditoribus, a concurſu praecluſis, aut quibus ſatisfieri non potuit;

§. 398. Si vero caſus ſatisfactionis praeſtandae tempore moti concurſus re vera iam exſtitit, fideiuſſori competentiae beneficium contra creditorem ex iisdem cauſis prodeſt, ex quibus debitor eo beneficio contra creditores ſuos antiquiores poteſt vti.

VI. De expromiſſionibus.

§. 399. Si quis in ſe ſuſcipit debitum alienum loco debitoris principalis, (expromiſſio), inter hunc et creditorem ceſſat nexus omnis.

Source : BIU Cujas

§. 400. Ad eiusmodi expromiſſionem pactum ſcriptum et expreſſus creditoris conſenſus requiritur.

§. 401. Si ex inſtrumenti verbis conceptis et circumſtantiis dubium eſt; vtrum partes expromiſſionis conuentionem, an fideiuſſionis contractum celebrare voluerint; fideiuſſio praeſumitur.

§. 402. Si qui alienum debitum ſoluendum ſuſcepit, ipſe ad mutuum contrahendum eſt inhabilis; inhabilitate eius creditori non cognita, obligatio primi debitoris manet valida.

§. 403. At ſi creditor inhabilitatem debitoris noui ipſi oblati haud ignorauit, aut diligentia et attentione adhibita ſolita noſſe eam potuit, et eum nihilominus, debitore priori dimiſſo, acceptauit; in regula quoque hunc amplius conuenire nequit. (§. 409.)

§. 404. Quatenus debitor liberatus expromiſſori ſit obligatus, ex pacti inter eos celebrati ſententia, aut negotii acti natura eſt diiudicandum.

§. 405. Expromiſſorem iuri ſatisfactionis, a debitore liberato petendae, renuntiare voluiſſe, in regula non praeſumitur.

§. 406. Si expromiſſor debitorem primum, ſine hujus conſenſu expreſſo, ab obligatione liberauit; negotium ex regulis ſectionis ſecundae tituli antecedentis diiudicatur.

§. 407. Si qua femina debitum alterius expromiſſione in ſe debeat ſuſcipere, haec conuentio in iudicio tantum valide poteſt celebrari. in primis intuitu feminarum,

§. 408. Et expromiſſionem iudicialem reuocare poteſt femina in iisdem circumſtantiis et intra idem tempus, quibus donator ob exceſſum repetere poteſt donationem, vel in iudicio perfectam. (Tit. XI. §. 1091. ſeqq.)

§. 409. Quatenus mulieris expromiſſio ex regulis (§. 407. et 408.) expoſitis eſt inualida, aut reuocatur, creditor poteſt agere contra debitorem primum,

Source : BIU Cujas

quem non nisi ratione huius expromissionis habita ab obligationis nexu dimisit.

§. 410. Quatenus mulier pro expromissione a debitore liberato satisfactionem accepit, eius expromissio, vti alia omnis, valida est et efficax.

§. 411. Femina, quae pro debitore primo re vera solutionem praestitit, eam nequit repetere exceptione expromissionis inualidae et reuocabilis.

§. 412. At in debitorem liberatum, cuius obligationem expromissione gratis in se suscepit, seruantur feminae iura sua ex tituli antecedentis sectione secunda, vel ex regulis de reuocandis donationibus.

Sectio Quarta.

De pignorationibus.

Definitio. §. 413. Pigneratio vocatur possessionis apprehensio rei alienae proprio ausu facta, cum animo inde damni illati reparationis securitatem habendi, aut efficiendi, ne in posterum damnum inferatur et iura laedantur.

Vbi pignerationes admittuntur. §. 414. Pignerationes, tanquam vindictae priuatae species, tum tantum admittuntur, si sine iis auxilio iudicis consequi non possumus finem indemnitatis, ob damnum iam illatum praestandae, aut auertendarum laesionum adhuc imminentium.

§. 415. Hinc locum tantum habent, si laedens aut turbans est ignotus, incertus aut peregrinus, qui conueniri in prouinciae iudiciis nequit.

§. 416. Et si pignoratio vnicum est remedium, quo certo possit probari laesio facta aut damnum illatum.

§. 417. Ob poenas commeritas solas tum demum ius pignerandi personae priuatae competit, si modo singulari eius interest, vt poena exequenda in posterum auertantur iuris laesiones.

§. 418.

Source : BIU Cujas

§. 418. Curſus publici iumenta (*Poſten*), curſores publicos extraordinarios, (*Staffetten*) et nuntios celeres extraordinarios (*Curiers*) pignerari non licet.

§. 419. Pigneratio tantum licet in continenti, ſtatim poſt laeſionem aut turbationem factam.

§. 420. Extra fines campi, quo laeſio aut turbatio eſt facta, laedentem aut turbantem perſequendo pignus capere laeſo non licet. Vbi pignoratio poſſit fieri.

§. 421. Si cui in campo alieno ius ad certos terminos (diſtrictum) limitatum competit, intra hos tantum terminos exercere ius pignerandi poteſt.

§. 422. Si regio (*Revier*), intra quam cui ius exercendum competit, fines campi excedit; regionis fines territorium determinant, in quo ius pignerandi ei competit.

§. 423. Ad rem, quae pigneranda eſt, occupandam, neque armis periculoſis, neque canibus rapacibus vti licet. Quomodo et

§. 424. In regula animalia tantum et res mobiles aliae ſunt pignerationis obiecta licita. quod pignorandum.

§. 425. At neque ex his plura pignorari licet, quam quae ſunt neceſſaria ad damnum datum reſarciendum ſecundum computationem probabilem; aut ad probandam laeſionem tentatam.

§. 426. Si pigneratus loco animalis pignerandi aliud offert pignus, ad pignerantis indemnitatem ſufficiens, pignerantem hoc acceptare oportet, et in caſu neceſſitatis alterum ſequi vſque ad locum proximum, quo pignus poteſt deponi.

§. 427. Bona plauſtris onerariis et rhedis viaticis impoſita, detentore inuito, pignerari non licet.

§. 428. Si animalia transgrediuntur agrorum non incluſorum terminos, inter vicinos pigneratio locum non habet.

§. 429. Greges totos pignerari tum tantum licet, ſi ſingula eorum pecora pignerari non poſſunt, aut ſi

Source : BIU Cujas

pignerationе eiusmodi pecorum singulorum legitimum pignorationis finem consequi pignerans plane nequit.

§. 430. Personae tunc tantum retineri possunt, si rei pigneratio aut plane fieri non potest, aut non fieri, nisi simul persona apprehendatur.

Pignerantis officia facta pignerationе.

§. 431. Pignerantem pignerationem factam iudicio loci statim indicare oportet, et corpora pignerando apprehensa custodienda tradere.

§. 432. Iurisdictionis administratore absente, traditio vel iudicio tantum pagano fieri valide potest.

Iudicii officia pignerationе facta,

§. 433. Pignerationе ob laesionem facta, a iudicio damnum statim est cognoscendum et aestumandum.

§. 434. Si loci, quo pigneratio facta, iudicii aut totius vniuersitatis interest, iurisdictionem exercens adhibere debet iudicia vicina, parti nulli addicta.

§. 435. Ad quam aestumationem citandus est pigneratus, si praesens est aut tam prope, vt comparere intra horas viginti quatuor possit.

§. 436. Si vero pigneratus discessit, aut citatione facta et insinuata non comparet, eo etiam absente aestumatio fieri potest.

§. 437. Laedens semper ad indemnitatis actionem in loci, quo pigneratio facta, iudicio respondere obligatur.

§. 438. Si laedens intra tres dies, post factam aestumationem nondum comparuit; pignus iudicialiter potest distrahi.

Pignerantis iura ex pignerationе rite facta.

§. 439. Ex pretio emtionis venditionis exacto petere potest pignerans damni reparationem, sumtus omnes iudiciales et extraiudiciales, ex pignerationе ortos, et pecuniam pro pignoratione soluendam (emendam, *Pfandgeld*) legibus prouincialibus propius determinatam.

§. 440. Si damno a pluribus dato, ab horum vno tantum aut nonnullis pignera capta sunt, pignerans nihilominus indemnitatem totius potest petere ex pretio emtionis venditionis exacto.

Source : BIU Cujas

§. 441. Quod ad animalia attinet, pecunia pro pigneratione ſoluenda (*Pfandgeld*) non ex grege toto, ſed ex pecoribus captis peti poteſt.

§. 442. Quod ſi igitur in caſu §phi 429. aut alias totus grex eſt pigneratione comprehenſus aut in locum adactus: iudicia loci, et iuſtitiario abſente iudicia pagana ſtatim debent definire, quot gregis corpora ſecundum principium §. 425. vſque ad exitum rei retineri debeant.

§. 443. Non niſi haec corpora pignerata habenda, et de his tantum pecunia pro pigneratione ſoluenda poteſt poſtulari.

§. 444. Pecunia pro pigneratione ſoluenda cedit pigneranti, ſi pignoratio tantum ob turbationem facta, aut pignorans in ea indemnitatis loco acquieſcit.

§. 445. Si vero pignorans ſingularem aliam damni reparationem petit; hic dimidiam partem pecuniae, pro pigneratione ſoluendae, aerario loci communi cedere debet.

§. 446. Si pigneratus contradicit pignerationi, tanquam iniuſtae, et venditioni corporum pignerationi retentorum, in iudicio eſt audiendus. Iura pignerati.

§. 447. Ad quam cognitionem legalem quoque pertinet, ſi pignerans affirmat, damnum re vera datum propria pignerantis culpa et negligentia eſſe exortum.

§. 448. Simulac pigneratus petit, vt legitime (iudicialiter) audiatur, iudicia loci reſtituere ipſi debent corpora pigneratione retenta, ſaluo pignerantis iure.

§. 449. Si vero pigneratus iurisdictioni alii eſt ſubiectus, aut ſatis certus et ſecurus non habendus, reſtitutionem pignorum petere tantum poteſt cautione praeſtita idonea de omnibus, quae laeſus ſecundum §. 439. poteſt poſtulare.

Source : BIU Cujas

§. 450. Quoties cauſa nondum cognita et finita reſtituuntur pignora, toties onus incumbit pignorato, ex cuſtodia iudiciali ea abducendi.

De pignerationibus, quae tantum in ſecuritatem turbationum fiunt.

§. 451. Si pigneratio eo tantum animo eſt facta, vt iuris putatiui laeſio futura euitetur; pignerans tantum pecuniam, pro pigneratione ſoluendam, et impenſarum reſtitutionem poteſt petere.

§. 452. Loci iudicis igitur eſt partes ſummarie tantum examinare, et pignera domino reſtituenda curare, at praeſtita ante cautione, ſi caſus §. 449. exiſtit.

§. 453. Pigneranti etiam, ſi petat, pignerati ſumtibus exhibenda eſt recognitio pignerationis, et pignorum reſtitutionis, non niſi ſaluo pignerantis iure factae.

§. 454. Deciſio, an iuſta ſit pigneratio, et eorum, quae cum ea cohaerent, hoc in caſu vſque ad ſententiam de re principali ferendam differtur.

§. 455. Actio de laeſione inſtituenda eſt in foro competente, ad cuius cognitionem res pertineret, ſi vel nulla pignorationis factae habeatur ratio.

§. 456. At vero ſi pigneratus eſt peregrinus, cautionem de iudicio ſiſti et iudicatum pati praeſtare debet.

§. 457. Quam ſi praeſtare recuſat, pignus in iudicio vendatur, ex eius pretio pecunia, pro pigneratione ſoluenda, et ſumtus ſoluantur, reſiduum in depoſitum iudiciale recipiatur, et pigneranti ſecundum §. 453. recognitio exhibeatur.

Exceſſus in pignerando commiſſi.

§. 458. Pignerationi legitime factae ne quis renitatur.

§. 459. Qui fugit pignerantem, qui iam in eo eſt, vt pignerandi ius exerceat, pecuniae pro pignoratione duplum ſoluere debet; et quadruplum, qui pignerationi vi repugnat.

Source : BIU Cujas

§. 460. Summa, pecuniae pro pigneratione ſimplum excedens, tanquam poena, ſemper communi loci aerario cedit.

§. 461. Qui in exercendo pignerandi iure alterum conuiciatur, verberibus afficit, aut alio modo violat, ſecundum leges criminales puniatur quam ſeueriſſime.

§. 462. Qui iniuſte pignus cepit, pignus alteri ſine ſumtibus vllis debet reſtituere, et damni dati et lucri ceſſantis plenam praeſtare ſatisfactionem.

§. 463. Qui contra ius pignerationes ſuſcipit, pro rebus circumſtantibus, legitimas quoque commeruit poenas vindictae priuatae illicitae aut libertatis alterius laeſae. (Part. II. Tit. XX. Sect. IV. XII.)

§. 464. Si pigneratio iniuſta facta eſt vi perſonali nulla adhibita; ſumma, quae in caſu pignerationis iure factae fuiſſet ſoluenda, normam conſtituit multae, iniuſte pignoranti irrogandae.

§. 465. Et ille, qui, pignore ab eo iam capto, proprio auſu pignoris poſſeſſionem ſibi vindicare conatur, aut pignerationem contrariam ex iure talionis putatiuo ſibi arrogat, ex praeceptis §. 462-464. diiudicatur.

Sectio Quinta.

De proteſtationibus.

§. 466. In quibuscunque caſibus pigneratio ſecundum leges locum non habet, aut ille, cui ius competit, hoc medio vti non vult, hic contra effectus noxios omnes integrum ſibi conſeruare poteſt ius ſuum proteſtatione iudiciali.

§. 467. Sed ſimul curare eum oportet, vt proteſtatio facta parti aduerſae a iudicio inſinuetur.

§. 468. De proteſtationibus interrumpendae praeſcriptionis; auertendi damni, quod iuri reali in fundo metuendum eſt petitionibus et diſpoſitionibus tertii in

Source : BIU Cujas

libro hypothecario publico; atque de proteſtationibus cambialibus, quae ſunt neceſſaria, ſuo loco ſunt praeſcripta. (Tit. IX. §. 603. Tit. XX. §. 415. Part. II. Tit. VIII. Sect. VIII.)

§. 469. Reſeruationes merae in ſolutionibus et aliis eiusmodi factis, quibus obligationis adimplementum praeſtatur, non ex regulis de proteſtationibus ſunt diiudicandae, ſed vis earum et efficacia determinanda eſt ex natura negotii, cui adiiciuntur.

TITVLVS DECIMVS QVINTVS.

De perſecutione dominii.

Qui rem poſſit vindicare.

§. 1. Domino vero ius competit, rem ſuam ex ſua cuſtodia ſine ſua voluntate ablatam aut retentam, a detentore et poſſeſſore omni vindicandi.

§. 2. Quatenus hoc ius vindicandi etiam poſſeſſori contra alios detentores et poſſeſſores et dominum ipſum competat, in titulo ſeptimo eſt definitum. (Tit. VII. §. 162. ſeqq.)

§. 3. Iuris quoque dominus hoc ſuum dominium perſequi poteſt contra quemuis ius illud ſibi arrogantem.

§. 4. Quatenus iuris poſſeſſor hanc ſuam poſſeſſionem poſſit perſequi contra alium, qui ius idem ſibi arrogat, diiudicandum eſt ex regulis iisdem, quae de poſſeſſione rerum corporalium valent.

§. 5. Ius ipſum autem quam late pateat, et quatenus iura, quae ſub eo continentur, tantum contra certas perſonas, aut in certis rebus, et contra quemuis earum poſſeſſorem exerceri poſſint, ex natura et indole iuris eſt definiendum. (Tit. II. §. 131. ſeqq.)

Source : BIU Cujas

§. 6. Liberi, licet adhuc in patria ſint poteſtate, vindicare poſſunt fundos et iura ad eorum peculium pertinentes, a patre alienatos, ſi alienatio facta eſt neglectis ſolennibus legalibus.

§. 7. Idem ius quoque vxori competit, durante adhuc matrimonio, intuitu rerum ad bona recepticia pertinentium, atque fundorum et iurium illatorum, quae maritus contra legum praecepta vnilateraliter alienauit. (Part. II. Tit. I. Sect. V.)

§. 8. Heredes (ſucceſſores) vindicare poſſunt res ſuas, ab hereditatem relinquente alienatas.

§. 9. At reo (ſ. citato), pro hereditatis (maſſae hereditariae) viribus, aeque ſatisfacere debent, ac hereditatem relinquens ad ſatisfaciendum obligatus fuiſſet, facta ipſo adhuc viuo rei vindicatione.

§. 10. Heredes, qui hereditatem ſine reſeruatione beneficii adierunt, vindicare non poſſunt res ſuas ab hereditatem relinquente alienatas.

Contra quem vindicatio locum habeat.

§. 11. Rei vindicatio tantum competit contra verum rei poſſeſſorem vel detentorem; quatenus detentor ſe non ab actione liberat denominando eum, cuius nomine rem poſſidet. (Tit. VII. §. 165. ſeqq.)

§. 12. Qui in actoris detrimentum ſe rei poſſeſſorem falſo ſimulauit, actori ad praeſtandum omne id, quod intereſt, obligatur.

§. 13. Actor quidem, quod ad rem attinet, agere debet contra verum poſſeſſorem, quatenus res contra eum vindicari adhuc poteſt;

§. 14. Quod vero licet factum fuerit, nihilominus, qui falſo ſe poſſeſſorem ſimulauit, de damno omni inde oriundo, et lucro ceſſante reſpondere debet.

§. 15. Eadem praecepta contra eum quoque locum habent, qui rem mala fide in ſuam poteſtatem redactam poſtea vlterius alienauit.

Source : BIU Cujas

§. 16. Qui rem, de qua actio est mota, citatione insinuata vlterius alienat, eatenus malae fidei possessori aequiparatur.

Effectus rei vindicationis contra possessorem malae fidei et iniustificatum.

§. 17. Qui rem alienam mala fide in suam redegit potestatem, eam gratis restituere debet vindicanti, cui melius ius competit.

§. 18. Idem valet contra quemque, qui rem a persona sibi acquisiuit suspecta.

§. 19. Suspecti habendi ii, qui rerum eius generis, de quo sermo est, mercaturam non exercere, aut eas pro ordine et vitae genere possidere non solent.

§. 20. Quae possessor iniustus, aut qui huic aequiparandus, quod ad fructus et emolumenta, damna et sumtus attinet, vindicanti debeat praestare, loco suo est definitum. (Tit. VII. §. 222. seqq.)

§. 21. Qui rem ab eo, quem, de ea iure disponere non posse, scit aut praesumit, acquirit animo, domino et possessori legitimo eam seruandi; ex regulis secundae sectionis tituli decimi tertii diiudicandus.

§. 22. Qui vero hac exceptione contra effectus legales acquisitionis iniustificatae se vult tueri, eum docere oportet, animum rei domino seruandae in acquisitione aut statim post eam perspicue se declarasse.

§. 23. Quid iuris sit intuitu rerum, quas hostis praedatus, in alios post transtulit, suo loco est praescriptum. (Tit. IX. §. 199. 200.)

contra bonae fidei possessorem.

§. 24. Qui rem alienam ereptam bona quidem fide, sed gratis sibi acquisiuit, eam quoque gratis restituere domino aut possessori legitimo debet.

§. 25. Qui rem a domino aut possessore legitimo amissam, a persona haud suspecta ex pacto onerosо sibi acquisiuit, eam quidem restituere quoque debet;

§. 26. At restitutionem tamen petere potest eorum, quae pro ea dedit, aut praestitit, omnium.

Source : BIU Cujas

§. 27. Iura et officia bonae fidei poſſeſſoris, intuitu expenſarum, fructuum et emolumentorum, meliorationum et deteriorationum, ad tempus poſſeſſionis ſuae pertinentium, in titulo de poſſeſſione ſunt determinata. (Tit. VII. §. 189. ſeqq.)

§. 28. Si bona fide rem alienam acquirens bona fide eam iterum alienauit; domino, ſi quidem huic alio modo indemnitas plena praeſtari nequit, ad exhibendum commodum, ex rei alienatione perceptum, tenetur.

§. 29. In quo commodo computando in fauorem eius, qui bona fide poſſedit, omnium eorum habenda eſt ratio, quae intra poſſeſſionis ſuae tempus aliunde quam ex re ipſa, in eam conſeruandam et meliorandam impendit.

§. 30. Atque etiam eiusmodi actio contra eum, qui bona fide poſſedit, locum tantum habet intra annum vnum, inde ab alienatione ab ipſo facta.

§. 31. Si reus docere poteſt, ſe commodum in re alienanda perceptum caſu perdidiſſe; iam intra huius anni ſpatium ab obligatione commodi reſtituendi liberatur.

§. 32. At contra, actori quoque hoc termino elapſo ius competit, ad reſtituendum ſ. exhibendum commodum agendi, ſi probare poteſt, reum adhuc re vera eſſe in illius commodi poſſeſſione.

§. 33. In quibus caſibus de re, quam poſſidet, conuentus ad edendum poſſeſſionis ſuae titulum teneatur, ſuo loco eſt definitum. (Tit. VII. §. 180. ſqq.) De edendo et probando poſſeſſionis titulo.

§. 34. Simulac actor probauit, rem petitam ex poſſeſſione ſua legitima, ſine ſua voluntate, eſſe ablatam, reus in caſibus omnibus ad edendum poſſeſſionis ſuae titulum et denuntiandum eius auctorem tenetur.

§. 35. Quod ad heredes eo modo conuenti attinet, ſufficit, ſi docent, rem litigioſam in hereditate extitiſſe.

BIBLIOTHÈQUE CUJAS PARIS

Source : BIU Cujas

§. 36. De rebus in ſubhaſtationibus publicis, tabernis, aut mercatibus, et nundinis emtis in genere locum habent praecepta §. 42-44.

§. 37. Qui in caſibus non exceptis auctorem nominare et poſſeſſionis titulum indicare nequit, ad rem gratis reſtituendam tenetur.

§. 38. Quae tamen ratio ſola non ſufficit, vt ad reliquas ſatisfactiones, a malae fidei poſſeſſore praeſtandas, intuitu fructuum et emolumentorum, damnorum aliarumque cauſarum obligetur.

§. 39. Qui vero a iudice rogatus auctorem denominare et poſſeſſionis titulum edere pertinaciter recuſat, nullis demonſtratis cauſis et rationibus, ex quibus probabiliter poſſit colligi, vtrumque ipſi eſſe ignotum, aut excidiſſe ex animo, in quouis reſpectu malae fidei poſſeſſor habendus.

§. 40. Idem contra eum obtinet, qui a iudice rogatus, ſe rem poſſidere, proterue negauit.

§. 41. Qui celat poſſeſſionem rei furto ablatae aut amiſſae, praeſumtionum contra ſe firmat, eam mala fide ſibi acquiſiuiſſe.

Quae res vindicari nequeant.

§. 42. Res a fiſco aut in publica diſtractione emtae vindicari nequeunt.

§. 43. Idem valet de rebus emtis in tabernis mercatorum eorum, qui mercatorum ſocietati ſunt adſcripti.

§. 44. Qui praeter ea rem in mercatibus et nundinis, aut alias emit ab hominibus, qui eius generis res magiſtratus venia publice venditant, ei bonae fidei poſſeſſoris iura competunt intuitu reſtitutionis, refuſo pretio praeſtandae.

§. 45. Ad paratam pecuniam, quae eſt in vſu, repetendam contra bonae fidei poſſeſſorem rei vindicatio non competit, licet nondum confuſa et integra in marſupio aut alio receptaculo, in quo antea fuit, deprehendatur.

§. 46. Quod ſi vero pecunia, quae ſub circumſtantiis adductis, ab alia pecunia omni certo diſcerni

Source : BIU Cujas

adhuc poteſt, gratis in poſſeſſorem praeſentem fuerit translata, eam domino reſtituere ipſum oportet.

§. 47. Praecepta in antecedentibus expoſita (§. 45. 46.) valent quoque de literis (chartis) et inſtrumentis in quemuis detentorem ſonantibus, quamdiu adhuc ſunt in vſu publico. (*in Cours.*)

§. 48. Eiusmodi chartarum vſus publicus ceſſat, ſi dominus ius ſuum modo perſpicuo in inſtrumento ipſo notauit.

§. 49. Et tum etiam, ſi in huius generis literis auctoritate publica confectis nota, inſtituti regulis conuenienti, eſt expreſſum, eas non amplius cuique detentori eſſe ſoluendas.

§. 50. Notae priuatae (§. 48.) tolli non poſſunt, neque literis reddi vſus, niſi praeuia cognitione iudiciali, per teſtimonium (atteſtum) iudiciale, ipſi inſtrumento adſcriptum.

§. 51. At contra, notas §. 49. deſcriptas tollere tantum poteſt illud inſtitutum, quod eas confecit.

§. 52. Promulgatio publica eiusmodi inſtrumenti ablati aut amiſſi nondum ſufficit, vt malae fidei poſſeſſor habeatur, qui illud ante aut poſt eam ſibi acquirit.

§. 53. Promulgationi publicae tum demum hic effectus tribuendus, ſi dominus poſſeſſorem conuincere poteſt, eum, acquiſitionis tempore, notitiam eius iam habuiſſe.

§. 54. Dominus ius ſuum in re immobili amittit, ſi citatione edictali legitime facta illud non rite denuntiat et docet.

§. 55. Quatenus per promulgationem publicam rerum inuentarum ius domini in inuentoris et aerarii, alendis pauperibus inſeruientis, fauorem amittitur, ſuo loco eſt definitum. (Tit. IV. §. 31. ſeqq.)

§. 56. Rem ſemel contra dominum praeſcriptam hic vindicare non poteſt.

Source : BIU Cujas

TITVLVS DECIMVS SEXTVS.

De modis, quibus iura et obligationes ceſſant.

§. 1. Rei dominium phyſica eius commutatione in iis tantum caſibus amittitur, quos leges expreſſe definiunt. (Tit. IX. §. 275. ſeqq.)

§. 2. Totum rei interitum eo ipſo ſequitur iactura iurium rei inhaerentium omnium.

§. 3. Si vero ex re, quae interiit, oriatur noua, iura, quae illi inhaeſerunt, omnia, in hanc quoque eatenus tranſeunt, quatenus in ea poſſunt exerceri.

§. 4. Si priſtini iuris exercitium in re noua pro rei natura locum non habet; nihilominus is, qui ex re noua commodum percipere cupit, eum, cui ius fuit, proportione aequa indemnem praeſtare debet.

§. 5. Si euentibus phyſicis, non ex hominis arbitrio effectis, res tantum eatenus eſt mutata, vt iura rei inhaerentia ob res circumſtantes exerceri nequeant; ius quieſcit, donec impedimentum fuerit ſublatum.

§. 6. Iisdem actibus et euentibus, quibus dominium rerum et iurium ad alios tranſit, ſua etiam amittit iura, qui eo vsque fuit dominus.

§. 7. Iura extinguuntur per praeſcriptionem, iudicis ſententiam, et eiusmodi actus et modos, quibus obligati obligationes tolluntur.

Source : BIU Cujas

§. 8. Extincta obligatione principali tolluntur etiam obligationes ſecundariae ex illa fluentes, aut in illius confirmationem et ſecuritatem ſuſceptae, quatenus legibus aut conuentionibus expreſſis non ſunt reſeruatae.

§. 9. Obligationes tollendi modi, certis obligationum claſſibus proprii, in legibus ſigillatim ſunt determinati, in materiis ad eas pertinentibus.

§. 10. In genere autem obligationes omnes tolluntur adimplendo.

Sectio Prima.

De implemento obligationum generatim.

§. 11. Res alia aut actus alius, quam ab obligato proprie debetur, neque ab eo, cui ius competit, peti, neque obtrudi huic poteſt. Quo modo adimpleri debeat.

§. 12. Quid iuris ſit, ſi implementum obligationis, ex voluntatis declarationibus ortae, obligato vel culpa leuiſſima factum fuerit impoſſibile, ſuo loco eſt definitum. (Tit. V. §. 360-376. Tit. XI. §. 880. ſqq. Tit XII. §. 310. 313. etc.) Quid ſit iuris propter impoſſibilitatem adimplementi intuitu obligationum ex voluntatis declarationibus;

§. 13. Si implementum obligationis, ex legibus ipſis immediate promanantis, obligato vel culpa leuiſſima factum fuerit impoſſibile; eum, cui ius competit, indemnem praeſtare debet. intuitu obligationum ex legibus immediate pro fluentium.

§. 14. Impoſſibilitate ſine culpa ſua exorta; illi, cui ius competit, eatenus tantum ſatisfacere debet, quatenus ex adimplemento omiſſo cum alterius damno commodum eſſet percepturus.

§. 15. Quilibet obligationem ſuam debito quoque tempore adimplere eſt obligatus. Tempus adimplementi.

§. 16. Quod qui omittit, de morae effectibus ei, cui ius competit, reſpondere debet. Mora. eiusque effectus legales.

§. 17. Quae ſatisfactio an damnum tantum immediatum ſpectet, an damnum ſimul mediatum et lu-

Source : BIU Cujas

crum ceſſans in ſe complectatur, ex natura negotii acti et ex generalibus tituli ſexti principiis eſt diiudicandum.

§. 18. Quid traditione rei dilata praeſtandum ſit, decidendum eſt ex malae fidei poſſeſſoris obligationibus in titulo ſeptimo definitis, (Tit. VII. §. 203. ſeqq.) niſi leges in certis negotiis praeſcribant determinationes ſingulares.

§. 19. De effectibus morae legalibus in praeſtandis ſolutionibus, in ſecunda huius tituli ſectione agitur. (§. 64. ſeqq.)

§. 20. Vbi adimplendi tempus neque voluntatis declarationibus, neque iudicis ſententia, neque legibus ſingularibus eſt determinatum; is, cui ius competit, obligatum ad adimplendum interpellare debet.

§. 21. Quamdiu interpellatio in obligati notitiam non peruenit, tamdiu in his caſibus huic nulla mora poteſt imputari.

§. 22. Nemo alteri moram imputare poteſt, dum ipſe, ex ſua parte, obligationi nondum ſatisfecit.

§. 23. Si vero pro negotii natura obligatio ab vna parte eſt adimplenda, antequam alter obligationem mutuam praeſtare debet; hic illi moram eatenus tantum imputare poteſt, quatenus ipſe ad obligationem ſuam adimplendam erat paratus, et adimplere eam poterat.

§. 24. Quod ad moram ab vtraque parte commiſſam (reciprocam) attinet, is, qui primus morae reum ſe reddidit, effectus fert morae legales tantum vſque ad illud temporis momentum, quo incepit mora alterius.

§. 25. Quod temporis momentum ſi cognoſci nequit, ratio tantum habetur effectuum morae poſterioris legalium.

§. 26. Quatenus impoſſibilitas totam adimplementi omiſſionem excuſat; eatenus ea quoque prod-

Source : BIU Cujas

eſt illi, qui obligationem ſuam tempore debito adimplere nequit.

§. 27. Si neque voluntatis declarationes neque negotii natura, neque leges ſingulares locum adimplementi proprius determinant; adimplementum praeſtari et accipi eo loco debet, quo degit obligatus. Locus adimplendi.

Sectio Secunda.

De ſolutione.

§. 28. Solutio eſt obligationis debitoris praeſtatio, quae fit pecunia aut literis, (chartis) cuiuis detentori ſoluendis. Definitiones.

§. 29. Cui ius ſolutionem nomine ſuo poſtulandi competit, vocatur creditor.

§. 30. Creditori tantum, aut ei, cui creditoris ius aut iuris exercitium eſt demandatum, recte ſolui poteſt. Cui recte (valide) ſolui poſſit.

§. 31. Si in pacto vel inſtrumento, ex quo obligatio ſolutione extinguenda oritur, praeter creditorem aliquis eſt nominatus, cui praeſtari ſolutio recte poſſit; debitori eſt electio, cui velit ſoluere.

§. 32. Quae debitoris electio a creditore non aliter, niſi indemnitate plena praeſtita, limitibus poteſt circumſcribi.

§. 33. At vero in iisdem caſibus, vbi ob circumſtantias mutatas a pacto recedere in genere licet, creditor quoque electionem creditori permiſſam poteſt reuocare. (Tit. V. §. 377. ſeqq.)

§. 34. Iudicis etiam diſpoſitione debitori ius poteſt concedi, et imponi obligatio, loco creditoris ſoluendi tertio.

§. 35. At eiusmodi tamen diſpoſitione debitoris obligatio nullo modo durior fiat, aut grauior.

§. 36. Quatenus quis in adminiſtrandis ſuis bonis legibus aut iudicis ſententia eſt circumſcriptus, catenus ei praeſtari ſolutio valida nulla poteſt.

Source : BIU Cujas

§. 37. Quatenus marito pro vxore; patri pro liberis; mandatario pro mandante; adminiſtranti pro principali; corporationum praefectis; fiſci adminiſtratoribus; et tutoribus et curatoribus pro pupillis et minoribus ſolui valide poſſit: diiudicandum eſt ex legibus, harum perſonarum ius propius determinantibus. (Part. II. Tit. I. Sect. V. VI. Tit. II. Sect. III. Tit. VI. Tit. XIV. Tit. XVIII. Sect. V. Part. I. Tit. XIII. Sect. I. Tit. XIV. Sect. II.)

§. 38. Quatenus legitimis voluntatis declarationibus ius alicuius de bonis ſuis diſponendi eſt circumſcriptum, eatenus ei ſolutiones praeſtari validae nullae poſſunt.

§. 39. Quae tamen exceptio ſolutionis factae non validae ei tantum obſtat, qui creditoris ius bonorum adminiſtrandorum ſuiſſe circumſcriptum ſciuit, aut ex praeceptis legalibus ſcire potuiſſet et debuiſſet. (Tit. IV. §. 31. ſeqq.)

Qui valide ſoluere poſſint.

§. 40. Ex inhabilitate ſolutiones validas accipiendi, nondum ſequitur inhabilitas eas praeſtandi.

§. 41. Quin potius ſolutio omnis, ab inhabili etiam praeſtita, in ſoluentis fauorem eatenus valet, quatenus iſte ab obligatione ſe liberauit.

§. 42. Quatenus vero ſolutio ab eiusmodi inhabili praeſtita in accipientis etiam fauorem valeat, aut repoſci poſſint ſoluta, infra definitur. (§. 166. ſeqq.)

§. 43. Qui alterius debitum cum mandato aut ſine eo ſoluit, eum quidem ab obligatione liberat;

§. 44. Quatenus vero ſoluta ſecundum praecepta infra expoſita poſſunt repoſci, eatenus quoque debitoris priſtini obligatio reuiuiſcit. (§. 72. 73.)

§. 45. Soluentis iura contra debitorem diiudicanda ſunt ex primae et ſecundae ſectionis tituli decimi tertii praeceptis, prout ſolutionem praeſtitit cum debitoris mandato, vel ſine eo, aut debitore inuito.

§. 46.

Source : BIU Cujas

§. 46. Generatim soluens in regula contra debitorem in creditoris, cui est solutum, iura succedit, vel sine cessione expressa.

§. 47. Quatenus vero nomini soluto (praetensioni solutae) pro eius qualitate priuilegia certa adhaerent, eatenus soluens iis priuilegiis contra tertium sine expressa cessione vti nequit in regula, et nisi leges singulares aliud iubeant.

§. 48. Aeque soluens quoque creditoris iura in nominis securitatem, fideiussoribus aut pignore praestitam, in regula tantum acquirit expressa creditoris cessione.

§. 49. Existentibus iisdem rationibus (circumstantiis), quibus creditor a debitore ipso ad solutionem acceptandam foret obligatus, eius acceptationem recusare nequit a tertio, debitoris loco soluturo, in administrandis suis bonis non circumscripto.

§. 50. Quatenus creditor eiusmodi solutionem a tertio acceptare debet, eatenus huic quoque ad iura sua in debitorem cedenda obligatur. (Tit. XI. §. 442. 443. 444.)

§. 51. Si vero vterque, creditor et debitor, solutioni a tertio oblatae contradicit; illi ea obtrudi nequit.

§. 52. Solutiones in pactis non fundatas debitor ibi tantum debet soluere, vbi habet domicilium. Locus solutionis.

§. 53. Eiusmodi solutiones, ex aerariis publicis aut his soluendae, excepto casu mutui in aerario accipi debent et praestari.

§. 54. Soluere debitor debet tempore, voluntatis declarationibus aut legibus definito. Quando soluí debeat.

§. 55. At creditori tamen, exceptis solutionibus cambialibus, ius ad soluendum agendi non competit, nisi die praefinito toto elapso.

§. 56. Ante tempus determinatum creditor solutionem accipere non obligatur.

§. 57. Multo minus mera solutio particularis obtrudi creditori potest. De solutionibus particularibus.

Source : BIU Cujas

§. 58. Ex eo ſolo, quod creditor ſolutionem particularem acceptauit, nondum ſequitur prorogatio termini ſolutionis tacita, intuitu reſidui.

§. 59. In quibus caſibus creditor ſecundum leges, ſi plures ſunt debitores, quemlibet eorum pro rata tantum poteſt conuenire, in iis quoque a quolibet ſolutionem pro rata accipere obligatur.

§. 60. In quibus caſibus iudex creditorem cogere poſſit ad accipiendas ſolutiones particulares, ordinatio proceſſus definit.

De ſolutionibus praenumerando praeſtandis, intuitu alimentorum.

§. 61. Alimenta ſemper praenumerando ſunt ſoluenda, ſiue ex pacto aut vltimae voluntatis declaratione, ſiue ex legibus debeantur.

§. 62. Si terminus, ad quem praenumeratio fieri debeat, alias non eſt definitus, ſemper praenumerandum eſt, quidquid in quartam anni partem debetur.

§. 63. Si, cui alimenta debentur, initium attigit temporis ſpatii', in quod praenumerationem poteſt poſtulare, et pro alimentis pecuniae quantum eſt determinatum; totius temporis ſpatii rata eſt ſoluenda, licet accipiens hoc temporis ſpatio nondum finito fuerit mortuus.

Effectus morae in ſolutionibus.

§. 64. Qui moratur in ſoluenda ſumma pecuniae debita, ad ſoluendas morae vſuras tenetur.

§. 65. Quae de mutuorum morae vſuris praecepta ſunt, valent quoque de aliis ſolutionibus, in quibus praeſtandis mora commiſſa, niſi leges determinationes ſingulares praecipiant. (Tit. XI. §. 827 - 834. §. 111. 116. 227. Tit. XII. §. 328. ſeqq.)

§. 66. Qui ex facto illicito ad indemnitatem praeſtandam eſt obligatus; ſummae, in pecunia conſtitutae, vſuras inde a dictae ſententiae die ſoluere debet.

§. 67. In caſibus omnibus, vbi legibus aut voluntatis declarationibus ſolutionis dies eſt praefinitus, ab hoc die morae vſurae currere incipiunt.

Source : BIU Cujas

§. 68. Idem valet de solutionibus conditionatis, simulac conditio existit, eiusque existentia debitori innotuit.

§. 69. In casu vtroque nullum discrimen inde exoritur, si creditor solutionem non petiit, sed tacite indulsit.

§. 70. Quod si vero creditor solutionis terminum expresse prorogauit, de vsuris sibi nihil pactus; vsurae vsque ad prorogationis spatium elapsum nequeunt peti.

§. 71. Si neque solutionis dies est praefixus, neque extraiudicialis interpellatio probata; vsurae ob moram soluendae currere demum incipiunt a die, quo debitori insinuata est creditoris actio.

§. 72. Pecunias aut literas, pecuniae valorem habentes, de quibus debitorem disponere non posse scit creditor, a debitore in solutione accipiendi creditori ius non est. Quid tanquam solutio accipi debeat.

§. 73. Quas si nihilominus acceperit, pecuniae aut literarum domino ad indemnitatem obligatur; at vero quatenus indemnitas ab eo praestanda, ius eius pristinum contra debitorem manet ipsi integrum.

§. 74. Si dubium est, in quibus numorum generibus solutio praestanda sit; in regula attendendum est ad temporis momentum, quo primum est exortum creditoris ius, ex quo solutionem petit. Numorum genus.

§. 75. Ad tempus pacti celebrati aut sententiae publicatae respiciendum tantum est, deficientibus determinationibus propioribus, in damnis reparandis et obligationibus aliis, quae non statim ab initio in soluenda pecunia numerata erant praestandae, sed post demum pacto aut iudicis sententia ad pecuniae summam definiuntur.

§. 76. Solutio omnis, nisi extant conuentiones singulares aut leges, aurum aut numos minores constituentes, praestanda et accipienda est in numis Bo-

Source : BIU Cujas

rufficis maioribus argenti folidioris (*Silber-Courant*), tempore folutionis vfitatis.

§. 77. Solutiones, quae decem thalerorum fummam non attingunt, deficientibus propioribus determinationibus, totae accipiendae funt in numis minoribus; et folutionum, quae triginta thalerorum fummam non attingunt, pars dimidia altera in numis argenti folidioris maioribus, altera in numis minoribus accipienda.

§. 78. Monetas exteras creditor tunc tantum in folutione accipere obligatur, fi expreffe funt fcriptae, aut legibus funt vfu (*in Cours*) receptae.

§. 79. In folutionibus, in terris noftris praeftandis, debitor cogi nunquam poteft, vt foluat monetas exteras in terris noftris vfu non receptas.

§. 80. Excepto cafu, fi monetae exterae, tanquam merces emtae, emtori exhiberi debent.

§. 81. Si in omnibus cafibus reliquis monetarum exterarum vfus tempore interiecto vfque ad folutionem, in noftris terris praeftandam, eft prohibitus; creditor quoque loco illarum monetas noftras poteft petere.

§. 82. Si inter fe differunt monetae, in quibus creditor folutionem poteft exigere, et illae, in quibus debitori folutionem praeftandi ius eft et obligatio; in definiendo, quantum in monetae genere poſteriori foluendum fit, attendendum eft ad praecepta de mutuis data. (Tit. XI. §. 778. feqq.)

§. 83. Caeterum ea obtinent, quae de numorum generibus, in quibus folutio fit praeftanda, praecepta funt in pactis in genere, in primis emtionis venditionis et mutui pactis in fpecie, in legatis et aliis negotiis. (Tit. V. §. 257. 258. Tit. XI. §. 56. 57. §. 778. feqq. Tit. XII. §. 450. 451.)

§. 84. Valent quoque determinationes, de quibus inter partes ante conuentum eft, omnes, et in

Source : BIU Cujas

debitoris quidem fauorem ſine diſcrimine; at in creditoris fauorem eatenus tantum, quatenus nulla ſubeſt vſuraria prauitas.

§. 85. De ſolutionibus mercatoriis et negotiis cambialibus, determinationes propiores in iure mercatorio continentur. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VII. VIII.)

§. 86. Qui ſolutionem praeſtitit, ei ius competit, apocham i. e. confeſſionem (recognitionem) ſcriptam ſolutionis acceptae a creditore poſcendi. De apochis.

§. 87. Ad apocham iuſtam et plenam requiritur 1) deſcriptio aut denominatio nominis (debiti) extincti, 2) denominatio eius, qui fuit debitor; 3) expreſſa temporis et loci mentio, quo facta eſt ſolutio; 4) ſubſcriptio creditoris aut accipientis, qui alio modo ſe rite legitimum probauit.

§. 88. Si ſolutio non ab ipſo debitore, neque eius iuſſu aut mandato, ſed ab altero eſt praeſtita; et hic in apocha eſt denominandus.

§. 89. Si apocha in inſtrumento debiti ipſo datur, non opus eſt determinationibus, quae ex inſtrumento patent.

§. 90. Quae circumſtantiae intuitu ſolutionis ex apocha cognoſci nequeunt; eas, ſi opus fuerit, alio modo probare oportet illum, qui debitor fuit.

§. 91. Si in vſurarum ſolutionibus et perpetuis praeſtationibus inter ſoluentem et accipientem eo vſque certa, licet vitioſa, apocharum forma obtinuit; debitor creditori, eo loco non praeſenti, ſolutionem data eiusmodi apocha denegare quidem non poteſt;

§. 92. At vero ius ei competit, apocham legitimam a creditore poſtea petendi.

§. 93. Scribendi imperiti, aut qui alio corporis vitio impediuntur, quo minus ſcribant, crucibus aut ſigno, quo vti alias ſolent, ſubſignare debent apochas, teſtibus inſtrumentariis duobus adhibitis.

Source : BIU Cujas

§. 94. Intuitu summarum quinquaginta thalerorum, et minorum, sufficit testis instrumentarius vnus adhibitus.

§ 95. Testes subscribendo testari oportet, solutionem accipientem hoc signum praesentibus ipsis appossuisse.

§. 96. Si summa soluta quinquaginta thaleros aequat, aut excedit; solutionem praestans postulare potest, vt apocha detur in eadem forma, quae intuitu pactorum eiusmodi personarum est praescripta. (Tit. V. §. 171. seqq.)

Quatenus instrumenti retraditio, aut

§. 97. Ex eo solo, quod instrumentum debiti in eius est manibus, qui debitor fuit, nondum sequitur, cambiis perscriptis (traffatis) solis exceptis, debitum esse extinctum.

§. 98. Si vero apparet, creditorem ipsum debitori instrumentum reddidisse; debitum esse solutum tamdiu praesumitur, quamdiu retrotraditionis factae causa alia cognosci nequit.

§. 99. Si non apparet, quomodo debitor instrumenti possessionem acquisiuerit; ex hac etiam possessione praesumtio quidem pro debitore oritur;

§. 100. Sed pro rebus circumstantibus reliquis ex iudicis arbitrio pendet, quatenus haec praesumtio, deficientibus aliis probandi argumentis, iureiurando necessario corroborari aut elidi debeat.

§. 101. Soluens igitur nunquam est obligatus, vt in retrotraditione instrumenti acquiescat; sed praeterea apocham expressam exigere adhuc potest.

eius dilaceratio in locum apochae succedat.

§. 102. Si instrumentum apud creditorem aut in eius hereditate, discerptum, dilaceratum aut alio modo laesum inuenitur; praesumtio oritur legalis, nomen ipsum, cuius veritas eo fundari debet, vno modo aut alio fuisse extinctum.

§. 103. Quae tamen praesumtio cessat, simulac potest probari, laesionem mero casu esse exortam, aut a debitore ipso vel tertio effectam, creditore non consentiente aut non ratihabente.

Source : BIU Cujas

§. 104. Apocha legitime concepta, ſimulac creditori eſt tradita, pro eo legalem producit probationem ſolutionis ſecundum apochae ſententiam praeſtitae. Apocharum vis probandi.

§. 105. At apocham danti reſeruatur ius, probandi contrarium.

§. 106. Quod ſi vero dans apocham temporis ſpatium, trimeſtri longius, praeterlabi paſſus creditorem ob ſolutionem nondum praeſtitam non conuenit, neque apocham, ſub ſpe ſolutionis datam, repetiit: ſi factum perſpicue atque plane cognoſci non poſſit, apocham detinens ad iusiurandum potius purgatorium, quam dans apocham ad ſuppletorium debet admitti.

§. 107. Neque, qui dedit apocham, eo termino praeterlapſo debitoris heredibus iusiurandum poteſt deferre de ſolutione non facta.

§. 108. Si debitor in apochae receptionem agnitionem dedit ſcriptam, debitum nondum eſſe ſolutum, apocha omni probandi vi ea deſtituitur.

§. 109. Quatenus vero et creditor et debitor tertio, eiusmodi ſimulatione inter eos acta, decepto aut laeſo obligentur, ex principiis generalibus de ſimulationibus et deceptionibus diiudicandum. (Tit. IV. §. 52. ſeqq. Tit. XIV. §. 210. 211.)

§. 110. Si in inſtrumento, quod eſt apud creditorem, ſunt ſolutionum praeſtitarum notae, ſiue a creditoris ſiue ipſius debitoris manu ſcriptae, hae in locum apocharum verarum ſuccedunt.

§. 111. Hinc probatio ſolutionis nihilominus non ſecutae contra eiusmodi notas (adnotationes) admittitur, at non niſi eodem modo, quo contra apochas veras.

§. 112. Neque probandi vis notarum in inſtrumento, quod adhuc apud creditorem eſt, ſcriptarum eo deminuitur, quod notae iterum deletae (expunctae, cancellatae) ſunt.

Source : BIU Cujas

§. 113. Si ex apocha apparet, obligationis diſſolutionem, in ea teſtatam, non fuiſſe effectam ſoluendo; propius eſt eruendum negotium aliud, inter creditorem et debitorem actum, ex quo apocha eſt exorta.

§. 114. Quae cognitio ſi locum non inuenit, eiusmodi apocha (quietatio) ex regulis de renuntiatione iurium eſt diiudicanda.

§. 115. Apochae in regula probant tantum ſolutionem nominis (debiti) expreſſe denominati.

§. 116. Si apocha refertur ad certam rationem computatam, et ſi in ea facta eſt confeſſio, eam accipientem ei, qui apocham dedit, nihil amplius debere, ſummae omnes, quarum dies eo vſque venit, pro ſolutis ſunt habendae.

§. 117. At contra, eiusmodi etiam apocha nullo modo eſt extendenda ad nomina, (praetenſiones) quae tum quidem iam extiterunt, at quorum dies nondum venerat.

§. 118. Multo minus ea apocha ad ea nomina (eiusmodi quotas) eſt referenda, quarum notitiam apocham dans habere non potuit datae apochae tempore.

§. 119. Si apocha expreſſe quoque ad ſummas tempore datae apochae incognitas eſt directa, negotium ex renuntiationum et transactionum regulis eſt diiudicandum.

§. 120. Mercatores, accepti et expenſi libros recte conſtitutos ſcribere obligati, non poſſunt denegare debitori ſoluenti, quem ſolutionis tempore nihil ipſis debere confitentur, apocham generalem, qua ad hoc tempus omnia eſſe ſoluta perhibent.

§. 121. Contra eiusmodi apocham nulla poſtea locum habet antiquiorum nominum petitio ſub praetextu, eorum tempus tum nondum aduenisſe, aut ignota ea fuiſſe.

Source : BIU Cujas

§. 122. Quod tamen tantum extenditur ad nomina (praetensiones), quae ad confitentis negotia mercatoria pertinent.

§. 123. De aliis negotiis, mercatorum etiam, praecepta §. 116-119. locum habent.

§. 124. Quatenus solutiones notis taleae (tesseris) incisis probari possint, diiudicandum est ex praeceptis, de vi talearum (tesserarum) probandi in ordinatione processus datis.

§. 125. Praeter apocham soluens postulare etiam potest redditionem instrumenti de debito soluto vnilateraliter dati. De redditione et mortificatione instrumenti, cuius summa est soluta.

§. 126. Instrumento amisso, mortificatio eius in vicem succedit redditionis.

§. 127. In mortificationis documento accurate describatur instrumentum amissum, et contineatur confessio, obligationi in eo fundatae plene esse satisfactum.

§. 128. Si nomen, debitore consentiente, ad tertium transiit; debitor acquiescere debet mortificationis documento ab hoc detentore vltimo dato.

§. 129. At vero, si translatum nomen fuerit in tertium, debitore non consentiente, debitor tantum ad soluendum est obligatus mortificationis documento, a creditore, quem agnouit, dato.

§. 130. Si instrumentum cuique detentori est soluendum, debitor petere potest promulgationem et mortificationem legitimam publicam, sumtibus solutionem accipientis.

§. 131. Quamdiu secundum praecepta antecedentia documentum mortificationis sufficiens debitori comparari nequit, tamdiu hic ad soluendum tantum tenetur, cautione ipsi praestita idonea; qua non praestita ius ei competit, in iudicio deponendi summam soluendam.

Source : BIU Cujas

§. 132. De mortificatione inſtrumentorum iudicialiter conſignatorum (intabulatorum) praecepta valent ordinationis hypothecariae.

Praeſumtiones legales, ex apochis.

§. 133. Si apochis aut alio modo probari poteſt, ſolutiones aut praeſtationes particulares (quibus termini ſunt praefixi) pro terminis duobus continuis eſſe ſolutas aut praeſtitas, et a creditore ſine reſeruatione acceptas; anterioribus etiam terminis facta praeſumitur ſolutio aut praeſtatio.

§. 134. Quae quidem praeſumtio locum habet, licet duorum terminorum ſolutio non ſoluendo, ſed compenſando, aut remittendo, at ſine reſeruatione tamen facta ſit.

§. 135. Nec praeſumtio eliditur, licet ſumma in apochis expreſſa cum eo non concordet, quod proprie erat ſoluendum.

§. 136. At contra, ad hanc praeſumtionem legalem firmandam requiritur, vt apochae datae ſint tempore vere diuerſo.

§. 137. Quin et praeſumtio infirmatur, ſi apochae quidem extant terminorum praeterlapſorum plurium ſed non immediate ſe excipientium.

§. 138. Tum ex iudicis iudicio dependet, quatenus pro rebus circumſtantibus reliquis ſententia iniungendum ſit iusiurandum ſuppletorium aut purgatorium.

§. 139. Apocha ſi data eſt verbis generalibus de praeſtationibus vſque ad certum terminum praeſtitis; praeſumtio valet, terminis omnibus, quorum dies vſque ad illum terminum venerat, fuiſſe ſatisfactum, licet quantum in apocha expreſſum ſummam tantum conſtituat termini, quo erat ſoluendum, vltimi.

§. 140. Quid iuris ſit intuitu apocharum de vſuris mutuorum ſolutis, loco ſuo eſt ſancitum. (Tit. XV. §. 837. ſeqq.)

§. 141. Si in apochis diuerſis de praeſtationibus perpetuis qualitas iuris, ex quo oriuntur, modo

Source : BIU Cujas

diuerſo eſt expreſſa; haec, niſi alio modo poſſit cognoſci, diiudicanda eſt ex apochis antiquioribus.

§. 142. At vero ſi quantitas praeſtanda in antiquioribus et poſterioribus apochis diuerſo modo eſt expreſſa; praeſumtio ſtat pro quantitate in poſterioribus apochis ſcripta.

§. 143. Si per tres annos continuos ſolutio aut praeſtatio ſemper vno eodemque modo fuit facta, et ſine reſeruatione accepta; ſolutionem tanti fuiſſe tranſigendo definitam eſt praeſumendum.

§. 144. Quae tamen praeſumtio ceſſat, ſi ob res circumſtantes reliquas transactio (compoſitio) inter debitorem et accipientem valida cogitari nequit.

§. 145. In genere ei, cui ius competit, intra praeſcriptionis tempus ſemper reſeruatur probatio, ſolutionem aut praeſtationem ex errore tantum aut aliis cauſis eo modo fuiſſe acceptam.

§. 146. Quod attinet ad obligationes, quae non conſiſtunt in ſolutionibus, terminis praefixis praeſtandis (terminalibus), ex apocha de debito recentiori ſoluto nulla deſumitur praeſumtio, debitum antiquius eſſe ſolutum.

§. 147. At vero, ſi mercatores de anni vltimi ratione, ſub eius fine habitae, apocham fine reſeruatione dederunt; antecedentium quoque annorum rationes ſolutae (compoſitae) praeſumendae.

§. 148. Idem valet de pharmacopolis, opificibus, et aliis, quibus vel cum emtoribus generatim, vel cum detentore apochae ſpeciatim ea, quae poteſt probari, intercedit ratio, vt cum iis de exhibitionibus (*Lieferungen*) aut praeſtationibus factis cuiusque anni certo tempore rationes computare et conciliare ſoleant.

§. 149. Solutio valide et recte praeſtita debitorem liberat ab obligatione, quae diſſolui ea debuit. Solutionis effectus.

§. 150. Si ſoluens accipienti ex pluribus cauſis (praetenſionibus) debet; in primis ex partium con-

Source : BIU Cujas

uentione diiudicandum eſt, in quam ſummarum debitarum imputanda ſit ſolutio praeſtita.

§. 151. Si debitor ſolutionem expreſſe in ſummam certam praeſtitit, et creditor eam accepit, nulla ab eo poſt acceptam pecuniam contradictione ſoluenti facta intra terminos Tit. V. §. 91. definitos; ſolutionem iſtam poſtea in aliud nomen (praetenſionem) imputare creditor nequit.

§. 152. Si creditor ſummam, absque vlteriore determinatione ſolutam, expreſſe in nomen certum imputauit; debitor intra terminos dictos poſt acceptam apocham non contradicens imputationem poſtea quoque agnoſcere debet.

§. 153. Si inter partes de nihilo conuentum; ſolutio praeſtita inprimis imputanda eſt in vſuras, quarum dies tunc temporis venerat.

§. 154. Si ſumtus etiam a debitore ſoluendi, hi antecedunt vſuras.

§. 155. De pluribus ſortibus (ſummis capitalibus) ſolutio in primis in eam eſt imputanda, quam creditor petiit (praetendit) primam.

§. 156. Nulla earum aut omnibus ſimul petitis (praetenſis), imputare creditor poteſt ſummam ſolutam in illud debitum, quod pro qualitate ſua ſecuritate minori eſt munitum.

§. 157. Si debita eiusdem ſunt qualitatis, ſolutio in illud imputatur, quod intuitu vſurarum modi magis oneroſum eſt ſeu durius debitori.

§. 158. Quarum determinandi rationum antecedentium ſi nulla exiſtit; ſolutio imputanda eſt in ſummam, ex tempore longiori ſoluendam.

§. 159. Quod ſi nec inde determinandi ratio colligi poſſit; ſolutio in omnes debitorum ſummas pro rata eſt imputanda.

De reſeruatione in ſolutionibus.

§. 160. Solutione cum reſeruatione praeſtita, ſoluenti ius manet integrum, exceptiones ſuas contra ſoluendi obligationem poſtea etiam adhuc opponendi.

Source : BIU Cujas

§. 161. At eiusmodi reseruatio scriptis esse debet declarata, aut agnita in apocha, a solutionem accipiente data.

§. 162. Idem praeceptum quoque obtinet in summis quinquaginta thalerorum, et minoribus, simulac de iis data est apocha scripta.

§. 163. Si reseruatio non facta est intuitu exceptionum omnium in genere; vis eius et efficacia tantum extenditur ad exceptiones expresse reseruatas.

§. 164. Si solutionem accipienti in reseruatione non libet acquiescere; ei licet iudicialiter prouocare soluentem ad exceptiones legaliter docendas, secundum leges ordinationis processus.

§. 165. Solutione siue reseruatione praestita in regula vim amittunt exceptiones, quas alteri opponere soluens potuisset.

De soluti ex errore repetitione (condictione indebiti.)

§. 166. At vero, quidquid ex fundamento obligationis putatiuae, sed non re vera existentis, atque adeo ex errore est solutum, repeti (condici) potest, secundum determinationes propiores subsequentes.

§. 167. Error omnis, in quem soluens ab accipiente dolose est inductus, illi ius tribuit repetitionis (condictionis).

§. 168. Debitum die certo praefinito soluendum ante tempus solutum erroris exceptione neque repeti (condici) potest, neque per tempus interiectum vsurae vllae posci indemnitatis loco possunt.

§. 169. Debitum maturius solutum, cuius soluendi terminus pendet ab euentu futuro ratione temporis incerto, tunc tantum potest repeti, si soluens intuitu euentus ipsius fuit in errore, condictionem in se fundante.

§. 170. Quod ex negotio, ob partis alterius inhabilitatem secundum leges hunc non obligante, solutum est ante inhabilitatem remotam, eatenus pot-

Source : BIU Cujas

eſt repeti, quatenus inhabilis ne quidem ob verſionem in ſuam vtilitatem factam fuit obligatus.

§. 171. Si inhabilis debitum per ſe obligatorium, at non vſurarium, ſoluit maturius; ab accipiente iure poteſt petere vſurarum per tempus interiectum refuſionem.

§. 172. Quae ex negotio, legi expreſſae prohibitiuae contrario, ſunt ſoluta, ſoluens quidem repetere (condicere) nequit;

§. 173. At vero fiſco ius competit, accipienti lucrum prohibitum eripiendi.

§. 174. Si ſoluens perſona erat ſecundum leges ad obligationes ſuſcipiendas inhabilis; ab eo poteſt repeti, quidquid vel ex negotio illicito ſoluit.

§. 175. Attamen et hic, quia eſt particeps facti illiciti, ex quo ſolutio eſt praeſtita, ad poenam luendam fiſco aeque tenetur, quam accipiens.

§. 176. In ſolutionibus ex negotio, ob ſolum formae legitimae defectum haud obligatorio, repetitio (condictio) ob exceptionem ignorantiae ſolennium horum legalium nunquam habet locum.

§. 177. Quid iuris ſit in ſolutionibus praeſtitis ex pactis ore tenus celebratis, ſuo loco propius eſt definitum. (Tit. V. §. 155. ſeqq.)

§. 178. Si praeter caſus antecedentes definitos ſolutio ſine reſeruatione facta reuocari debeat; cognitum ſit neceſſe eſt: 1) ſoluentis obligationem ſoluendi plane nullam ne moralem quidem extitiſſe; 2) accipientem inde commodum percepiſſe, cuius percipiendi ei ius nullum fuit; 3) ſolutionem ex errore vero eſſe factam.

§. 179. Si vlla ſoluentis extitit ſoluendi obligatio licet tantum imperfecta; repetitio locum non habet, licet hic ob legem latam poſitiuam ad ſoluendum inuitus cogi non potuiſſet.

§. 180. Si accipiens ſolutione tantum id accepit, quod ei re vera debebatur: ad reſtituendum non obli-

Source : BIU Cujas

gatur; licet non ſoluens, ſed alius, ſolutionem ei praeſtare debuiſſet.

§. 181. Denique ſi quidem exiſtunt requiſita reliqua §. 178. definita; at probari non poteſt, neque alias ex circumſtantiis perſpicue intelligi, ſolutionem ex errore re vera eſſe factam; negotium non ex regulis de ſolutionibus ſed de donationibus eſt diiudicandum.

§. 182. Si pactum, vltimae voluntatis diſpoſitio, aut ſententia, ex cuius fundamento ſolutionem quis praeſtitit, poſtea declarata inualida: ſtatuendum quidem eſt, ſolutionem ex errore eſſe factam;

§. 183. An vero ſoluenti et in hoc caſu repetendi (condicendi) ius competat, ex eo pendet: an requiſita etiam §. 178. duo reliqua exiſtant.

§. 184. Si quis pactum, voluntatis vltimae diſpoſitionem, aut ſententiam, ex qua ſolutionem praeſtiterat, ipſam ob defectum formae legibus poſitiuis praeſcriptae impugnauit, et ex hoc fundamento ſolo effecit, vt declaretur nulla: non tamen poteſt repetere (condicere) ea, quae ex pacto, vltimae voluntatis diſpoſitione aut ſententia ſoluit. (§. 178.)

§. 185. Qui ſciens debita aliena ſoluit, repetere ſoluta nequit exceptione, ſe ad ſoluendum non fuiſſe obligatum.

§. 186. Quatenus autem ea, quae quis pro ſe ipſo ſoluit, poſſunt repeti (condici) ob perſonalem ipſius inhabilitatem, ad ſoluendi obligationem ſuſcipiendam; eatenus quoque eiusmodi repetitio (condictio) locum habet reſpectu ſolutionum pro alio praeſtitarum ab inhabili. (§. 170.)

§. 187. Habilis quoque, quae pro alio ſoluit, eatenus poteſt repetere (condicere), quatenus debitori, ſi ſolutionem ipſe praeſtitiſſet, repetendi ius competeret.

§. 188. Ex quo principio definitur quoque mulieris ius, matrimonii vinculo rupto condicendi ea,

Source : BIU Cujas

quae ſoluit matrimonii tempore, marito non ratihabente.

§. 189. Qui rem, quam petere non poteſt, eius haud inſcius, pro ſolutione aut alio obligationis implemento accipit, de accepto reſpondet, tanquam malae fidei poſſeſſor.

§. 190. In errore ipſe verſatus bonae fidei poſſeſſor habendus.

§. 191. Qui pro ſumma tota debiti, ex parte tantum veri, rem in ſolutum dedit, non poteſt agere ad rem ipſam reſtituendam, licet partem ſolutam excedentem iure poſſet repetere (condicere).

§. 192. Si, qui ex rebus pluribus vnam tantum aut aliam dare debet, ex errore omnes dedit, eum in repetendo (condicendo) electionem concedere oportet accipienti.

§. 193. Qui in ſolutionem accepit pecuniae ſummam, aut rem fungibilem aliam, quam petere non poterat, reſpondet de ea, tanquam de mutuo, quatenus repetitio (condictio) in genere locum habet.

§. 194. Si eiusmodi ſolutionem ſe petere non poſſe ſciuit, ſoluere debet ſoluti vſurarum modum ſummum, inde a die, quo accepit.

§. 195. Si ipſe fuit in errore, ad morae vſuras ſoluendas tantum obligatur a citationis inſinuatae die.

§. 196. Si obligationis putatiuae implementum in factis conſtitit, quorum mercedem praeſtans accipere ſolet, hic eam mercedem rebus iisdem circumſtantibus poſtea petere poteſt, quibus ea, quae ſoluit, reuocandi ius ipſi competeret.

§. 197. De factis aliis ex errore praeſtitis, vel iisdem rebus circumſtantibus, ſatisfactionem tum demum praeſtans poteſt petere, ſi alter ſciuit, praeſtationes iſtas ſibi non deberi, et ſi factum ipſum aeſtumari poteſt.

§. 198.

Source : BIU Cujas

§. 198. Si ille, cui ſolutio eſt facta, eam non pro ſe ipſo, ſed pro tertio tantum accepit: repetitio (condictio) contra tertium tantum locum habet; niſi accipiens doloſe egerit, aut fines mandati exceſſerit.

§. 199. Quid iuris ſit, ſi ex pacto celebrato contrahentium alter quid dedit, aut praeſtitit, deinde autem pacti adimplementum ex parte alterius locum non habet, ſuo loco eſt definitum. (Tit. V. §. 360. ſeqq.) De condictione cauſa data cauſa non ſecuta.

§. 200. Si, pacti caſu excepto, quid datum eſt aut praeſtitum in finem per acceptantem efficiendum; accipiens in regula finem debet efficere, aut reſtituere acceptum.

§. 201. Si accipientis culpa propria finis propoſitus effici non potuit; hic obligatur ab eo, quo culpam commiſit, temporis momento, prout datum in re aut in pecuniae ſumma conſiſtit, ad praeſtandam eam, quae malae fidei poſſeſſori incumbit, indemnitatem, aut ad vſuras ſoluendas.

§. 202. Si ſine accipientis concurſu vllo, mero caſu, finis adimplementum factum eſt impoſſibile; accipiens danti eatenus tantum ſatisfacere debet, quatenus acceptum in eius vtilitatem eſt verſum.

§. 203. Si finis implementum dantis concurſu factum eſt impoſſibile; accipiens danti eatenus tantum eſt obligatus, quatenus accepto adhuc eſt re vera locupletatus.

§. 204. At vero, ſi in hoc caſu accipiens a dante vult petere praeſtationem eius quod intereſt; quae accepit, omnia debet imputare.

§. 205. Quae data ſunt in finem illicitum, repetere (condicere) fiſcus tantum poteſt. De ſoluto in finem illicitum, (condictione ob turpem et iniuſtam cauſam.)

§. 206. Idem valet de eo, quod datum eſt in finem, decoro et honeſto contrarium, ſimulac hic finis eiusque turpitudo accipienti etiam fuerunt cogniti.

§. 207. Quae a dante contra ius ſunt exacta, ei ſunt reſtituenda.

Source : BIU Cujas

§. 208. Intuitu fructuum et vfurarum praecepta §. 189. 194. locum habent.

§. 209. Quatenus pacta, vi exacta, fint inualida, atque adeo, quae ex iis data funt, poffint repeti, (condici), fuo loco eft definitum. (Tit. IV. §. 31. fqq.)

§. 210. Qui perfonae, in officio publico conftitutae, fponte dedit praemium, legibus non approbatum, ea de caufa, vt officium exerceat, aut non exerceat, repetere (condicere) praemium nunquam poteft.

§. 211. Quin potius eiusmodi praemia fponte data, aut modo definito tantum oblata, fifco cedunt

§. 212. At vero, qui ab accipiente ad eiusmodi praemium dandum eft inductus, repetere (condicere) illud poteft fecundum determinationes. (§. 207. 208)

Sectio Tertia.

De depofitione.

Principium.

§. 213. Depofitione iudiciali legitima fummae aut rei debitae debitor eiusque fideiuffor ab obligatione aeque liberatur, ac folutione aut traditione vera.

Vbi depofitio fieri debeat?

§. 214. Depofitionis permiffio a iudicio loci folutionis quaerenda.

Vbi locum habeat.

§. 215. Inprimis tunc locum habet, fi folutiones praeftari nequeunt ob impedimentum in creditoris perfona.

§. 216. Eiusmodi impedimentum exoritur, fi creditor vel eius mandatarius folutionis tempore in loco folutionis non inueniuntur, aut fi creditor vel eius mandatarius ad folutionem accipiendam non rite funt legitimati.

§. 217. Si debitor interrogatus conftanter affirmat, fe data omni opera neque creditorem neque mandatarium inuenire potuiffe, iudex depofitionem, faluo tamen creditoris iure, admittere debet.

Source : BIU Cujas

§. 218. Depoſitio iudicialis locum porro obtinet, ſi creditor ex cauſa leui, aut dubia ſaltem, ſolutionem acceptare recuſat.

§. 219. Huc pertinet in primis caſus, ſi debitor veritatem fundamenti petitionis ſ. nominis (realitatem praetenſi) ex parte negat, et creditor partem eius, a debitore agnitam, non vult accipere, ne quidem cum reſeruatione iuris ſui, intuitu reſidui litigioſi.

§. 220. Et ille caſus, ſi debitorum plurium, pro rata tantum obligatorum, vnus ratam ſuam creditori offert, quam creditor acceptare recuſat.

§. 221. Si ex hoc fundamento petitur depoſitio, (§. 218.) creditor de cauſis allegatis ante omnia legitime audiatur neceſſe eſt.

§. 222. Idem fieri debet, ſi debitor vel tantum dubitat de legitimatione creditoris aut eius mandatarii, ſolutionis loco ſoluendi tempore praeſentis, eamque ob cauſam depoſitionem petit.

§. 223. At in vtroque tamen caſu, ſi cauſae, an iuſta ſit depoſitio an minus, non poſſunt in continenti liquido probari, iudicem cum partis ſuccumbentis periculo depoſitionem permittere oportet.

§. 224. Quo in caſu ſententia quoque de depoſitione iuſte aut iniuſte facta vſque ad ſententiam de re principali latam eſt differenda.

§. 225. Vtrum iudex, apud quem facta eſt depoſitio, ſit rei principalis iudex competens, an minus, ordinatio proceſſus determinat.

§. 226. Propter petitiones contrarias (praetenſiones reconuentionales) adhuc litigioſas debitor tantum poteſt ad deponendum admitti, ſi cauſae exiſtant, ex quibus arreſtum imponitur legitimum.

§. 227. Quatenus debitor cambialis contra executionem cambialem deponendo tueri ſe poſſit, loco ſuo eſt definitum. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VIII.)

Source : BIU Cujas

§. 228. Depositione legitima re vera facta periculum rei iudicialiter depositae in creditorem transit.

§. 229. Ab vsuris morae, poenis conuentionalibus, et morae effectibus noxiis aliis liberatur debitor inde a die praesentationis petitionis oblatae, quatenus deinde vera subsequitur depositio, quae postea agnoscitur legitima.

§. 230. Si creditor solutionem acceptare ex causis iustis recusauit; aut si reiiciuntur tanquam leues exceptiones, a debitore dubitante legitimationi creditoris aut eius mandatarii oppositae; depositio re vera subsecuta solutionis aut traditionis vicem explere nequit; sed facta est debitoris periculo et sumtibus.

§. 231. Idem obtinet, si in casu §. 217. exposito debitor, meliora sciens, causam dedit depositionis.

§. 232. Atque etiam depositio debiti, ex parte tantum facta, solutionis vicem tum tantum potest explere, si creditor ad accipiendas solutiones particulares fuisset obligatus.

§. 233. Quid in deponendo alias iuris sit, praescriptum est partim in ordinatione de depositis, partim in titulo de depositi contractu. (Tit. XIV. Sect. I.)

§. 234. Atque etiam, quod ad res immobiles attinet, ex causis iisdem, quae in antecedentibus de depositione generatim sunt definitae, admittitur traditio rei, quae in iudicio custodiatur et administretur, eo effectu, vt obligatus inde ab obligatione liberetur.

Sectio Quarta.

De datione in solutum.

§. 235. Traditio rei in solutum eatenus tantum liberat debitorem, quatenus a creditore expresse in solutum est acceptata.

Source : BIU Cujas

§. 236. Ex eo, quod rei traditae taxatio eſt adiecta, nondum ſequitur, creditorem eam pro pretio definito in ſolutum acceptaſſe. Vbi datio in ſolutum adſit?

§. 237. Quin potius creditor, dum de pretio rei datae in ſolutum cum debitore nondum expreſſe conuenit, ſemper adhuc poteſt, re reſtituta, petere ſolutionem numeratam.

§. 238. Quamdiu igitur de rei pretio nondum eſt conuentum, tamdiu rei dominium cum omnibus effectibus legitimis eſt debitoris, et creditor in ea cuſtodienda culpam tantum latam praeſtat.

§. 239. At vero ſi debitor creditori, ad declarandum: an rem velit pro pretio determinato acceptare, non expreſſe conceſſit tempus longius; creditor ſe declarare debet intra terminos Tit. V. §. 91. ſeqq. definitos.

§. 240. Quod ſi creditor negligit, ex debitoris arbitrio pendet, an velit rem repetere.

§. 241. Si creditor terminos Tit. V. §. 91. definitos praeterlabi ſiuit, re debitori non reſtituta; inter tempus tractatuum, de pretio continuatorum, in re cuſtodienda non latam tantum ſed leuem etiam culpam praeſtat.

§. 242. Si creditor rem pretio definito ſemel acceptauit, debitum eatenus eſt extinctum; caeterum inter partes iura et obligationes eaedem, quae inter emtorem et venditorem, exiſtunt. Eius effectus.

§. 243. At vero, ſi res intra annum, poſtquam erat in ſolutum data, in totum aut ex parte a tertio actione vindicatoria petitur, creditori licet, re reſtituta ſtatim ſolutionem numeratam petere, et debitori relinquere litem, aduerſus tertium vindicantem agendam.

§. 244. Intuitu temporis interiecti tunc creditor bonae fidei poſſeſſor habendus.

§. 245. Si tertius demum anno elapſo rem petit, creditori in eum, qui debitor fuit, quod ad euictio-

Source : BIU Cujas

nis praeſtationem attinet, ea tantum iura competunt, quae emtori in venditorem.

§. 246. Acceptatione in ſolutum in caſu §. 243. reuocata, creditor quidem, licet tertius rem litigando non obtineat, ad acceptationem in ſolutum reuocatam non amplius poteſt regredi;

§. 247. Rem vero tanquam pignus retinere poteſt, donec vel ei ſatisfactum, vel conſtituta eſt tertii petitio (praetenſio) ſententia, vires rei iudicatae nacta.

§. 248. Si creditori ex re aut alio modo a debitore ſatisfieri nequit, in hoc caſu §. 243. ius eius in fide-iuſſorem ipſi quidem patet;

§. 249. Sed ſi hoc iure vti in poſterum velit, factam acceptationis in ſolutum reuocationem, eodem tempore, quo debitori eam declarauit, fideiuſſori etiam ſignificare debet.

§. 250. Si terminus in §pho 243. definitus eſt elapſus; fideiuſſor liberatur a debiti, acceptatione in ſolutum extincti, euictione omni, licet creditori ex praecepto §. 245. regreſſus pateat ad eum, qui debitor fuit principalis.

Sectio Quinta.

De aſſignationibus.

Definitio. §. 251. Si quis alteri dat mandatum, de exigendis, ſuo ipſius nomine, a tertio quodam iis, quae mandanti debet hic tertius: mandatum vocatur aſſignatio.

§. 252. Quatenus aſſignationis is eſt finis, vt ea extinguatur debitum, quod aſſignans debet aſſignatario, negotium, tanquam modus obligationes diſſoluendi, ex regulis huius ſectionis vnice diiudicandum.

Forma. §. 253. Vbi, quod ad ſummas attinet, ex legibus pacta ſcripta ſunt neceſſaria, ibi aſſignationes etiam ſcriptae ſunt dandae, et datae ab eo, qui ex iis ſoluere debet (ab aſſignato) ſcriptis acceptandae.

Source : BIU Cujas

§. 254. Instrumentum, de debito assignato extans, assignans exhibere debet assignatario, vt illud producere assignato possit.

§. 255. Quae tamen instrumenti exhibitio ad negotii validitatem in regula non est necessaria. (§. 293.)

§. 256. Assignatus ad acceptandam assignationem in se directam eatenus tenetur, quatenus inde intuitu temporis loci, numorum generis, et aliorum assignatario non obligatur ad plura, quam assignanti debebat. Rationes inter assignatum, assignantem et assignatarium.

§. 257. Quam assignationem si acceptare sine causa iusta recusat, assignanti ad indemnitatem tenetur.

§. 258. At vero assignatus nunquam est obligatus ad acceptandam assignationem mere verbalem, licet summa sit quinquaginta thaleris minor.

§. 259. Assignatus, qui assignationem acceptauit, assignatario ad soluendum tenetur; licet assignanti nihil debeat.

§. 260. In quo casu vltimo pecuniae suppeditatae et iura atque obligationes, ex iis inter assignantem et assignatum exortae, ex legibus de mandatis sunt diiudicandae.

§. 261. Creditor assignatarius non praesumitur assignatum, loco assignantis, debitorem suum acceptasse, et assignantem ab obligationibus omnibus liberasse.

§. 262. At vero, si creditor assignatum, loco assignantis, expresse suum debitorem agnouit, assignatio est dationis in solutum vice. Assignatio, quae est loco cessionis.

§. 263. Rationes reliquae inter assignantem et assignatarium ex iisdem, quibus rationes inter cedentem et cessionarium, diiudicantur principiis.

§. 264. Si in eiusmodi negotio, quo assignatarius obligationibus omnibus liberat assignantem, et huius loco assignatum agnoscit debitorem, consensus etiam accedit assignati; delegatio adest. Assignationes cum delegationibus.

Source : BIU Cujas

§. 265. In delegatione omnis tollitur nexus inter assignantem et assignatum, et assignans liberatur ab obligatione, assignatario debiti assignati veritatem praestandi.

§. 266. Atque tum assignatus, qui assignantis loco creditorem suum semel acceptauit assignatarium, huic non amplius potest opponere exceptiones et petitiones contrarias, contra assignantem ipsi competentes. (Tit. XI. §. 412.)

§. 267. Si creditor assignatarius ei, qui eo vsque debitor fuit, apocham dat, et reddit instrumentum, id aequiparatur expressae acceptationi assignati tanquam debitoris, loco assignantis.

Denuntiatio assignationis factae.

§. 268. Assignans assignato nuntiare assignationem factam debet.

§. 269. Quod nisi fuerit factum, assignatus assignanti non tenetur ad vllam praestandam indemnitatem, ob acceptationem recusatam. (§. 256. 257.)

§. 270. At contra, si assignatus assignationem sine reseruatione acceptauit, contra assignatarium vti non amplius potest exceptione, assignationem factam sibi non fuisse denuntiatam.

§. 271. At contra, neque assignans solutionem, ab assignato ex assignatione in se iusta praestitam, impugnare potest ex sola causa denuntiationis singularis non factae.

§. 272. Si denuntiationis singularis mentione in assignatione facta, assignatus in acceptanda assignatione scriptis declarauit, se ei tantum satisfacere spe denuntiationis promissae; assignatus acceptatione non adstringitur, si ante solutionis terminum non sequitur denuntiatio, aut si assignationis tenorem intelligit sibi nociturum (nociuum).

§. 273. Si assignatus assignationem, ad propiorem denuntiationem relatam, acceptauit et soluit, denuntiationem non expectans; assignanti tenetur ad

Source : BIU Cujas

praestandum damnum omne, quod euitari potuisset, si denuntiationem expectasset.

§. 274. Dum assignatus assignationem nondum acceptauit, assignanti soluere adhuc potest.

§. 275. Si reuocatur assignatio acceptatione nondum secuta, assignato non amplius competit ius, assignationem acceptandi et assignatario soluendi. Assignationis reuocatio.

§. 276. At vero, si acceptationis tempore reuocatio ad eum iam peruenerat; assignatario tenetur ad soluendum, et assignanti ad respondendum de effectibus acceptationis factae ab ipso, assignationis reuocatae rationem non habente.

§. 277. Assignatarius, nisi de alio fuerit conuentum, omnem dare operam debet, vt summam assignatam intra dies quatuordecim inde a tempore assignationis factae exigat. Officia assignatarii respectu rei aut summae assignatae exigendae.

§. 278. Si assignatus non eodem loco degit, quo assignatarius, terminus hic ab eo putatur tempore, quo assignato in domicilio exhiberi potuit assignatio.

§. 279. Si assignationis tempore debiti assignati dies nondum venerat, terminus a die peremtorio currere incipit.

§. 280. Si assignatus acceptare assignationem recusat, assignatarius de eo assignantem statim certiorem debet reddere, et huic relinquere, quid vlterius velit disponere. Iura et officia assignatarii acceptatione non subsecuta.

§. 281. Assignatarius autem, qui assignantis nomine ad summam assignatam soluendam actionem instituit, mandati praesumtionem pro se habet. (Tit. XIII. §. 119. seqq.)

§. 282. Quo tamen in casu assignans alio quoque modo satisfacere debet creditori assignatario, satisfactionem petenti; quippe qui non obligatur, vt finem causae contra assignatum expectet.

§. 283. Assignatione quidem acceptata, solutione vero intra terminum definitum non praestita, assi- Et solutione non subsecuta.

Source : BIU Cujas

gnatario est electio, vtrum statim velit ad assignantem regredi, an conuenire assignatum ex acceptatione facta.

§. 284. In casu priori locum quoque inueniunt praecepta §. 280. 281. 282.

§. 285. At vero, si assignatarius ex acceptatione facta conuenire assignatum velit; assignatarius nihilominus de solutione non praestita et de actione instituta, sine mora, certiorem reddat assignantem necesse est.

§. 286. Quod si neglexerit, ipse assignanti tenetur ad praestandam culpam in causa (processu) aut executione peragenda commissam vel leuissimam.

§. 287. Si vero creditor assignatarius officia seruauit legitima, quouis tempore causam et executionem contra assignatum continuandam relinquere potest assignanti, et nunc vt ante hunc conuenire tanquam suum debitorem.

§. 288. Quo tamen in casu obseruare eum oportet omnia, quae leges praecipiunt mandatario, mandatum negotio nondum absoluto renuntianti. (Tit. XIII. §. 159.)

§. 289. Si assignatarius, nexus cum assignato nouos nectendo, actionem intra legitimos terminos instituendam negligit: ipse periculum sentit, et regressus ad assignantem ei non patet.

§. 290. Idem locum habet in iisdem rebus circumstantibus, si assignatarius auctoritate sua indulget assignato, aut vlteriorem eius assignationem accipit.

§. 291. Caeterum, simulac assignatio est acceptata, assignatarius succedit in iura assignantis omnia contra assignatum. (§. 266.)

An assignationis acceptatio confessionem debiti in se contineat.

§. 292. Si assignatus sine reseruatione acceptauit assignationem expresse directam in debitum, quod assignatus debet assignanti; haec acceptatio in assignantis fauorem vim habet et efficaciam debiti confessionis renouatae.

De assignationibus in tuitu instru-

§. 293. Si assignati obligatio erga assignantem oritur ex instrumento, in quemuis detentorem sonanti,

Source : BIU Cujas

quod est in assignantis manibus, exhibitio instrumenti est necessaria, si assignatio legitime consistere debeat. mentorum, in quemuis detentorem fonantium.

§. 294. Quo in casu assignato ius est et obligatio, ei tantum soluendi, in cuius manibus est instrumentum.

§. 295. Si de vno eodemque obiecto, quod ratione assignantis in assignati est manibus, plures assignationes sunt datae et acceptatae, respectu huius obiecti praefertur ille, cuius assignatio prima (ante alias) acceptata. De assignationibus pluribus.

§. 296. At reliquis tamen assignatariis iura contra assignatum ex assignatione acceptata reseruantur.

§. 297. Quid de mercatorum assignationibus valeat, suo loco est praeceptum. (Part. II. Tit. VIII. Sect. IX.) De mercatorum assignationibus.

§. 298. Si assignatio non datur assignatario ad extinguendum assignantis debitum: locum quidem quoque habent sectionis huius praecepta intuitu officiorum, ab assignatario praestandorum, et rationum, quae inter ipsum sunt et assignatum; De assignationibus, ad soluendum debitum non datis.

§. 299. Quatenus autem assignatione acceptata et soluta assignatarius assignanti, aut hic illi, acceptatione aut solutione non subsecuta teneatur? diiudicandum est ex natura acti inter eos negotii, ex quo est orta assignatio.

Sectio Sexta.

De compensatione.

§. 300. Obligationum dissolutio, crediti et debiti inter se collatione (contributione, annumeratione) facta, vocatur compensatio. Definitio.

§. 301. Simulac nomen (praetensio), quo legitime fundatur compensatio, exortum est, debitum quoque, quatenus compensatio sufficit, habetur extinctum.

Source : BIU Cujas

Quae debita et credita poſſint compenſari a) propria tantum nomina.

§. 302. Cum iis tantum, quae cui ipſi debentur, compenſari poſſunt, quae debet alteri.

§. 303. Cum petitione diuidua, quae pluribus communiter debetur, compenſari poſſunt, quae plurium iſtorum vnus aut alter debet, at non niſi pro eius rata.

De petitionibus correalibus.

§. 304. At contra, debiti, a pluribus debendi correis ſoluendi, compenſatio locum habet, contra quemlibet eorum ad ſummam totam.

§. 305. Ex pluribus quoque debendi correis in ſolidum obligatis ille, contra quem ad ſummam totam exigendam agitur, ea poteſt compenſare (contribuere) quae creditor ipſi debet, vſque ad totam debiti communis ſummam.

§. 306. Cum eo vero, quod creditor communis, cui in ſolidum debent, debendi correorum alii debet, actione conuentus in regula compenſare nequit.

§. 307. At locum tamen habet compenſatio, ſi debendi correus ea, quae ipſi debet creditor communis, cui in ſolidum debent, legitime ceſſit debendi correo, actione conuento.

De nominibus hereditatis.

§. 308. Cui heres vnus aliquid debet, compenſare tantum hoc nomen poteſt cum eo, quod hereditati adhuc indiuiſae debet, pro debitoris ſui hereditatis parte rata.

§. 309. Ex quibus autem cauſis et rationibus hereditatis debitor ſummam totam coheredum vni ſoluere iure poteſt, ex iisdem ea quoque, quae hic heres ipſi debet, ad ſummam totam poteſt cum debito compenſare. (Tit. XVII. Sect. II.)

§. 310. At contra, hereditatis debitor, a quo coheredum vnus, hereditate iam diuiſa, totum debitum iure poteſt petere, ea, quae coheres alius ipſi debet, ne pro parte quidem compenſare poteſt.

§. 311. Quatenus hereditatis creditor ſatisfactionem ſuam a plurium coheredum quouis petere poteſt,

Source : BIU Cujas

in totum, aut tantum pro eius rata, ex hereditate accepta; eatenus quoque compenſatione vti poteſt contra coheredem, qui actionem contra ipſum inſtituit, ad exigendum nomen, quod illi debet.

§. 312. Si autem ille, cum cuius nomine (praetenſione) proprio debitum hereditarium (ſucceſſionis debitum) compenſari debet, heres tantum eſt cum beneficio, et ſtatus hereditatis adhuc incertus: hereditatis creditor, debitum hereditarium cum eo, quod heredi debet, compenſaturus, heredi tenetur ad cautionem indemnitatis praeſtandam idoneam, in eum caſum, ſi hereditas ad extinguenda hereditatis debita in totum aut pro parte non ſufficiat.

§. 313. Cum nomine ceſſo (praetenſione ceſſa) debitor compenſare tantum poteſt ea, quae primus detentor ipſi debebat ante ceſſionem nuntiatam, atque ea, quae ipſi debet detentor praeſens. De nominibus ceſſis et aſſignatis.

§. 314. Quatenus debitor in ceſſionibus agnitione ceſſionarii, et in aſſignationibus acceptatione ſuis priuatur exceptionibus, quibus vti contra cedentem aut aſſignantem poterat; eatenus ea, quae a cedente aut aſſignante ipſi debentur, compenſare nequit contra ceſſionarium vel aſſignatarium.

§. 315. At contra, debitor quoque, qui ceſſionarium agnouit creditorem, ſi hic nomen, debitore non adhibito, vlterius cedit, contra ceſſionarium vlteriorem compenſare poteſt nomina mutua (contraria) a ceſſionario primo ipſi debita.

§. 316. Quo caſu excepto locum non habet contra detentorem vltimum compenſatio eius, quod debitor poterat petere ab intermediorum detentorum vno, quem vero creditorem ſuum non agnouit.

§. 317. In concurſu compenſatio contra creditorem locum habet, ſi nomina mutua (praetenſiones mutuae) inter debitorem communem et eius creditorum vnum iam ante concurſum motum extiterunt; De compenſationibus in concurſu.

Source : BIU Cujas

§. 318. Et si quis, concursu iam exorto in concursus massam aut creditores eius omnes nomen acquisiuit, et massae concursus debitor est factus;

§. 319. Item si quis, qui debitori communi ante concursum motum iam aliquid debuit, postea factus est creditor massae.

§. 320. At contra, compensatio in concursu non admittitur, si quis debitori communi ante formationem concursus quid debuit, et postea demum nomen (praetensionem) contra eundem acquisiuit, siue ex negotio nouo, siue ex creditoris alius cessione.

§. 321. Neque tunc locum habet, si quis creditor debitoris communis ante motum concursum fuit, et postea demum massae debitor est factus.

§. 322. Quo tamen in casu (§. 321.) compensatio locum habet, si debitor communis debitori futuro iam ante concursum exortum expresse concessit ius, compensandi nomen praesens (praetensionem praesentaneam), quod creditori debet, cum debito futuro, quo hic illi erit obligatus.

§. 323. Quod si igitur in locationis conductionis contractu ante concursum motum celebrato, constitutum est, vt conductor cautionem, pecunia numerata praestitam, compensare possit cum pensione in vltimis locationis conductionis terminis soluenda: conductori compensandi ius competit, licet termini vltimi tempore concursus iam formati demum veniant.

§. 324. At conductor tamen hoc compensandi iure in odium (detrimentum) creditorum, quorum nomina in fundo conducto sunt iudicialiter consignata, (intabulata), eatenus tantum vti potest, quatenus cautionem suam, cum compensandi iure, cautioni concesso, maturius quam hi creditores, consignandam (intabulandam) curauit.

§. 325. At vero deteriorationes praedio illatas, aliosque defectus, a conductore praestandos, hic com-

Source : BIU Cujas

penſare contra creditores nunquam poteſt cum cautione ſua debitori communi pecunia numerata praeſtita.

§. 326. At contra, meliorationes a conductore in fundo factae, cum penſione (locationis conductionis pretio) a conductore adhuc ſoluenda compenſari ſemper eatenus poſſunt, quatenus de meliorationibus in genere ſatisfacere creditores oportet.

§. 327. Creditores tamen conſignati (intabulati), quibus ea compenſatione deſunt media conſequendi vſuras, inter concurſus tempus ipſis ſoluendas, harum indemnitatem iure poſſunt petere ſimul cum ſorte ex maſſa, cuius ſubſtantia meliorationibus compenſatis incrementum cepit.

De compenſationibus inter creditorem et fideiuſſorem.

§. 328. Fideiuſſori praeter ea, quae creditor ipſi debet, compenſare licet omnia, quae debitor principalis vi legum cum debito poſſet iure compenſare.

§. 329. At contra debitor principalis compenſare non poteſt cum eo, quod creditor fideiuſſori debet.

De compenſatione nominum tertii,

§. 330. Si iura tertii nomine exercentur, compenſari tantum ea nomina (praetenſiones) poſſunt, quae huic tertio obſtant.

intuitu mandatariorum,

§. 331. Contra mandatarium, mandantis nomina exigentem, non poſſunt compenſari, quae mandatarius ipſe debet.

intuitu tutorum et curatorum,

§. 332. Tutoribus et curatoribus cum iis, quae pupillis et minoribus debentur, non compenſari poſſunt ea, quae tutores ipſi debent.

§. 333. Neque pro curatore (tutore) aut contra curatorem, ad ea, quae ipſi debentur, agentem, aut de propriis debitis conuentum, locum habet compenſatio debitorum aut nominum (praetenſionum) curae traditi (pupilli).

§. 334. At contra, ſi curae adminiſtratio inter plures eſt diuiſa, negotium, cum curatorum vno in minorum (minorennium) rebus legitime actum, fundare etiam poteſt compenſationem intuitu minorum pro reliquis curatoribus aut contra eosdem.

Source : BIU Cujas

§. 335. Idem quoque locum habet in adminiſtrandis perſonarum priuatarum aliarum aut ſocietatum bonis, ſi adminiſtratio inter perſonas plures fuerit diuiſa. (§. 368.)

intuitu coniugum.

§. 336. Contra maritum, de iis, quae ipſi aut vxori debentur, actionem inſtituentem, compenſatio (contributio) debitorum vxoris eatenus locum habet, quatenus ad ea agnoſcenda ex legibus obligatur.

§. 337. Neque minus ius ei competit, cum vxoris debitis compenſandi ea, quae ſibi ipſi debentur.

§. 338. Atque etiam maritus cum ſuis debitis compenſare ſemper poteſt ea vxoris nomina (praetenſiones), quae ad bonorum in dotem illatorum fructus tantum et reditus pertinent, quorum dies durante matrimonio venit.

§. 339. At contra alia, quae vxori debentur, cum propriis ſuis debitis eatenus tantum poteſt compenſare, quatenus vxoris conſenſum in legitima forma eſt conſecutus.

§. 340. Si inter coniuges eſt bonorum communio, cum eorum creditis ea tantum debita compenſari poſſunt, quae ex bonis communibus ſunt praeſtanda.

§. 341. Debita et nomina (praetenſiones) vxoris, quae ad eius bona recepticia pertinent, neque pro marito, neque eo inuito contra illum poſſunt compenſari.

§. 342. Debita, quae compenſari inuicem debent, ita comparata ſint neceſſe eſt, vt is, cui compenſatio opponitur, nihil amittat eius, quod iure poteſt petere.

b) debita tantum et credita, quorum dies iam venit, et quae eiusdem ſunt generis.

§. 343. Obligationes tantum, quarum dies venit, et quae eiusdem ſunt generis, poſſunt inuicem compenſari.

§. 344. Hinc ſolutiones, proprie ſic dictae, cum praeſtationibus aliis compenſari non poſſunt.

§. 345. Neque rerum definitarum aut factorum praeſtationes compenſari inuicem poſſunt.

§. 346.

Source : BIU Cujas

§. 346. At vero ſi obiectum, tempus et locus conueniunt; ad debitorum et creditorum mutuorum fundamentum et originem non attenditur.

§. 347. Quae quis tantum ſub conditione ſuspenſiua nondum exiſtente poteſt petere, cum iis, quae pure et ſine conditione debet, compenſare non poteſt.

§. 348. At contra, quae quis ſub conditione reſolutiua petere poteſt, cum iis poſſunt compenſari, quae ſine conditione debet; quatenus, non obſtante conditione adiecta, ei ius eſt petendi, vt ſoluantur, quae ipſi debentur.

§. 349. Ea quoque, quae quis petere certum in finem poteſt, compenſare poteſt, ſimulac ſoluendi dies venit, cum debitis ſuis, quorum dies adeſt.

§. 350. Quae alio loco ſunt ſoluenda, compenſari tantum poſſunt, praeſtita indemnitate eius, quod intereſt.

§. 351. Quod quidem a iudice definiendum eſt, ſi de eo, quod intereſt, partes conuenire nequeunt.

§. 352. Inter debita et credita, quae diuerſo tempore ſunt ſoluenda, inuita vna parte aut altera compenſatio locum non habet.

§. 353. At vero, ſi cui in concurſibus debitum, cuius dies venit, a debitore communi eſt ſoluendum, et contra idem ille maſſae ex quodam negotio, cum debitore communi acto, at ſic tantum eſt obligatus, vt hoc eius debitum praeterlapſo tempore certo praefinito demum ſoluendum ſit: compenſandi iure ſtatim vti ipſi licet.

§. 354. Quod ſi vero quis debitori communi eſt obligatus ad ſoluendum aliquid, cuius dies iam adeſt, atque contra ex maſſa petit debitum, cuius dies nondum incidit, eodem modo compenſatio quidem locum habet;

Source : BIU Cujas

§. 355. At eiusmodi tamen maſſae debitorem ſatisfacere maſſae oportet de temporis interiecti vſuris, vſque ad diem, quo eſt ſoluendum, quod ipſi debetur.

§. 356. Qui debitori ſuo ſponte aut iudicis iuſſu ſoluendi terminos conceſſit, cum iis, quae ſolutionis terminis proxime ſequentibus ipſi ſoluenda ſunt, compenſare poteſt debita, quibus tempore interiecto debitori ſuo obſtringitur.

§. 357. At vero, ſi creditor iam conceſſo ſolutionis termino, debita, quibus tertius debitori ſuo erat obſtrictus, ſponte in ſe ſuſcepit; huic debitori, ſi ob debitum ſuſceptum contra eum actionem inſtituit, nequit opponere compenſationem nominis ſui, cuius ſolutionis terminum diſtulit.

§. 358. Tum tantum, ſi creditori hereditas eſt delata, ex qua priſtinus debitor iure aliquid petit, compenſatione nominis ſui, quamuis dilati, tueri ſe contra eum poteſt, ſi hic nomen, ex hereditate ipſi ſoluendum, ab eo tanquam herede velit exigere.

c) Debita et credita tantum liquida.

§. 359. Si nomen (debitum, praetenſio) alterius conceditur, aut alio modo in continenti eſt liquidum, de altero vero ab aduerſario adhuc contenditur, compenſationi eatenus tantum eſt locus, quatenus nomen (debitum, praetenſio) contrarium, de quo contenditur, ſecundum leges ordinationis proceſſus in continenti poteſt probari liquidum.

§. 360. Quatenus hoc fieri nequit, debitor nominis liquidi ſoluere debet, atque ob aſſertam ſecuritatem deficientem nominis contrarii, quod alter ipſi debet, ad deponendum tantum poteſt admitti exiſtentibus cauſis, in ſectione tertia definitis.

§. 361. Si vero nomen contrarium controuerſum poſtea probatur liquidum; de temporis momento, quo facta eſt compenſatio, atque adeo alterius nomen extinctum, nihilominus locum habet praeceptum §. 301.

Source: BIU Cujas

§. 362. Si debitum eſt liquidum, debitum autem contrarium qua fundamentum quidem conceſſum, aut alio modo liquidum, at qua ſummam controuerſum; compenſatio quoque eatenus tantum locum habet, quatenus ea ſumma in continenti poteſt probari liquida.

§. 363. Contra reſtitutionem debitam compenſatione tueri ſe ille nequit, apud quem aliquid eſt depoſitum, aut cui commodata eſt res non fungibilis. Nomina (praetenſiones) et caſus, vbi compenſatio locum non habeat.

§. 364. Neque tum compenſatio locum habet, ſi depoſitarius ad rei pretium reſtituendum eſt obligatus, vbi rei depoſitae reſtitutio facta eſt impoſſibilis.

§. 365. At contra, compenſari poteſt pretium rei commodatae reſtituendum cum debitis aliis.

§. 366. Contra pecunias alimentorum debitas locum non habet compenſatio, at omnino exceptio, nomen contrarium ad ſuſtentandam perſonam, cui alimenta debentur, eſſe impenſum.

§. 367. Quae tamen exceptio ipſa opponi tantum poteſt pecuniis alimentorum reſiduis, non iis, quae pro termino vltimo ſunt ſoluendae, aut tempori futuro deſtinatae.

§. 368. Nomina, quae aerarium regium publicum vnum debet, nunquam poſſunt compenſari cum ſolutionibus aerario alii praeſtandis.

§. 369. Ac licet debitum et debitum contrarium ex vno eodemque negotio aut fundamento fluant, compenſatio tamen eatenus tantum locum habet, quatenus ex conſtituto aerarii ordine debitum contrarium praeſtandum eſt ex vno eodemque aerarii fonte, cui ſoluendum eſt debitum.

§. 370. Emtor, qui emtionis pretium ad certa venditoris debita ſoluenda impendere promiſit, in detrimentum horum creditorum compenſare nequit cum aliis nominibus, quae venditor ipſi debet.

Source : BIU Cujas

Compenſatio intuitu factorum.

§. 371. Eorum tantum factorum compenſatio locum habet, quibus pretium, pecunia aeſtimatum, eſt impoſitum, et vbi nihil refert, a quo praeſtentur.

Compenſationis renuntiatio.

§. 372. Compenſationis exceptioni debitor pro ſe ipſo valide poteſt renuntiare.

§. 373. Promiſſum merum ſolutionis numeratae praeſtandae, vel iuramento firmatum, nondum pro eiusmodi renuntiatione eſt habendum.

§. 374. In fideiuſſoris damnum debitoris principalis renuntiatio, poſt fideiuſſionem ſuſceptam facta, eſt ſine effectu.

Compenſatio intuitu pluriumnominum.

§. 375. Si debitor creditori plura debet nomina, in compenſatione principia eadem, quae in ſolutione, locum eatenus habent, quatenus in genere compenſatio debiti contrarii cum nominum pluribus, quam vno admittitur.

Praeſumtio legalis ex compenſatione omiſſa.

§. 376. Ex eo ſolo, quod quis ſolutionem praeſtitit, non compenſato (collato) debito contrario, nondum ſequitur, niſi aliae accedant cauſae, debitum contrarium eſſe inualidum, ſolutum, aut alio modo extinctum.

Praeſcriptio.

§. 377. Eo, quod tempore, quo debitum eſt actione petitum, debito contrario iam eſt praeſcriptum, compenſatio non impeditur, ſi modo eo tempore, quo debitum erat ſoluendum, debiti contrarii praeſcriptio nondum fuit abſoluta.

Sectio Septima.

De iurium renuntiatione.

Definitio.

§. 378. Declaratio ſe iure quodam vti nolle, vocatur renuntiatio.

§. 379. Iuris iam acquiſiti renuntiatio vocatur remiſſio (*Erlaſs*); iuris autem adhuc acquirendi, renuntiatio in ſpecie (*Verzichtleiſtung*).

Principia.

§. 380. Quidquid de pactis in genere valet, idem quoque in regula locum habet in renuntiationibus.

Source : BIU Cujas

§. 381. Remiſſiones et renuntiationes expreſſam ſemper deſiderant voluntatis declarationem.

§. 382. At vero exceptionum, quae petitioni in ſe validae poſſunt opponi, renuntiatio tacite quoque fieri poteſt. De exceptionum renuntiatione.

§. 383. Qui in proceſſu exceptionibus ſuis contra nomen, ad quod ſoluendum actio contra ipſum eſt inſtituta, non vtitur intra terminos legibus definitos, iis ſine vlteriori etiam renuntiatione priuatur.

§. 384. Quae exceptionum ſpecies, lata iam ſententia definitiua, quae vires rei iudicatae eſt nacta, opponi adhuc poſſint, ordinatio proceſſus determinat.

§. 385. Quatenus quis, qui obligationem ſuam adimpleuit, exceptionibus contra eam ſibi competentibus non vſus, ea, quae praeſtitit, ex fundamento exceptionum ſuarum poſſit condicere, ex principiis in ſectione de ſolutionibus praeſcriptis eſt diiudicandum.

§. 386. Caeterum quod ad exceptionum renuntiationem, in pacto factam, attinet, praecepta tituli quinti §. 193. ſeqq. decidunt.

§. 387. Quatenus pactum, licet oretenus tantum perfectum, eſt validum, eatenus quoque valet renuntiatio oretenus facta. De renuntiationibus generatim.

§. 388. Quidquid de donationis acceptatione eſt praeceptum, idem quoque valet de remiſſionis aut renuntiationis in ſpecie acceptatione. (Tit. XI. §. 1058. ſeqq.)

§. 389. Acceptatio inſtrumenti, in renuntiatione redditi, loco eſt acceptationis expreſſe declaratae.

§. 390. Ex ſola retrotraditione inſtrumenti obligationis, ſolutione proprie ſic dicta non adimplendae, facta ab eo, cui ius competit, nondum ſequitur obligationis remiſſio.

§. 391. At vero, ſi obligatus profert cauſam et modum alium, quo eſt diſſoluta obligatio; inſtru-

Source : BIU Cujas

menti retrotraditio ab eo, cui ius competit, facta confirmat ea, quae obligatus afferit; atque ea ex iudicis arbitrio et pro ratione cauſarum reliquarum exiſtentium iusiurandum ſuppletorium vel purgatorium poteſt fundari.

§. 392. Renuntiationes in iudicio factae acceptatione indigent nulla.

De renuntiationibus, quae gratis aut

§. 393. Renuntiatio gratis facta iuris iam acquiſiti, et futuri quidem, ſed talis, vt eius delatio renuntianti eſſet certa, donationi eſt aequiparanda.

pretio interueniente fiunt.

§. 394. Renuntiatione pretio interueniente facta, locum habent, ſi ius erat adhuc dubium, praecepta ſectionis ſequentis de transactionibus, alias vero principia tituli de pactis, quibus pecuniae aut res pro factis aut omiſſionibus inuicem promittuntur. (Tit. XI. Sect. VIII.)

§. 395. Si de iure litigioſo lis iam pendebat, renuntiatio quoque gratuita ex regulis de transactionibus eſt diiudicanda.

Perſonae quae renuntiare poſſunt.

§. 396. Qui pacta inire, in regula quoque iuri ſuo renuntiare poteſt.

§. 397. Renuntiationes obaerati, quatenus concurſu iam moto ſunt factae in fraudem creditorum, omni carent effectu.

Iura et exceptiones, quibus renuntiari nequit.

§. 398. Quatenus renuntiationes iam antea factae impugnari a creditoribus poſſint, ordinatio concurſus determinat.

§. 399. Iuribus, quae ex factis illicitis iam ſunt orta, is, cui competunt, valide renuntiat.

§. 400. At contra renuntiatio iurium, ex factis illicitis futuris oriundorum, eſt inualida.

§. 401. Renuntiatio exceptionum earum, quae ex defectu ſolennium ex legibus ad negotii validitatem neceſſariorum oriuntur, in ſe nullam vim habet.

§. 402. In quantum ad renuntiationes feminarum generatim, et vxorum ſpeciatim, forma quaedam

Source : BIU Cujas

legitima sit necessaria, suo loco est definitum. (Tit. XIV. §. 220. seqq.)

§. 403. In renuntiationibus interpretandis locum quoque inueniunt interpretandi regulae generales, in voluntatis declarationibus et pactis interpretandis assumtae. Regulae interpretandi.

§. 404. Renuntiatio generalis iuris, ex negotio oriundi, simul quoque complectitur renuntiationem iurium singulorum sub eo comprehensorum; non vero exceptionum, contra negotium ex legibus competentium.

Sectio Octaua.

De transactionibus.

§. 405. Transactiones sunt pacta, quibus partes iura inter se adhuc litigiosa aut dubia sic determinant, vt mutuo (vice versa) aliquid detur aut remittatur. Definitio.

§. 406. Quatenus quis ad ineunda pacta onerosa est habilis, eatenus quoque transigere potest. Quis transigere possit.

§. 407. Quatenus transactiones ad dominium rei immobilis aut fundi iura spectant, eatenus qua formam obseruandam locum habent praecepta Tit. decimi §. 15 - 17. Forma.

§. 408. Quamdiu iuri exceptiones possunt opponi, tamdiu de eo fieri transactiones possunt. Transactiones locum non habent, nisi de iuribus litigiosis et dubiis.

§. 409. Modum etiam, quo adimplenda est sententia, vires rei iudicatae nacta, propius definire partes transigendo possunt.

§. 410. Praeterea iuris non litigiosi renuntiationes, licet transactionis formam induant, ex sectionis antecedentis principiis tantum sunt diiudicandae.

§. 411. Eodem modo, si negotii defectus, quibus effectum est, vt ex negotio ius nullum ortum sit, subsequentibus tolli debent voluntatis declarationi-

Source : BIU Cujas

bus, eiusmodi declarationes, licet transactiones sint dictae, non nisi ex principiis de agnitionibus sunt diiudicandae. (Tit. V. §. 185-192.)

Transactiones de alimentis,

§. 412. De alimentis temporis praeteriti adhuc debitis aeque potest transigi, ac de debitis aliis.

§. 413. De alimentis futuris transactio fieri tantum potest confirmante iudicio ordinario eius, cui alimenta praestanda.

§. 414. At vero, ille tantum, cui alimenta sunt praestanda, confirmationis iudicialis deficientis exceptionem opponere potest transactioni sibi nociturae.

de factis illicitis.

§. 415. Transigere etiam licet de interesse priuato ex factis illicitis iam commissis.

§. 416. At contra, transactio de celando delicto, in quod iudex inquirere et quod punire ex officio debet, vim nullam habet legalem.

Quatenus error transactionem inualidam reddat.

§. 417. Errores in persona aut in re (obiecto) aeque inualidam reddunt transactionem, ac voluntatis declarationem aliam omnem. (Tit. IV. §. 75. seqq.)

§. 418. At contra impugnari in regula nequit transactio ex causa erroris, de iuris litigiosi ipsius qualitate admissi.

Dolus.

§. 419. At vero si altera pars ius dictum dolose simulauit; pars altera, dolo cognito, recedere a transactione potest.

Documenta nouiter reperta.

§. 420. Idem valet, si ex documentis nouiter repertis liquide potest probari, aduersario ius plane nullum competere.

§. 421. Quo quidem in casu locum habent omnia, quae in ordinatione processus praescripta sunt de infringenda re iudicata ex documentis nouiter repertis.

Transactiones de iuribus tertio competentibus.

§. 422. Sine effectu sunt transactiones de iuribus, de quibus postea constat, ea neque vni neque alteri parti competere, sed tertio.

§. 423. Sic etiam transactiones de effectibus litigiosis iuris, de quo lis nulla mota, vi omni destitu-

Source : BIU Cujas

untur, si apparet, non extare ius ipsum, in quo tanquam fundamento nititur facta transactio.

§. 424. Si, cui ius competit, postea priuatur iure ipso, de cuius effectibus facta est transactio, ab altero petere nequit, vt transactionem adimpleat.

§. 425. Quatenus autem ille, ad quem ius transit, transactione teneatur, aut eius adimplementum petere possit; dependet ex qualitate possessionis, in qua fuit transigens, vti ex qualitate tituli, ex quo iure suo excidit, et ius ad nouum possessorem transiit.

§. 426. Transactiones non sunt extendendae vltra iura et obiecta, ad quae referuntur. Transactiones sunt strictae interpretationis.

§. 427. Si partes expresse de praetensionibus mutuis suis omnibus transigendo conuenerunt, sublata habentur iura mutua, quae iis eo vsque fuerunt, omnia, siue iam litigiosa fuerint, siue minus.

§. 428. At in eiusmodi tamen transactione istae excipiuntur summae, quae vni parti aut vtrique post transactionem demum innotuerunt.

§. 429. Si transactio de computatione litigiosa est facta, impugnari nequit ob sic dictos errores in computando cognitos. Transactiones de rationibus. (computationibus.)

§. 430. At vero ob dolum commissum eiusmodi transactio aeque rescindi potest, ac alia omnis.

§. 431. Quod ad errores calculi attinet, ille, cui inde damnum illatum, adhuc intra decennium post factam transactionem ad eorum iustificationem et satisfactionem potest agere.

§. 432. Ob errores manifestos, in addendo aut subtrahendo commissos post decem etiam annos conueniri potest is, cum quo transactio facta, at non conueniri possunt eius heredes.

§. 433. Si non ratio ipsa obiectum fuit transactionis, sed tantum pro transactionis fundamento fuit posita ratio, pro absoluta ex omnibus partibus habita, in qua errores esse admissos, postea apparet: ille, cui

Source : BIU Cujas

errores ſunt detrimento, errores poteſt vrgere adhuc intra praeſcriptionis tempus, et damni reparationem petere.

§. 434. In quibus caſibus omnibus (§. 431-433.) alteri, qui ſatisfaciendi conſilium capere non vult, a transactione recedere licet.

§. 435. Si in transactione praetenſionum, de quibus transegerunt partes, ſumma tantum adducta eſt ad eas denotandas, et ex errore maior dicta aut minor; ex hac differentia agi nequit.

De complexu rerum.

§. 436. Si in tranſigendo de complexu rerum conſignatio earum pro fundamento eſt poſita; transactio tantum ad res conſignatas extenditur.

§. 437. At vero, ſi in transactione determinata ſunt principia diuiſionis complexus, de quo lis fuit; res in conſignatione omiſſae ex his principiis ſunt diiudicandae.

§. 438. Si partes transegerunt, nullo inuentario pro fundamento poſito; computationes et petitiones vlteriores poſtea locum non habent.

§. 439. In genere impugnari transactio nequit exceptione laeſionis vnius partis aut alterius vltra aut infra dimidium.

De hereditatibus.

§. 440. Si heredes ab inteſtato cum heredibus ex teſtamento aut pactis tranſigendo conuenerunt; eo non mutantur iura legatariorum, quatenus hi validitatem teſtamenti aut pacti ſucceſſorii poſſunt docere.

§. 441. Hinc legatarii petere poſſunt ſatisfactionem ex hereditatis parte, heredi ab inteſtato ceſſa, ſi pars reliqua ad eorum ſatisfactionem non ſufficiat.

§. 442. De hereditatibus, ex vltimae voluntatis diſpoſitionibus delatis, ante earum publicationem tranſigi valide non poteſt.

§. 443. Publicatione autem facta et partibus cognita, nulla earum opponere poteſt defectum notitiae eorum, quae in vltimae voluntatis diſpoſitione continentur.

Source : BIU Cujas

§. 444. Quod ad transactiones in iudicio factas attinet, valent ordinationis proceſſus praecepta. Transactiones iudiciales.

§. 445. Poſt transactionem fideiuſſor, qui in transigendo eſt adhibitus, quatenus de ipſo ſingulare nihil fuit conuentum, obligatur ad implendam obligationem, a debitore principali transigendo ſuſceptam. Effectus transactionis intuitu fideiuſſoris,

§. 446. Si fideiuſſor neque in transactione eſt adhibitus, neque in ea expreſſe fideiuſſionis nexu ſolutus: inde quidem nondum liberatur ab obligatione ſatisfaciendi, ſi debitor principalis obligationi haud ſatisfecerit;

§. 447. At vero creditor contra eum transactione vti nequit; quin potius ipſi reſeruantur contra nomen (praetenſionem) originarium exceptiones omnes, quibus debitor principalis transigendo priuatus eſt, aduerſus creditorem eum conuenientem.

§. 448. At contra fideiuſſori contra creditorem ſemper prodeſt exceptio transactionis, vti exceptiones debitoris principalis aliae omnes.

§. 449. Si de nomine, de quo eſt transactum, ius pignoris erat conſtitutum, de quo in transactione nihil ſingulare eſt definitum; illud poſtea quoque creditori praeſtat ſecuritatem nominis (praetenſionis), ex transactione ipſi contra obligatum competentis. iuris pignoris.

Sectio Nona.

De tollendis iuribus et obligationibus nouatione.

§. 450. Iura et obligationes iam exiſtentes iis, quorum intereſt, conſentientibus poſſunt mutari. Nouatio quid ſit.

§. 451. Conuentiones ad obligationem iam conſtitutam poſt accedentes in caſu dubio ſic ſunt interpretandae, vt obligatio originaria, quam minimum poteſt fieri, mutetur. Principia.

§ 452. Datione (exhibitione) mera documentorum nouorum de debito iam exiſtente in huius natura nihil mutatur.

Source : BIU Cujas

§. 453 Neque debiti nouatio adeſt, ſi ſolutionis termini propiores aut alio modo determinantur, ſi de debito adhuc non vſurario vſurae promittuntur, aut ſi de vſurarum modi vel debiti ſecuritate praeſtita aliae conuentiones ſunt factae.

§. 454. At vero ſi obligatio noua in locum prioris expreſſe ſubſtituitur, prior extinguitur nouatione.

§. 455. Si obligatio noua ita eſt comparata, vt obligatio prior cum hac ſimul conſiſtere nequeat, extinguitur prior, licet ea non eſſet expreſſe ſublata.

Quatenus debitor inhabilis,

§. 456. Quatenus debitor inhabilis durante inhabilitate poteſt ſoluere, eatenus quoque iisdem tantum rebus circumſtantibus valet nouatio ab eo facta. (§. 40. 41. 42.)

creditor inhabilis,

§. 457. Quatenus creditori, cuius ius de bonis ſuis diſponendi eſt limitatum, recte et cum effectu legali ſolutiones praeſtari non poſſunt, eatenus quoque eiusmodi creditoris debitor cum creditore non poteſt facere nouationem huic nocituram.

vnus ex pluribus debendi correis, aut

§. 458. Si plurium debendi correorum vnus cum creditore nouationem de obligatione communi fecit, reliquos aeque ab obligatione liberat, ac ſi ſoluiſſet.

credendi correis poſſit nouare.

§. 459. Nouatio, quam plurium credendi correorum vnus cum debitore communi fecit, pro eius tantum rata vim habet et efficaciam.

§. 460. Excepto eo caſu, ſi debitor huic credendi correo totum ſoluere aut praeſtare iure potuiſſet.

Nouatio per mutationem perſonarum, (cum delegatione)

§. 461. Quid iuris ſit, ſi nouatio ſit mutatione creditoris aut debitoris, (in nouatione cum delegatione) ſuo loco eſt ſancitum. (Tit. XI. Sect. III. Tit. XIV. §. 399. ſeqq. Tit. XVI. §. 260. ſeqq.)

citra modum obligationis.

§. 462. Si nouatio debet fieri mutato obligationis modo, ab eadem perſona adimplendo; debitor ſecundum leges habilis ſit eique ius competat, ad obligationem huius generis in ſe ſuſcipiendam.

Source : BIU Cujas

§. 463. Creditor quoque habilis fit, eique ius competat, ad acquirendum eiusmodi ius, quod in iuris prioris locum succedat.

§. 464. In genere effectu caret nouatio, qua in obligationis locum substituitur alia, quae pactis suscipi omnino non potest.

§. 465. Si nouatio est inualida, obligatio prior sustinetur. Nouationis inualidae effectus.

§. 466. Idem valet, si nouatio tantum perfecta est, sub conditione, postea non existente.

§. 467. At contra si nouatio est valida, obligatio noua impugnari nequit exceptione, illegitimam fuisse obligationem priorem. Nouationis validae effectus.

§. 468. At vero debitor reuocare potest obligationem nouam, ad tollendam antiquiorem susceptam, iisdem ex causis, ex quibus locum habet condictio soluti.

§. 469. Nouatione valida extinguuntur priuilegia, quae obligationi sublatae vi legum competunt, singularia, neque transferri possunt, in nouam generis diuersi obligationem, licet partes expresse conuenerint.

§. 470. Extinguuntur quoque obligationis principalis prioris conuentiones secundariae aliae, quatenus non sunt expresse reseruatae.

§. 471. Idem valet de iure pignoris, quod de priori obligatione est constitutum, et in noua non simul susceptum. Intuitu pignorum et fideiussorum.

§. 472. Fideiussor in nouatione, a creditore cum debitore facta, non adhibitus non praestat nouam obligationem.

§. 473. Qui vero si fuerit adhibitus, et eius intuitu singulare nihil constitutum, obligatio eius ex fideiussione ad obligationem nouam simul quoque transit.

§. 474. At contra, si ob nouationem inualidam subsistit prior obligatio; immutatae manent obligatio-

Source : BIU Cujas

nes secundariae omnes, in eius confirmationem et securitatem praestitae.

§. 475. At vero, si nouatio non ex persona creditoris est inualida, et si hic fideiussorem expresse liberauit, aut pignus reddidit, aut securitatem consignatam (intabulatam) delendam curauit; non amplius potest fideiussorem conuenire, et suo pignoris iure vti in tertii detrimentum.

Sectio Decima.

De tollendis iuribus et obligationibus earum confusione.

Definitio confusionis.

§. 476. Si creditoris iura et debitoris obligationes in eadem concurrunt persona, et iura et obligationes hac confusione extinguuntur.

Eius requisita.

§. 477. Ad eiusmodi confusionem requiritur, vt a persona, in qua fit, ius pro se ipsa sit exercendum, et obligatio nomine proprio praestanda.

§. 478. Insuper vt in ea ius et obligatio ex fundamento legali irreuocabili concurrant.

§. 479. Si pactum aut factum, ex quo confusio oritur, potest reuocari, iura et obligationes tamdiu tantum quiescunt, quamdiu confusio subsistit.

§. 480. Hinc si ius in debitorem translatum, vi pacti aut fundamenti legalis alius, quo illud est in eum translatum, rursus in alium transit, obligati obligatio prior reuiuiscit.

§. 481. Si confusio iure hereditario est exorta, et hereditas heredi substituto est tradenda; iura et obligationes heredis primi in massam vires recuperant.

Confusio iurium realium,

§. 482. Iura etiam in re extinguuntur, si obligatus dominium rei, cui ius cohaeret, aut si is, cui ius competit, dominium rei obligatae acquirit, ex fundamento irreuocabili legali.

Source : BIU Cujas

§. 483. Idem valet de iuribus ſubiectiue realibus (Tit. II. §. 127.) ſi mere perſonaliter obligatus peruenit ad poſſeſſionem rei, cui ius cohaeret; aut ſi dominus rei, cui ius cohaeret, obligationem acquirit perſonaliter obligati.

§. 484. Ius ſubiectiue reale conſeruari tamen poteſt, ſi obligatus durante poſſeſſione ſua contra confuſionem expreſſe proteſtatur, eamque proteſtationem in librum hypothecarium rei, cui ius cohaeret, referendam curat.

§. 485. Quatenus iura fundo cohaerentia confuſione rei, cui ius cohaeret, et rei oneratae in vno eodemque domino extinguantur, aut minus, ſuo loco eſt definitum. (Tit. XXII.) iurium in fundo competentium.

§. 486. Effectus confuſionis ex iure hereditario impediuntur beneficio inuentarii reſeruato. Confuſio per per hereditatem.

§. 487. Hinc heredi cum inuentarii beneficio contra hereditatem debitoris ſui integra manent iura hereditatis creditoris alius.

§. 488. Si tamen ex citatione creditorum hereditatis apparet, ſufficientem eſſe hereditatem relictam; ſequitur confuſio a die ſententiae praecluſionis publicatae.

§. 489. Qui hereditatem ſine reſeruatione adit, ex nominibus (praetenſionibus) ſuis contra hereditatem relinquentem neque in creditorum reliquorum neque in legatariorum detrimentum poteſt agere.

§. 490. Ex eo, quod debitor heres fit creditoris, nunquam oritur confuſio in detrimentum hereditatis creditorum, coheredum, aut legatariorum.

§. 491. Quin potius coheredis portio compenſatur cum eo, quod ipſe debet maſſae, quatenus debitum ſufficit.

§. 492. Si iura aut obligationes pluribus ſunt communes, rationes reliquorum non mutantur confuſione, quae tantum intuitu vnius eorum exoritur. Confuſio, ſi plures ſunt correi credendi aut debendi.

Source : BIU Cujas

§. 493. Quod si igitur vnus plurium debendi correorum, communiter obligatorum, ius creditoris acquirit, eo iure contra debendi correos reliquos semper vti potest.

§. 494. At ipsi tamen ea imputatur rata, qua ipse tanquam debendi correus obligatus foret sociorum suorum illi, qui communi satisfacit creditori.

Confusio inter fideiussorem, debitorem principalem et creditorem.

§. 495. Si fideiussor debitoris aut hic illius sit heres, in creditoris iuribus nihil mutatur.

§. 496. Si creditor fideiussoris aut hic illius sit heres, tolluntur quidem iura et obligationes mutuae ex fideiussione; at debitoris principalis obligationes manent immutatae.

§. 497. In quantum creditor debitoris principalis aut hic illius exstitit heres, in tantum simul tollitur fideiussoris obligatio; licet hic iam re iudicata esset condemnatus, ad praestandam obligationem, cui satisfacere debitor principalis non potest.

§. 498. At contra fideiussori conseruatur ius, ex debitoris bonis aut hereditate relicta petendi reparationem damni, ex fideiussione orti, et impensarum restitutionem.

§. 499. Idem obtinet, si fideiussor ante confusionem exortam debitoris principalis loco creditori solutionem iam praestiterat.

Beneficium separationis rei familiaris heredis et hereditatem relinquentis in concursibus.

§. 500. Si de heredis bonis oritur concursus, hereditatem relinquentis creditores petere possunt, vt in eorum fauorem hereditas relicta a propriis heredis (successoris) obaerati bonis separetur, et in eorum satisfactionem praecipue impendatur.

§. 501. Quibus si est satisfactum, hereditatis relictae residuum ad massam concursus heredis redit.

§. 502. Hinc eiusmodi petitione coniunctio et confusio rei familiaris actiuae hereditatem relinquentis et heredis, in hereditatis creditorum fauorem, etiam impeditur, si heres inuentarii beneficio non fuisset vsus.

§. 503.

Source : BIU Cujas

§. 503. Quam tamen ſeparationem ii tantum hereditatem relinquentis creditores poſſunt petere, qui, anno poſt hereditatem relinquentis obitum nondum elapſo, aduerſus heredem, vt ſatisfaciat, in iudicio egerunt, et executionem contra eum vſque ad concurſus formationem continuarunt.

§. 504. Hereditatis creditores, qui cum herede nouationem agunt, iure ſeparationis petendae inde priuantur.

§. 505. Si quidam hereditatis creditores ius ſuum ſeparationis ſunt conſecuti, alii vero modo ante dicto eo priuati; illis ſatisfit ex hereditate ſeparata relicta, quatenus ea ſufficit, et hi tanquam heredis creditores illis poſtponuntur, licet alias pro qualitate nominum ſuorum praelationis ius petere potuiſſent.

§. 506. Hereditatis creditores, quibus pro nominibus ſuis pignoris aut hypothecae ius in re, ad hereditatem relictam pertinente, eſt conſtitutum, iure ſeparationis, ad ius conſequendum, non indigent.

§. 507. Si quis hereditatem obaeratam absque inuentarii beneficio adiit, eoque in eum peruenit ſtatum, vt ſuis et hereditatis creditoribus ſimul ſatisfacere non poſſit; eius creditores moto de eius bonis concurſu poſſunt petere, vt propria eius bona ab hereditate relicta ſeparentur.

§. 508. Quam tamen ſeparationem ii tantum heredis creditores iure poſſunt petere, quorum nomina ſunt hereditatis delatione antiquiora, et qui ob ea nomina intra annum, poſtquam hereditatem adiit heres, contra debitorem actionem inſtituerunt, atque executionem vſque ad concurſus formationem continuarunt.

§. 509. Effectus huius ſeparationis is eſt, vt heredis creditoribus, quibus competit, ex ſeparatis heredis bonis propriis praecipue ſatisfieri debeat.

Source : BIU Cujas

§. 510. Illud tantum, quod deinde ex bonis heredis adhuc eſt reſiduum, petere poſſunt hereditatis creditores, quibus ob hereditatem, quam ſine reſeruatione adiit, ex propriis bonis eſt obligatus, et creditores ipſius proprii, quibus ſecundum §. 508. ius ſeparationis non competit.

§. 511. Hic quoque heredis creditores, quibus pignore aut hypotheca eſt proſpectum, ſeparationis iure non indigent.

§. 512. At contra neque poteſt peti ſeparatio, in detrimentum eorum hereditatis creditorum, quibus heres, ante concurſum motum, in propriis ſuis bonis ius pignoris aut hypothecae conſtituit.

TITVLVS DECIMVS SEPTIMVS.

De dominio communi.

Sectio Prima.

De dominio communi generatim.

Principia generalia.

§. 1. Dominium commune adeſt, vbi idem dominium rei aut iuris pluribus perſonis non diuiſum competit. (Tit. VIII. §. 14. 15. 17.)

§. 2. In dominii communione praeſumitur, condomino cuique paria iura in rem communem competere, et tantum iuris, quantum alteri.

§. 3. Qualitas iuris diuerſorum condominorum non mutatur eo, quod rei modo diuerſo ſunt participes.

§. 4. Ius ſocii cuiusque in re communi pertinet ad ſingulare eius dominium.

Source : BIU Cujas

§. 5. De titulis et modis condominii acquirendi in regula valent omnia, quae de dominio generatim ſunt praecepta. *Quomodo communiones oriantur.*

§. 6. Communiones, ex pactis ortae, ex regulis ſocietatis pactorum diiudicantur. (Sect. III.)

§. 7. In communionibus, ex diſpoſitionibus tertii ortis, in primis praeceptorum auctoris eſt habenda ratio.

§. 8. In communionibus, ex euentu caſuali exortis, ſectionis huius praecepta valent.

§. 9. Quae eadem praecepta tum quoque locum habent, ſi deciſio neque cognoſci poteſt ex praeceptis auctoris, neque ex ſocietatis pacto, neque ex legibus ſingularibus, de hoc vtroque communionum genere datis.

§. 10. Sociorum nullus, reliquis non conſentientibus, de re communi, eius poſſeſſione aut vſu valide poteſt diſponere. *Iura ſociorum in genere.*

§. 11. Neque per vota plurima ſociorum reliquorum iura poſſunt laedi.

§. 12. Si vero agitur de diſpoſitionibus de ſubſtantia rei communis, aut de eius adminiſtrandi vel vtendi modo; in regula decidunt plurima vota.

§. 13. Minor igitur condominorum pars ſe plurimorum ſententiae debet ſubmittere, aut communionis diſſolutionem petere.

§. 14. Communionis diſſolutionem ſi contradicens eligit; per tempus interiectum vſque ad ſeparationem perfectam contra eius voluntatem nihil mutare licet.

§. 15. Si communio vel plane, vel intra tempus certum, nondum elapſum, tolli non poteſt; contradicenti ius eſt, petendi cognitionem iudicialem, an diſpoſitio, a reliquis ſociis conſtituta, vtilitati communi inſeruiat.

Source : BIU Cujas

§. 16. Quae si non apparet, neque contra vnius rei socii voluntatem in re administranda et vtenda mutare quidquam licet.

§. 17. Contra si apparet, eam dispositionem communi vtilitati inseruire, et contradicenti non nocere; iudicem huius consensum supplere oportet.

§. 18. Idem fieri debet, si ex dispositione litigiosa, communi vtilitati inseruiente, damnum quidem quoddam singulare datur contradicenti, at reliqui ad illud damnum plene resarciendum sunt parati, et illud reparare possunt.

§. 19. An et quomodo res communis conseruanda sit, per plurima vota omnino deciditur.

§. 20. Eodem modo plurima vota sine requisitione et quaestione vlteriore decidunt, si socii de mutatione necessaria conuenerunt, et de modo tantum, quo fieri ea debeat, lis est.

§. 21. In regula in casibus omnibus, in quibus plurima vota decidunt, vota non ex numero personarum numerantur, sed pro ratione ratae eorum, quorum interest.

§. 22. Si vero agitur de meris iuribus personalibus, non de re ipsa communi, et de ea administranda et vtenda; vota ex personarum numero numerantur.

§. 23. Si numerus votorum par est, lis decidenda est compromissione, aut si neque de ea socii possunt conuenire, iudicis sententia.

§. 24. Et arbitro et iudici competenti in decidendo ad ea tantum respiciendum est, quae vtilitati communi sociorum omnium quam maxime inseruiunt, et deinde ad ea, quae fini, ad quem res est destinata, maxime conueniunt.

Custodia et possessio.

§. 25. Ius rei custodiendae in regula sociis omnibus simul competit.

§. 26. Si res detineri in communi custodia nequit, ille est praeferendus, cui pars eius maior competit.

Source : BIU Cujas

§. 27. Si partes sunt aequales, rei custodiam in primis petere potest ille, in cuius custodia pro eius statu et bonis seruari res potest securius.

§. 28. Si neque sic lis potest dirimi, fors decidit.

§. 29. Quatenus cum rei custodia fructus et emolumenta diuidui aut tales sunt coniuncti, qui aestumari pecunia possunt, eatenus locum habent praecepta § 37. sqq.

§. 30. Si vero cum rei custodia fructus et emolumenta indiuidui aut tales, qui aestumari nequeunt, ita sunt coniuncti, vt percipi sine custodia non possint; haec inter socios alternat.

§. 31. Possessionis tempus sequitur proportionem, qua quisque est rei communis particeps.

§. 32. Qui primus et quo ordine socius alius post alium rem custodiat, definiendum est ex praeceptis §. 26. et 28.

§. 33. Si fructus et emolumenta, qui aestumari nequeunt, eius sunt generis, vt certo tantum redeunte temporis spatio (periodice) plene possint percipi; custodiae alternatio locum tantum inuenit elapso eo temporis spatio.

§. 34. Socius (cuius interest) qui absentia aut causa alia impeditur, quo minus eo temporis spatio, quo rem possidere debet, ipse percipiat fructus et emolumenta inaestumabiles, ius suum eos percipiendi, inuitis sociis reliquis, in alium, non socium, transferre nequit.

§. 35. De possessione communium familiae documentorum necessaria suo loco sunt definita. (Part. II. Tit. IV. Sect. I.

§. 36. Rei quoque administratio in regula omnibus sociis, (s. quorum interest,) communiter competit. Administratio.

§. 37. Si administratio communis pro rei natura, ex consensione sociorum omnium, aut ex votorum plurium decisione (§. 12-18.) locum non habet; administrator communis est constituendus, aut res locanda est in rationem communem.

Source : BIU Cujas

§. 38. Si ſocii conuenire de eo nequeunt, vtrum locatio locum habere debeat, an adminiſtratio? plurima vota ſola decidunt.

§. 39. Si ſtatum eſt, rem eſſe locandam, praefertur ſententia publicam locationis licitationem proponentis.

§. 40. Si ſtatum eſt, communem adminiſtratorem eſſe conſtituendum, perſonae eius delectus iterum non niſi a votis plurimis pendet.

§. 41. Si vota ſunt paria, conſocius a ſociis nonnullis adminiſtrator deſignatus eſt praeferendus alii, non ſocio.

§. 42. Quo caſu excepto, praeceptum §. 23. 24. locum inuenit.

§. 43. Mutationes quoque circa perſonam adminiſtratoris a plurimis votis dependent.

Fructus et onera.

§. 44. Fructus et emolumenta diuidui rei communis, determinationibus propioribus deficientibus, ſemper ſunt diuidendi proportione partis in re communi cuiusque eorum, quorum intereſt.

§. 45. Ex eadem quoque proportione ſocius quisque ad rei onera ferenda, et impenſas, in rem faciendas, conferre debet.

§. 46. Qui ſe officio ſuo ad vtilem rei conſeruationem data opera ſubtrahit, impelli poteſt, vt partem ratam cedat condominis reliquis ad venditionis taxationem, iudicialiter factam.

§. 47. Idem locum habet, ſi ſocius ad rei communis onera et impenſas ob inopiam ratam ſuam non conferre, neque ea rata ſumi poteſt ex fructibus partis ſuae percipiendis.

§. 48. In caſu §. 46. ſocius renitens tenetur ad ſoluendas vſuras morae legitimas pecuniae, a reliquis ſociis pro eius rata ſuppeditatae.

§. 49. At hoc caſu excepto expenſarum, a ſociis quibusdam in fauorem reliquorum factarum, vſurae admittuntur vſu publico receptae. (Tit. XI. §. 841.)

Source : BIU Cujas

§. 50. Socii cuiusque pars in fructibus et emolumentis est eius, exclusis caeteris, res propria; nec reliqui ipsi praescribere possunt, quomodo ea velit vti.

§. 51. In iis tantum casibus, vbi propter ratas, a sociorum aliquo ad onera et impensas rei praestandas, reliqui huius partem in substantia petere possunt, (§. 46. 47.) iis quoque ius est, praecipue petendi fructus et emolumenta, ab eo percipiendos, et ei nondum traditos.

§. 52. Communia sociorum pacta cum tertio, intuitu huius, diiudicanda sunt ex praeceptis legum de pactis correalibus. (Tit. V. §. 424. seqq.)

Iura et officia sociorum erga tertium, inprimis ex sociorum singulorum factis.

§. 53. Si socius vi mandati a reliquis accepti, vel etiam sine eiusmodi mandato, respectu rei communis, cum tertio, non socio, agit; iura et officia, ex huiusmodi actu inter eum et tertium, vti inter hunc et socios reliquos oriunda, ex praeceptis tituli decimi tertii primae et secundae sectionis diiudicantur.

§. 54. In quibus casibus leges admittunt mandatum praesumtum, in iis socius, qui rei communis intuitu quid agit, praesumitur eiusmodi mandato praesumto instructus. (Tit. XIII. §. 119. seqq.)

§. 55. Quidquid socius, impendendo etiam rem familiarem communem, sibi et suo nomine acquirit, non venit in commune sociorum reliquorum dominium.

§. 56. Quibus tamen licet, petere ab acquirente cessionem condominii rerum et iurium, in totum aut ex parte ex re communi acquisitarum.

§. 57. Quod si nolunt, acquirens ea, quae impendit, ex re communi, restituere debet cum vsuris morae legalibus.

§. 58. Socii, quorum condominium sine expresso pacto est exortum, sibi inuicem in committendo et omittendo intuitu rei communis, latam tantum et leuem culpam praestant.

§. 59. At vero, si socius sine mandato vel adeo contra reliquorum voluntatem suscepit aliquid, ad

Source : BIU Cujas

rem communem totam pertinens, damnum inde ortum aeque praeſtat, ac non ſocius. (Tit. XIII. Sect. II. III.)

Partium ſingularum alienatio.

§. 60. In dominio communi, neque ex pacto, neque ex tertii diſpoſitione exorto, ſocio cuique competit ius, cedendi partem ſuam vel tertio, non ſocio.

§. 61. Reliquis tamen ſociis, communionem iſtam inter ſe continuaturis, ius reſeruatur protimiſeos.

§. 62. Ad quod ius exercendum ſi plures ſocii comparent; inter eos electio decidit ex communione excedentis.

§. 63. In dominio communi, ex pacto aut tertii diſpoſitione orto, ſociorum quisque partem ſuam ſocio valide poteſt cedere.

§. 64. Atque etiam in communionibus, ex tertii diſpoſitione ortis, in regula cedi poteſt condominium tertio, non ſocio.

§. 65. At vero et in hoc caſu reliqui, quorum intereſt, iure fruuntur protimiſeos ſecundum determinationes in §. 61. 62. definitas.

§. 66. Iam vero, ſi reliqui, quorum intereſt, diuiſionem ſtatim petere poſſunt, et volunt; aut ſi damnum poſſunt ex ſocii noui perſona ipſis oriundum docere; alienatio in eiusmodi ſocium locum non habet.

§. 67. Quod ad communiones ex pacto ortas attinet, eadem praecepta §. 65. 66. eatenus valent, quatenus pacti obiectum fuit ſola dominii communis acquiſitio.

§. 68. At vero ſi in eo pacto ſocius aliquis ſimul in ſe ſuſcepit certa facta et officia perſonalia intuitu communis negotii; hic alienanda ſua parte conſociis inuitis tertium, non ſocium, obtrudere ad ea officia nequit.

Oppigneratio earum.

§. 69. Quatenus ſocio partem ſuam in tertium, non ſocium, transferendi ius competit, eatenus huic quoque oppignorare eam poteſt.

Source : BIU Cujas

§. 70. Socius omnis ſine diſcrimine vel tertio, non ſocio, non ſolum ratam fructuum et emolumentorum iam perceptorum poteſt cedere, ſed etiam pro rata valide aſſignare fructus et emolumenta futuros.

§. 71. In genere ſocii vnius creditoribus ius eſt, ratam fructuum et emolumentorum debitoris ſui ex re communi petendi, et poſcendi a reliquis, quorum intereſt, eius exhibitionem (ſ. editionem).

§. 72. Hinc et fructibus poteſt arreſtum imponi, niſi ſocietates certae legibus expreſſe eo ſint exemtae.

§. 73. Compoſſeſſionem veram, aut coadminiſtrationem rei communis, merus, licet realis, creditor ſocii petere nequit.

§. 74. Alienatio neceſſaria partis, debitori in re ipſa competentis, vrgentibus eius creditoribus, admittitur tantum ex cauſis in §. 60-68. definitis, vti in eo caſu, ſi poteſt peti dominii communis diuiſio.

§. 75. Dominii communis diuiſio locum habet in caſibus omnibus, vbi non obſtant leges expreſſae, pacta, aut tertii diſpoſitiones legitimae. Communionum diſſolutio.

§. 76. Neque praeſcriptione amitti poteſt ius diuiſionis huius petendae.

§. 77. Ne tum quidem, ſi ſociorum aliquis diuiſioni ab altero petitae contradixerit, et hic in contradictione per tempus vel longiſſimum acquieuerit.

§. 78. Merum fundatoris conſilium aut admonitio, vt communio continuetur, ſociorum ius petendae ſeparationis non limitat.

§. 79. In caſibus omnibus, vbi leges pactum per ſe validum tollendum concedunt, diſſolui quoque poteſt communionis continuandae obligatio ex pactis. (Tit. V. §. 349. ſeqq.)

§. 80. Eodem modo diſſolutio communionis, cuius continuationem tertius in ſe valide diſpoſuit, in iis caſibus locum habet, vbi tolli poteſt pactum validum propter implementi impoſſibilitatem aut ſtatum rerum mutatum. (Tit. V. §. 360-377. ſeqq.)

Source : BIU Cujas

§. 81. Quid iuris ſit intuitu diſſolutionis communionis bonorum inter coniuges, in titulo de matrimonio eſt praeſcriptum. (Part. II. Tit. I. Sect. VI-VIII.)

§. 82. Quatenus quis eſt habilis ad celebranda alienationis pacta valida, eatenus quoque poteſt petere dominii communis diuiſionem.

§. 83. Si ii, quorum intereſt, non conueniunt de temporis momento diuiſionis, in legibus in ſe approbatae, diuiſio eo vſque eſt differenda, donec ſine rei detrimento et cum minimo omnium, quorum intereſt, damno fieri poteſt.

§. 84. In regula illud temporis momentum eſt expectandum, quo vtilitatis et onerum rei communis ratio optime cognoſcitur.

§. 85. Ob ſola reſidua accipiendorum, ad rem communem pertinentium, diuiſio ipſa differri nequit.

§. 86. Si diuidendae ſunt res plures inter ſe diuerſae, quarum qualibet ſola poſſumus vti; ideo, quod quaedam nondum poſſunt diuidi, non differenda eſt reliquarum diuiſio.

§. 87. Res, quae natura ſua poſſunt diuidi, et diuidendo valore non cadunt, in natura ſunt diuidendae, niſi leges expreſſae obſtent, aut ii, quorum intereſt, alio modo de iis conueniant.

§. 88. Si, quorum intereſt, de addictione partium ſingularum conuenire nequeunt; ſorte res deciditur.

§. 89. Si res quidem ipſa pro natura ſua poteſt diuidi; at vero ii, quorum intereſt, de taxandis et collocandis portionibus nequeunt conuenire: cuique eorum ad venditionem publicam (ſubhaſtationem) prouocandi ius competit.

§. 90. Eiusmodi venditatio publica locum habet in caſibus omnibus, vbi fieri non poteſt diuiſio in natura, neque conuenire poſſunt, quorum intereſt, de re, eo vſque communi, ſociorum alicui aut tertio concedenda. (ſ. adiudicanda.)

Source : BIU Cujas

§. 91. Vtrum licitatione facta addictio fieri, an venditatio continuari debeat, plurima vota decidunt.

§. 92. At vero si venditationis fundamentum posita est taxatio, secundum leges ordinationis processus confecta, adhibitis quorum interest omnibus; licitatione, quae taxationem aequat vel adeo excedit, facta, fieri debet addictio, licet ad eam prouocent eorum, quorum interest, vnus tantum aut nonnulli, quorum vota non sunt plurima.

§. 93. Si taxationis pretium licitando non est oblatum, locum non habet addictio, votis pro ea et contra eam paribus.

§. 94. Si diuisio quidem potest admitti, sed prohibita est rei in tertium, non socium, translatio per alienationem; res diuidua vendenda est licitatione inter eos, quorum interest.

§. 95. In eiusmodi licitatione inter eos, quorum interest, ille, qui vrget diuisionem, petere nequit, vt res addicatur sibimet ipsi, licet eius votum pluralitatem votorum efficiat, nisi saltem taxationis, secundum §. 92. confectae, pretium plenum licitando sit oblatum.

§. 96. Inter socios plures aequale pretium offerentes declaratio reliquorum decidit. Si vero praeter eos socii nulli amplius extant, aut reliqui de re decidenda conuenire nequeunt, aut nolunt: reliquis praeferendus est, qui plurimum primus obtulit.

§. 97. In omnibus diuisionibus eos, quorum interest, sibi inuicem praestare oportet portionis cuique addictae euictionem, vti in emtionis venditionis contractibus.

§. 98. In diuidundis fortibus (summis capitalibus) communibus de euictione praestanda locum habent, praecepta de cessionibus. (Tit. XI. Sect. III. §. 420. seqq.)

Source : BIU Cujas

§. 99. Quae condominorum diuidentium obligatio erga se inuicem (§. 97. 98.) non mutatur, licet tertius, qui dominium commune in eos transtulit, de separatione futura praecepta certa praescripserit.

§. 100. Quod si vero ex dispositionis tenore apparet, fundatorem cuidam eorum, quorum interest, inde ab initio certas partes, tanquam ipsi proprias, assignare voluisse; earum euictionis praestatio locum non habet.

§. 101. In casu dubio posterius §. 100. potius praesumitur, quam prius §. 99.

§. 102. Quatenus res (puncta) litigiosae diuidendo sunt diremtae; eatenus diuisio ex legibus de transactionibus est diiudicanda.

§. 103. Dominium et periculum intuitu totius vniuersi in diuisionibus ad totum accipientem eodem tantum modo transeunt, quo in emtionis venditionis contractibus intuitu rerum corporalium, et in cessionibus intuitu iurium.

§. 104. Caeterum portionum aut satisfactionis determinatio fit proportione iuris, quod habuit, qui eo vsque fuit condominus. (§. 2. 3.)

Diuisionis effectus intuitu tertii.

§. 105. Diuisione tertii iura intuitu rei diuisae iam acquisita laedi non possunt.

§. 106. Creditor, qui ius reale acquisiuit in re, quae eo vsque communis fuit, partem quamlibet pro toto conuenire potest, licet res in natura fuerit diuisa.

§. 107. At vero praetensiones mere personales, quae tertio in omnes, qui socii fuerunt, competunt, in communione, quae neque pacto neque vltimae voluntatis dispositione est exorta, dissolutione eius subsecuta praestat eorum, qui socii fuerunt, quisque pro rata accepta.

§. 108. Si de fundamento praetensionis tertii in rem, quae fuit communis, aut in personas omnium quondam sociorum lis in iudicio agitur, hi, qua-

Source : BIU Cujas

tenus foro in terris noſtris ſunt ſubiecti, vel diuiſione facta tenentur ad agendum communiter cum creditore.

§. 109. Exceptiones et determinationes propiores intuitu eiusmodi ſociorum, quorum commune dominium ex ſocietatis pacto eſt exortum, vti et coheredum, ſuo loco ſunt definitae. (Sect. II. III.)

§. 110. In caſibus omnibus, vbi ii, qui ſocii fuerunt, vi pacti expreſſi, in ſolidum tenentur, obligatio eorum erga tertium facta diuiſione in nihilo mutatur.

§. 111. Diuiſionis priuatae vis et validitas ex regulis de transactionibus, vti diuiſionis, adhibito iudice factae, diiudicanda eſt ex regulis ſententiae, vires rei iudicatae nactae. Quatenus diuiſiones impugnari poſſint.

§. 112. Hinc diuiſionis in forma legitima factae impugnatio non niſi in tantum locum habet, in quantum transactiones aut ſententiae, vim rei iudicatae nactae, a partibus impugnari poſſunt.

§. 113. At iudicialis tamen diuiſio impugnari non poteſt exceptione, negotium non actum fuiſſe coram iudice competente.

§. 114. At contra in diuidendo rerum complexu, licet diuiſio vel ſententia fuerit decreta, nihilominus eadem valent, quae leges in eiusmodi complexus diuiſione, tranſigendo perfecta, intuitu particularum in ea omiſſarum praeſcribunt. (Tit. XVI. §. 436. ſeqq.)

Sectio Secunda.

De communi coheredum dominio.

§. 115. Communia coheredum iura diiudicanda ſunt ex generalibus condominii principiis.

§. 116. Quorum cuiusque portio in communione vel hereditatem relinquentis legitima voluntatis declaratione, vel ea deficiente immediate legibus eſt definita. (Tit. XII. Part. II. Tit. I-IV.)

Source : BIU Cujas

De hereditatum diuisionibus. Quis ad eas prouocare possit.

§. 117. Heres quisque, cuius portio non in se ipsa, sed proportione tantum ad totam hereditatem est definita, ad diuidendum potest prouocare.

§. 118. Hereditatem relinquentis interdictum, ne hereditas relicta vnquam diuidatur, legales effectus producit nullos.

§. 119. At potest omnino hereditatem relinquens interdicere diuisionem particularum singularum certarum ad hereditatem pertinentium, et perpetuam earum communionem inter coheredes ordinare.

§. 120. Quatenus eiusmodi interdictum in perpetuum, aut in certos tantum gradus effectus habeat, diiudicandum est ex principiis, de fideicommissis praescriptis. (Tit. XII. §. 53. seqq.)

§. 121. Si hereditatem relinquens diuisionis dilationem praescripsit vsque ad certum tempus elapsum, aut certi euentus existentiam; heredibus in hoc praecepto est acquiescendum.

§. 122. At heres tamen, cui testator non plura reliquit, quam iustam legitimam, eiusmodi dispositionibus eius (§. 119-121.) non obligatur.

Modus diuidendi, s. familiae erciscundae.

§. 123. Modus diuidendi, s. familiae erciscundae ex praecepto hereditatem relinquentis, caeterum vero ex sectionis antecedentis regulis est definiendus.

§. 124. Scripturae et documenta, quae neque spectant ad fundum ad hereditatem pertinentem, neque ius firmant, quod est diuidundum, neque in se pretium habent, quod pecunia aestumari potest, sunt cedenda ei, qui est maiori ex parte heres.

§. 125. Inter coheredes, quorum portiones sunt aequales, possessio eiusmodi instrumentorum sorte deciditur.

§. 126. At vero, si hereditatem relinquens ipse diuisionem fecit; euictionem, a coheredibus de portionibus suis sibi inuicem praestandam, (§. 97. 98.) vni aut omnibus potest remittere; at non in detrimentum eius, cui legitimam tantum suam assignauit.

Source : BIU Cujas

§. 127. Ad hereditatis debita soluenda et onera praestanda, heredes communiter obligati sunt hereditatis creditoribus. Iura et obligationes coheredum intuitu hereditatis debitorum et onerum.

§. 128. At inter se pro portionum acceptarum ratione ad ea soluenda et praestanda conferunt.

§. 129. Quae tamen heredum collatio ipsa hereditatem relinquentis dispositione, aut pacto, proportione inaequali, vel nulla portionum ratione habita, valide potest determinari.

§. 130. At eiusmodi determinationes non possunt laedere vnquam iura creditorum, neque solae heredum inter se conuentiones possunt laedere legatariorum iura in totam hereditatis substantiam.

§. 131. Si heredes ante obligationum communium adimplementum hereditatem diuiserunt; cuique hereditatis creditori competit electio, vtrum heredes in solidum, an quemlibet eorum pro portione hereditaria, an vnum eorum in totum conuenire velit. In primis facta diuisione.

§. 132. Qui si heredes omnes conuenit, hi in vltimo hereditatem relinquentis foro personali se sistere debent. (§. 108.)

§. 133. Si ab heredibus singulis aut ab eorum vno tantum satisfactionem petit, in foro competente conuenire quemque debet.

§. 134. In summam portione hereditaria accepta maiorem, heres singulus conueniri ad totum soluendum nequit, nisi hereditatem totam sine reseruatione adierit.

§. 135. Quatenus, hac portione hereditaria aliis creditoribus soluendo iam exhausta, heres non nisi pro portionis suae proportione aut plane non sit obligatus, definiendum est ex principiis in titulo nono §. 452. seqq. praescriptis.

§. 136. Creditori, cui ab vno aut singulis heredibus conuentis in totum aut pro parte satisfieri nequit, ius contra coheredes reliquos est integrum.

Source : BIU Cujas

Quid obſeruandum ſit heredibus, facta diuiſione hereditatis creditoribus tantum pro rata ſatisfacturis.

§. 137. Coheredes diuidentes hereditatis creditorem obligaturi, vt quemque eorum pro rata tantum conueniat, eum de deuiſione inſtante tempore iuſto certiorem facere debent.

§. 138. Intuitu creditorum ignotorum haec promulgatio trina vice nouellis publicis et ephemeridibus prouincialibus, (*Intelligenzblättern*) eſt inſerenda.

§. 139. Si defunctus fuit mercator, cuius negotia quoque extra prouinciam geſta ſunt, promulgatio praeterea in nouellis publicis prouinciae regiae alius fiat, neceſſe eſt.

§. 140. Et quidem eligenda eſt prouincia, in qua defunctus in primis negotia egit, aut quae adiacet proxime terris exteris, in quibus eſt negotiatus.

§. 141. Si hereditatis creditor tres menſes ita ſinit praeterlabi, vt non compareat; facta diuiſione heredem quemlibet non poteſt conuenire, niſi pro eius rata.

§. 142. In caſu §. 139. 140. creditoribus exteris femeſtris terminus conceditur.

§. 143. Terminus, ſi denuntiatio literis eſt facta, ab eo die putatur, quo literae ſecundum ſolitum curſus publici ordinem, in locum definitum transferri potuerunt; at ſi promulgatio facta publica, a die, quo primum nouellis publicis fuit inſerta.

§. 144. Ab heredibus dependet, vtrum iudicium hanc denuntiationem peragere debeat, an ipſi extraiudicialiter eam curare velint.

§. 145. Si denuntiatione (ſ. promulgatione) ab heredibus facta creditor ſe eius notitiam conſecutum eſſe negat; heredes idonee debent probare, denuntiationem ore factam, aut exhibitionem epiſtolae, denuntiationem ſcriptam in ſe continentis, et, ſi publicae fuerint promulgationes, earum inſertionem re vera fuiſſe factam.

§. 146. Contra creditorem, cuius praetenſio heredibus quidem nota, at domicilium praeſens, ſecundum

Source : BIU Cujas

dum eorum affirmationem, iurisiurandi loco praestitam, ignotum fuit, sufficit promulgatio publica.

§. 147. Quatenus ex principiis antecedentibus coheres quisque, facta iam diuisione, hereditatis creditoribus et legatariis adhuc obligatur, eatenus ei ius competit, a coheredibus petendi probationem, praestitas esse ab ipsis partes susceptas hereditatis nominum passiuorum et onerum, aut saltem coheredes reliquos ab obligatione sua, eas praestandi, esse liberatos.

Iura coheredum erga se inuicem, facta diuisione ob hereditatis nomina passiua et onera.

§. 148. Tempus, intra quod vnum aut alterum fieri debeat, si partes de eo conuenire nequeunt, pro rebus circumstantibus a iudice est definiendum.

§. 149. Coheres quisque ab altero ideo cautionis praestationem pro rata sua iure exigere potest.

§. 150. Coheredem, qui suo officio (§. 147.) tempore definito satisfacere moratur, iudex ad implendum officium cogere debet, petente vel vno tantum coherede.

§. 151. Nomina actiua ad hereditatem pertinentia, quamdiu sunt in condominio, heredes non possunt nisi communiter exigere.

Iura et officia coheredum intuitu nominum actiuorum, ad hereditatem pertinentium,

§. 152. Hereditate diuisa, debitor recte et secure soluere potest coheredi, qui est in possessione instrumenti, quo continetur nomen. (praetensio).

§. 153. Si heredes reliqui impedire cupiunt, quo minus possessor instrumenti totum vniuersum exigat, hoc debitori a iudicio insinuandum, et si summa in libro publico hypothecario est consignata, protestationem suam in eo notandam curare debent.

§. 154. Quod si nomen s. debitum est tale, vt instrumentum singulare nullum de eo confectum extet; debitor soluere debet heredi illi, cui ea summa in erciscunda familia est assignata.

§. 155. Quae assignatio vero si produci nequit; debitori ius competit petendi, vt heredes mandatarium communem constituant ad exigendum debitum.

Source : BIU Cujas

§. 156. Quem si heredes constituere nequeunt, aut nolunt; aut si debitor dubitat, an mandatum productum ab heredibus omnibus sit datum: hic deponenda re aut summa debita in iudicio ab obligatione sua se liberare potest.

§. 157. Depositio vero in eo foro debet fieri, sub quo solutionis locus, pacto aut legibus determinatus, est situs.

§. 158. Depositionis sumtus heredes ferre debent, nisi debitoris dubitatio, quae depositioni causam praebuit, manifeste leuis (irreleuans) fuerit.

Quid faciendum sit, si ius hereditarium est litigiosum?

§. 159. Si plures personae de eo litigant, cui ius hereditarium in totum aut ex parte competat; hereditatis administratio demandanda est hereditatis curatori iudicialiter constituto.

§. 160. Si quis praetendentium bona fide possessionem hereditatis iam apprehendit, vsque ad causae decisionem possessio ipsi est concedenda.

§. 161. Si praetendentium nullus adhuc est in hereditatis possessione; penitus ab arbitrio iudicis dependet, vtrum curam vni eorum, an alii, non praetendenti (extraneo), demandare velit.

§. 162. Hereditatis curatorem aeque ac praetendentem, qui est in possessione, hereditatem vsque ad causae decisionem sub cura iudiciali administrare oportet.

§. 163. In omnibus dispositionibus, ad hereditatis substantiam aut mutationes praecipuas in ea administranda pertinentibus, reliquos adhibere debent hereditatis praetendentes.

§. 164. Curator iis, quorum interest, ad reddendam administrationis suae rationem est obligatus, simulac lis de iure hereditario vel hereditatis portionibus est decisa, aut quotannis, si haec lis profertur.

§. 165. Bonae fidei hereditatis possessor (§. 160.) ad rationem reddendam adigi tantum potest causa co-

Source : BIU Cujas

gnita et deciſa, aut ſi lite pendente malae adminiſtrationis hereditatis ſuſpectum ſe reddit.

§. 166. Hereditatis diuiſio eſt differenda vſque ad litem de iure hereditario aut hereditatis portionibus penitus deciſam.

§. 167. At ii tamen, qui a reliquis praetendentibus coheredes ſunt agniti, ad diuiſionem poſſunt eatenus prouocare, quatenus ea poteſt fieri ſine magno detrimento aliorum, ſi hi praetenſiones factas iudicialiter expedirent;

§. 168. Quid in caſibus, ſi heredes ex teſtamento aut ab inteſtato de iure hereditario litigando contendunt, qua poſſeſſionem et adminiſtrationem hereditatis iuris ſit, ſuo loco eſt definitum. (Tit. XII. §. 243. ſeqq.)

Sectio Tertia.

De communionibus ex pacto oriundis.

§. 169. Pactum, quo plures perſonae rem familiarem, (ſubſtantiam) aut quaeſtum, vel etiam labores et operas ſuos in totum aut ex parte ad finem communem aſſequendum conferunt, ſocietatis pactum vocatur. Definitio et principia.

§. 170. Coniunctionis finis, et coniunctorum ratio in fine aſſequendo et ad eum aſſequendum, ſemper ſine obiecti diſcrimine, ſub poena nullitatis, pacto ſcripto ſunt conſtituendi.

§. 171. Qua forma neglecta, ſi communibus ſociorum impenſis lucrum aliquod eſt acquiſitum; eiusmodi lucrum ex regulis ſectionis primae diiudicatur tanquam res communis, ex euentu caſuali exorta.

§. 172. Si plures communiter cum tertio pactum inierunt: deficiente legitima conuentione inter eos ipſos, eorum ratio ad ſe inuicem diiudicatur ex determinationibus, pacto cum tertio adiectis.

Source : BIU Cujas

§. 173. In quo si eiusmodi determinationes non continentur; regulae generales sectionis primae locum habent.

§. 174. Si id, quod in societatem conferendum aut per eam efficiendum sit, in pacto non perspicue est definitum; praesumtio stat magis pro eo restringendo, quam extendendo.

§. 175. Officia coniunctorum ad assequendum finem communem, vti eorum iura, intuitu lucri inde acquirendi, in casu dubio habentur aequalia.

1. De societatibus vniuersalibus.

§. 176. Vniuersalis bonorum communio pacto tantum inter coniuges potest constitui. (Part. II. Tit. I. Sect. VI.)

§. 177. Quid intuitu societatis vniuersalis acquisiti (acquisitionis s. quaestuariae) inter coniuges iuris sit, suo loco est definitum. (ibid.)

§. 178. Aliae personae talem communionem vniuersalem acquisiti pacto tantum, in iudicio celebrato, valide possunt inire.

§. 179. Eiusmodi pactum esse celebratum, affixione in loco iudicii domicilii contrahentium omnium, atque indicatione, nouellis publicis et ephemeridibus prouincialibus inferenda, promulgari publice debet.

§. 180. Quod si fuerit neglectum; eiusmodi communio tertio, qui cum sociorum quodam egit, detrimento esse nunquam potest, quamdiu eius notitiam habuisse conuinci nequit.

§. 181. Caeterum de solennitatibus in eiusmodi pacto ineundo obseruandis, atque de eo, quod ad societatem quaestuariam in casu dubio referendum sit, eadem valent praecepta, quae de eiusmodi societate inter coniuges sunt data. (Part. II. Tit. I. Sect. VI.)

§. 182. At contra, iura et obligationes sociorum intuitu possessionis, administrationis, et vsus quaestus communis, deficientibus propioribus determinationibus, diiudicantur vnice ex sectionis primae regulis.

Source : BIU Cujas

§. 183. Societatis pacta, ad certum tantum obiectum, vel ad quaestum aut negotium certum directa, vt in iudicio contrahantur aut confirmentur, non est necesse. II. De societatibus particularibus.

§. 184. Idem valet de mercatoribus, qui societatem tantum ineunt ad exercendum negotium certum.

§. 185. At vero, si societatis mercatura, proprie sic dicta, sub communi firma condi debet; eiusmodi negotium diiudicandum est ex praeceptis propioribus in mercatorum iure de eo datis. (Part. II. Tit. VIII. Sect. VII.)

§. 186. In societatibus particularibus aliis iura et officia sociorum singulorum, in casibus quidem omnibus, in primis determinanda sunt ex tenore pacti inter eos celebrati;

§. 187. At limitationes tamen horum iurium et officiorum, quae a legalibus determinationibus recedunt, et societati in genere et singulis eius sociis contra tertium eatenus tantum prosunt, quatenus tertio iusto tempore sunt indicatae.

§. 188. Obligatio contrahentium mutua in regula initium capit a contractus celebrati die. Sociorum iura et obligationes.

§. 189. Si in contractu de alio non fuerit conuentum, sociorum quisque ad aerarium commune pari ratione conferre tenetur. 1) intuitu conferendorum. (collationum.)

§. 190. At vero ad conferenda plura iis, ad quae sociorum quisque expresse se obligauit, socius cogi a reliquis nequit, ne mutato quidem rerum statu.

§. 191. Quod si vero, nisi plura conferantur, finis communis effici nequeat: socius recusans, vt ex societate excedat, cogi potest.

§. 192. Quo etiam in casu, nempe si conferendis iis, de quibus expresse est conuentum, finis communis plane effici nequeat, socio cuique ius competit, a societate recedendi vel ante elapsum tempus, in contractu determinatum.

Source : BIU Cujas

§. 193. Si ſocietatis negotia collationibus nouis tantum extendi debent; caeterum vero non mutari ſocietatis obiectum: ſocii reliqui ea, quae conferenda ſunt, pro arbitrio poſſunt augere.

§. 194. Recuſantem vero ad idem augmentum neque cogere poſſunt, neque ideo a ſocietate excludere, quod idem augmentum recuſat.

§. 195. Quin potius lucri, ex negotio extenſo enati, maiorem tantum partem poſtulare poſſunt, pro portione collationum auctarum.

§. 196. At contra, ſi ſocii reliqui collationibus nouis finem coniunctionis ad negotium (obiectum) nouum in ea adhuc non geſtum, velint extendere: ei, qui conferre ad illud recuſat, neque obligatio neque ius eſt, negotia haec extenſa cum reliquis participandi.

§. 197. Quin potius ſociorum reliquorum coniunctio eatenus noua ſocietas inter eos ſubſiſtens habenda.

§. 198. Aerarium (fons) ad negotium commune gerendum et exercendum collatum a pacti celebrati tempore pro re communi habendum.

§. 199. Si fundi in aerarium (fontem) ſocietatis conferri et pro re communi haberi debeant: ii ſolenniter ſocietati in libro hypothecario publico ſunt adſcribendi.

§. 200. Qua forma neglecta, eiusmodi fundi intuitu tantum ſociorum inter ſe, at non intuitu tertii fiunt communes.

§. 201. Mobilia et effecta, ad certam taxationem ſocietati exhibita, veniunt quoque in commune ſocietatis dominium.

§. 202. Si fundi ſine adſcriptione, et mobilia ſine taxatione, ſocietati ſunt ceſſi, et fundi et mobilia ſocietati in vſum commodati praeſumuntur.

Source : BIU Cujas

§. 203. Qui in praestandis collationibus, in pecunia parata non consistentibus, moratur, damnum ex mora ortum societati resarcire debet.

§. 204. Si quis collationes, in pecunia consistentes, soluere est moratus; reliquis sociis est electio, loco damni reparationis, legitimas morae vsuras petere. (Tit. XI. §. 827. seqq.)

§. 205. Simulac societas initium cepit, lucrum et damnum iis, quorum interest, pro portione ratae cuiusque sunt communia.

§. 206. Nisi pacto aliud sit definitum, socius quisque ad res communes gerendas pari modo obligatur, eodemque iure fruitur. 2) In gerendis et exercendis negotiis.

§. 207. Hinc in regula societatis negotia a sociis omnibus communiter sunt gerenda et perficienda.

§. 208. At vero ii socii, qui ad conferendam tantum pecuniam, non vero ad gerenda negotia se obligarunt, tunc tantum sunt adhibendi, si facta suscipienda sunt, societatis pacti principiis non conuenientia.

§. 209. Si in societatis pacto non est determinatum, qua ratione vota computanda sint in gerendis communibus rebus et negotiis, in casibus, vbi plurima vota decidunt; vota non pro collationum ratione, sed personarum numero computantur.

§. 210. Si cui sociorum demandata sunt omnia aut certa societatis negotia gerenda, absque vlteriori determinatione; huius ratio ad socios reliquos ex regulis de mandatis illimitatis diiudicanda. (Tit. XIII. §. 98. seqq.)

§. 211. Socii in gerendis negotiis communibus ad eundem obligati sunt diligentiae et attentionis gradum, quem in propriis suis negotiis adhibere quisque solet.

§. 212. Socius vero, cui praeter lucri ratam salarium singulare aut praemium pro gerendo et curando negotio certo est constitutum, culpam in eo

Source : BIU Cujas

commiſſam ſecundum praecepta legis generalia, de negotio ipſo data, praeſtare debet, nulla qualitatum eius perſonalium ratione habita.

§. 213. Idem obtinet, ſi ſocio res ſingulae cuſtodiendae aut adminiſtrandae praecipue ſunt commiſſae.

§. 214. Quae tamen praecepta (§. 212. 213.) antecedentia locum tantum habent in ſociorum reliquorum fauorem, non in mandatarii, adminiſtratoris aut depoſitarii ipſius excuſationem, qui in negotiis ſuis propriis maiorem diligentiae et attentionis gradum adhibere ſolet.

§. 215. Socius ab obligatione damni reparandi eo ſe liberare nequit, quod ſocietati in caſibus aliis lucra acquiſiuerit ſingularia.

§. 216. Socius nullus ſui loco ſociis reliquis alium (extraneum) tanquam ſocium obtrudere poteſt.

§. 217. Eo, quod quis ſocius ratam lucri ſuam alii (extraneo) cedit, hic neque iura, neque officia ſocii conſequitur.

§. 218. Hinc eiusmodi ceſſionarius a ſociis reliquis non poteſt petere, vt rationes reddantur aut negotia geſta alio modo demonſtrentur; at omnino poſtulare poteſt lucri et damni, ex negotio communi orti, rationem, (librationem, *Balance*) ipſi exhibendam.

3) De rationibus reddendis.

§. 219. Sociorum quisque ſociis reliquis obligatur ad reddendas rationes negotiorum, pro ſocietate ſuſceptorum.

§. 220. Si in rationibus reddendis ſummae nominantur, ſecundum circumſtantias probabiliter impenſae, quarum autem teſtimonium ſingulare (ſeu apocha) aut demonſtratio alia produci non poteſt ſine magnis difficultatibus; indicatio ſola, iurisiurandi loco facta, aut confirmatio iurata rationes reddentis, pro arbitrio iudicis, vicem teſtimonii aut vlterioris demonſtrationis poteſt explere.

Source : BIU Cujas

§. 221. Heredes quoque socii defuncti societatis negotiorum, ab hereditatem relinquente gestorum, rationem reddere debent.

§. 222. Si societatis membra renuntiarunt iuri petendi, vt rationes negotii ab eorum vno gesti reddantur; standum est renuntiatione, licet haec ante negotium finitum fuisset facta.

§. 223. At vero, si eiusmodi socius potest conuinci doli, licet in singulis tantum negotii partibus aut actibus admissi; totius negotii rationem reddere debet, nulla renuntiationis ratione habita.

§. 224. Socius, qui quae societatis aerarii sunt, proprio usu retinet, pro reliquorum electione, vel damnum inde ortum refarcire, vel legitimas morae vsuras soluere debet.

§. 225. Sociorum quisque pecuniae, in communem vtilitatem ex propriis bonis suppeditatae, iure petere potest vsuras, publico vsu receptas.

§. 226. Cuique etiam restituendi sunt sumtus itineris, victus et alii, in perficiendis societatis negotiis necessario erogandi.

§. 227. Damnorum, quae negotii perficiendi occasione est passus, reparationem potest petere ex iisdem causis et rationibus, ex quibus mandatarius, (Tit. THI. §. 80. seqq.)

§. 228. Operarum in societatis vtilitatem praestitarum praemium petere nequit, nisi fuerit promissum.

§. 229. At operarum earum, quae ad modum negotiorum societatis gerendorum solitum non pertinent, et artem aut scientiam singularem desiderant, pretium solitum referre in rationem potest.

4) De obligationibus erga alios.

§. 230. Societas in regula tantum obligatur pactis communiter celebratis et subscriptis.

§. 231. Si cui sociorum a reliquis negotia gerenda omnia aut certa sunt demandata; is factis et pactis societatem obligat, ac mandatarius. (§. 210.)

Source : BIU Cujas

§. 232. Socius, qui non societatis nomine pactum contrahit, se tantum ipsum at non societatem obligat, licet alias mandatarius sit habendus.

§. 233. Socius autem, qui suo quidem tantum nomine, sed in societatis negotiis pactum iniit, tenetur ad lucrum inde exortum societati cedendum.

§. 234. At in tertium, qui cum socio huius tantum nomine proprio contractum iniit, societas ex eiusmodi pacto ius nullum acquirit; hinc neque impugnare potest solutiones, ab hoc contrahenti suo praestitas, aut alias conuentiones, quibus obligatio ex pacto exorta iterum est sublata.

§. 235. Neque tertii scientia, negotium, de quo contrahit, ad societatem totam pertinere, priuare eum potest facultate continuandi conuentiones cum contrahentibus suis, dum nullus subest dolus, aut interdictum iudiciale nullum datum.

§. 236. In quantum quis alteri obligatur vtili negotiorum gestione, aut versione vtili; in tantum quoque societas eodem modo obligari potest.

§. 237. Qui ex causa hac vltima (§. 236.) legitimam praetensionem in societatem acquisiuit, socium quemque conuenire pro eius rata potest.

§. 238. Pro cuiusque rata reliqui socii creditori tanquam fideiussores sunt obligati.

§. 239. At contra socios, tertio pacto expresso, ab iis communiter aut per mandatarium celebrato, obligatos locum inueniunt praecepta de pactis correalibus. (Tit. V. §. 424. seqq.)

§. 240. Si tamen creditor cum vno tantum sociorum tanquam mandatario communi contraxit; in regula quoque, et nisi mandatum expresse in obligationem huius generis fuerit directum, arrestum personale via executionis non potest peti, nisi contra mandatarium.

5) Intuitu lucri et damni.

§. 241. Ad lucrum societatis pertinet, quidquid supersit rei communis, deductis debitis communibus,

Source : BIU Cujas

sumtibus ad negotium gerendum expensis, forte societati destinata, et sociorum collationibus.

§. 242. Quatenus summae, §. antecedente adductae, ex communi societatis aerario exsolui nequeunt, damnum extat.

§. 243. In computando lucro et damno ratio est habenda eorum, quibus societas ad exercendum quaestum vtitur, instrumentorum, vtensilium rerumque aliarum deteriorationis et pretii deminuti, ex rerum istarum vsu assiduo oriundi.

§. 244. Lucri et damni portio cuiusque socii in primis ex pacti sententia est diiudicanda.

§. 245. Conuentio, qua sociorum alteri damnum omne, alteri lucrum omne assignatur, ex donationum regulis est diiudicanda.

§. 246. Si conuentio tanquam donatio valere nequit; eiusmodi societatum lucrum et damnum secundum principia legalia est diuidendum.

§. 247. Membrum, quod lucri portionis loco determinatas sortis vsuras ita sibi est pactum, vt periculi et damni particeps fieri nolit; habetur tantum societatis creditor.

§. 248. At vero, si in se suscipit damni, societati oriundi, partem proportioni conuenientem; maiores, quam legibus sunt permissae, sortis vsuras pacisci sibi licet.

§. 249. Eiusmodi tamen conuentionibus singularibus inter eos, qui semel sunt vera societatis membra facta, (§. 247. 248.) non mutatur obligatio cuiusque eorum erga alios, non socios, quibus societas vno modo aut alio est obligata.

§. 250. At contra, si quis societatis membrum non factus, societati sortem tantum sub ea conditione credidit, vt inde vsuras legitimis maiores, percipiat; at vero periculum etiam atque damnum pro sortis huius proportione sentire simul velit: hic societatis creditori-

Source : BIU Cujas

bus forte tantum collocata est obligatus; neque potest cogi, vt plura conferat ad exsoluenda societatis debita.

§. 251. Si nullae damni vel lucri partes sociorum pacto sunt determinatae; istae determinandae sunt proportione eius, quod in commune aerarium est collatum.

§. 252. Si socii omnes se ad commune lucrum operis tantum suis promouendum obligarunt; aequales sunt partes lucri et damni.

§. 253. Si vnum tantum aut alterum membrum de collationibus in aerarium commune est exemtum; huius portio lucri et damni, in pacto non determinata, aequatur portioni eius, qui contulit minimum ad sortem communem.

§. 254. Si a reliquis aequaliter est collatum, socius de collatione exemtus, aequalem lucri partem habet.

§. 255. Damnum membra, quae pecuniam conferunt, eadem sentiunt proportione, qua lucrum.

§. 256. Socius de pecunia conferenda exemtus cogi nequit ad soluendam ratam damni, fonti societatis orti, nisi expresse fuerit conuentum.

§. 257. Quin potius eius damni rata in eo tantum consistit, vt careat praemio sperato pro operis, in commodum commune praestitis.

§. 258. Si vero eiusmodi socio priorum annorum commoda in eius fauorem in sortem sunt scripta; ita, vt pro huius sortis proportione vlterioris lucri fiat particeps; eadem quoque proportione ad damnum debet conferre.

§. 259. Si suppleri debeat deminutio, fonti societatis damno dato facta, eadem proportione supplendum est, qua societatis initio fors communis est collata.

§. 260. Si damnum datum est culpa socii, de collatione pecuniaria exemti, hic quidem obligatus est

Source : BIU Cujas

ad damnum reſarciendum, non autem ad nouam collationem.

§. 261. Ratio lucri et damni, niſi ſingulare quid fuerit pactum, deponenda eſt finito communi negotio, at, negotio per annos plures durante, quotannis.

§. 262. In detrimentum ſociorum, de collationibus pecuniariis exemtorum, deficientibus conuentionibus expreſſis deduci non poteſt in computanda anni ſequentis ratione, de huius anni ſequentis lucro anni antecedentis damnum.

§. 263. Socio cuique ius competit, de ſua lucri parte libere diſponendi, eamque ex ſocietate auferendi.

§. 264. Neque plurium vota membrum vllum obligare poſſunt inuitum, ad reliquendam ſuam lucri partem, in communis fontis incrementum, niſi de eo ſit in pacto conuentum.

§. 265. At contra, ſociorum quisque ſolutionem paratam ſuae partis lucri eo vſque expectare debet, donec ea ſine negotiorum continuandorum detrimento poteſt fieri.

§. 266. Creditores ſocii vnius lucri eius partem etiam petere poſſunt.

§. 267. At vero eos oportet, quod et ad huius portionis demonſtrationem et modum tempusque eam exhibendi attinet, agnoſcere omnia, ad quae debitor ipſe ex pacto aut legibus eſt obligatus.

§. 268. Quod ſi igitur ex pacto certorum annorum lucrum, aut lucrum certa proportione ad augendum ſocietatis fontem manere in ſocietate debeat; ea conuentio quoque contra creditores ſocii vnius valet.

§. 269. In regula membro cuique licet, ſocietatem relinquere, quandocunque libuerit. Si ſingula membra ſocietatem relinquunt.

§. 270. At vero, ſi pactum in certos annos aut ad expediendum negotium quoddam determinatum eſt initum; temporis lapſus aut negotii finis eſt expectandus.

Source : BIU Cujas

§. 271. Quo in casu recessus a societate eatenus tantum locum habet, quatenus in genere a pactis validis aliis recedere licet.

§. 272. Atque etiam, si societas non potest continuari, nisi de nouo conferatur. (§. 191. 192.)

§. 273. Membrum, implemento officiorum se pertinaciter subducens, iam ante tempus elapsum aut negotium finitum excludi a societate potest.

§. 274. Maius adhuc ius est societati, excludendi socium, qui perfide et dolose erga societatem egit, delicto commisso est punitus, aut prodigus iudicialiter declaratus.

§. 275. Si membrum remouendum exclusioni ex eiusmodi fundamento ipsi nuntiatae contradicit: hoc quidem legitime est audiendum;

§. 276. At vero, si deinde exclusio declaratur legitima: eius effectus extenduntur vsque ad diem denuntiationis factae.

§. 277. Si tempus determinatum est elapsum, aut negotium, vnicum societatis obiectum constituens, finitum, aut interdicta eius continuatio; societas eo ipso dirimitur.

De morte vnius socii.

§. 278. In societatibus, quarum obiectum et finis non in gerendo communi quodam negotio aut quaestu consistit, morte vnius socii, qua rationes societatis, nihil mutatur.

§. 279. Quin potius heredes, et intuitu iuris societatem relinquendi, et obligationis societatis continuandae, in locum defuncti vnice succedunt.

§. 280. Idem obtinet, si finis quidem societatis commune fuit negotium aut quaestus communis, sed socius defunctus ad negotium gerendum faciendo non concurrit.

§. 281. At simulac moritur membrum, quod ad gerendum commune negotium concurrere simul faciendo debebat; et defuncti heredibus et sociis reli-

Source : BIU Cujas

quis a pacto recedere licet, nisi de alio expresse in pacto fuerit conuentum.

§. 282. At contra, si in pacto expresse est constitutum, societatem ab heredibus esse continuandam; et hi et socii reliqui pacto obligantur.

§. 283. Deficiente quoque pacto socii defuncti dispositio in se legitima heredes ad societatem continuandam obligat; in quantum socii reliqui continuationem postulant.

§. 284. At eiusmodi tamen vltimae voluntatis dispositio non est obligatoria respectu eius, ad quem ex defuncti hereditate nihil praeter legitimam transit.

§. 285. At contra, heredem, vel in legitima tantum institutum, agnoscere oportet societatis continuandae obligationem erga socios reliquos, ex pacto oriundam.

§. 286. Quod ad ipsius coheredes attinet, postulare potest, vt ipsi assignetur legitima ex reliqua hereditatis parte, ad societatem non pertinente, quatenus ea sufficit.

§. 287. Si heredi in legitima instituto satisfieri eo modo potest; hic eo ipso societatem relinquit, neque lucri et damni vlterioris est particeps.

§. 288. Qui tamen si a nexu etiam obligationis, qua societatis creditoribus tenetur, liberari debeat; omnia sunt obseruanda, quae in eum casum sunt praescripta, si sociorum vnus societatem adhuc subsistentem relinquit. (§. 300.)

§. 289. Conuentio, qua quis ad continuandam societatem in perpetuum, aut in tempus plane indeterminatum se obligat, neque contrahentem obligat, neque eius heredes.

§. 290. Si societatem relinquit membrum, ex cuius in rebus gerendis diligentia, et peritia negotia societatis aut eorum pars certa hactenus inprimis dependerunt, membro cuique ius competit, societatem relinquendi.

Source : BIU Cujas

Quid obseruandum sit, si membra singula a societate recedunt, intuitu membrorum reliquorum.

§. 291. Membrum, quod vult iure suo a societate recedendi vti, id suum consilium reliquis declarare tempore iusto oportet.

§. 292. Societas tantum sub anni fine, aut eo temporis momento potest relinqui, quo commodorum et onerum, lucri et damni ratio conferri optime potest. (§. 83. 84.)

§. 293. Declaratio propositi a societate recedendi fieri debet tempore iusto, vt socii reliqui, de satisfaciendo societatem relinquenti, et continuandis inter se negotiis, curare necessaria possint.

§. 294. Intuitu negotiorum, eo tempore, quo quis a societate se esse recessurum declarat, iam inchoatorum, a societate recedens, vsque dum ea plane sunt ad finem perducta, habetur socius, licet a societate iam recesserit.

§. 295. Quatenus autem, vsque dum negotia plane ad finem sunt perducta, satisfactio recedenti praestanda differri debeat, aut hic eam possit petere, cautione praestita suae partis damni, quod possit forsan accidere; id quidem, lite exorta, a iudice pro rebus circumstantibus et rei peritorum arbitrio est definiendum.

§. 296. Societatem relinquens neque lucri est particeps neque damni intuitu negotiorum, prius quidem, quam ipse a societate re vera recessit, at post demum, quam se societatem esse relicturum declarauit, ipso inuito susceptorum.

§. 297. At euitandas, quantum fieri potest, lites futuras sociis praescribitur, vt statim, declarato recedendi proposito, cum societatem relicturo de principiis separationis futurae conueniant.

§. 298. In primis hac occasione determinandum est, quae ista sint negotia, quae societatem relinquens participare adhuc debeat.

§. 299.

Source : BIU Cujas

§. 299. Si socii (quorum interest) de iis conuenire nequeunt: negotia, quae quidem decreta, sed nondum inchoata sunt, nihilominus habentur communia; simulac solo decreto iura et obligationes totius societatis iam ortae sunt.

§. 300. Excessu socii ex societate non mutatur eius obligatio erga societatis creditores. Intuitu societatis creditorum.

§. 301. His igitur iam postea, vt ante, obligatus est ex pactis validis in solidum, vti ex obligationibus legalibus (§. 236.) pro rata sua, ex proportione partis, quam in societate habuit.

§. 302. Quatenus socius ex societate excedens reliquis fontem relinquit necessarium, ad extinguendam suam debitorum communium partem, eatenus postulare potest, vt tempore determinando doceant, satisfactionem societatis creditorum fuisse subsecutam, aut effectam liberationem suam ab eorum petitionibus (praetensionibus).

§. 303. Atque hic locum inueniunt praecepta omnia, quae in casu simili de separatione coheredum data sunt. (§. 147. seqq.)

§. 304. Si societas prorsus dissolui debeat, expedienda ante sunt, nisi de alio fuerit pacto conuentum, negotia iam inchoata cum lucro communi et damno. De dissolutione societatis plenaria.

§. 305. Quare in regula quoque sociorum nemo potest repetere, quae in sortem communem contulit, antequam negotia sunt ad finem perducta.

§. 306. In separatione ipsa, deficientibus determinationibus in pacto constitutis, locum habent sectionis primae praecepta generalia.

§. 307. Neque societatis dissolutione quidquam mutatur in eorum, qui socii fuerunt, obligationibus erga societatis creditores.

§. 308. At vero, si societatis creditor, cui societatis dissolutio expresse indicata est, ex pacto cum societate inito eorum, qui socii fuerunt, vnum in soli-

Source : BIU Cujas

dum velit conuenire; contra hunc intra annum poſt factam denuntiationem eum oportet agere.

§. 309. Si nominis dies demum venit ſocietate diſſoluta, anni terminus a die conſtituto putandus.

§. 310. Creditori, qui hunc terminum praeterlabi ſinit, membrum quodque, vel ex eiusmodi pacto, tantum obligatur proportione ratae, quam in ſocietate habuit.

Sectio Quarta.

De communionum ſeparationibus. (*Gemeinheitstheilungen.*)

Principia generalia.

§. 311. Fundorum vſus, quem plures pagi incolae, aut vicinorum praediorum poſſeſſores hactenus vllo modo communiter fecerunt, quantum fieri poteſt (§. 337.) tolli debet, ad promouendam agrorum culturam.

§. 312. Neque vllum inde diſcrimen, vtrum fundi, quibus eo modo communiter ſunt vſi, ſint in totius communitatis, an in ſingulorum dominio.

§. 313. In caſibus tamen omnibus eiusmodi ſeparatio eatenus tantum habet locum, quatenus inde agrorum cultura in vniuerſum promouetur et emendatur.

Vbi locum habeat prouocatio ad communionem ſeparandam.

§. 314. Omnis igitur ad eam prouocatio fundetur neceſſe eſt in agriculturae peritorum arbitrio: ſeparationem non ſolum in ſe fieri poſſe, ſed etiam vniuerſitati eſſe vtilem.

§. 315. Eiusmodi arbitrium ad fundandam prouocationem ſufficit, ſi fieri debeat ſeparatio inter praedii dominum et pagi incolas.

§. 316. At vero, ſi vnum tantum membrum vniuerſitatis (communitatis) ad ſeparationem a reliquis membris prouocat; ad ea, quae petit, fundanda demonſtrare debet, ſeparationem in omnium, quorum intereſt, vtilitatem poſſe fieri, et qua ratione poſſit.

Qui ad ſeparationem prouocare poſſint.

§. 317. In regula dominus tantum ad ſeparationem poteſt prouocare.

Source : BIU Cujas

§. 318. At vero ii quoque poſſeſſores, quibus vtendi ius perpetuum atque irreuocabile competit, ad ſeparationem iure prouocare poſſunt.

§. 319. Neque minus poſſeſſoribus praediorum ſub colendi lege conceſſorum (Tit. XXI. Sect. IV.) hoc ius competit.

§. 320. At in vtroque tamen caſu (§. 318. 319.) fundorum domini in ſeparatione ipſa neceſſario ſunt adhibendi.

§. 321. Mere vſufructuarii, conductores temporarii, et alii, qui tantum poſſident vi iuris vtendi, qua tempus et modum limitati, ſeparationem non poſſunt petere, niſi conſentiat expreſſe dominus.

§. 322. At contra, dominis quidem licet, vel ſine eiusmodi poſſeſſorum conſenſu ad ſeparationem prouocare; hi tamen poſtulare poſſunt, vt eo vſque differatur ſeparatio, donec ceſſat eorum ius vtendi.

§. 323. Fundi emphyteutici dominus vtilis ad ſeparationem quidem poteſt prouocare; ſed adhibendus eſt ab hoc dominus directus.

§. 324. Quod ad feuda attinet, dominus directus tum demum eſt adhibendus, ſi aperturae feudi praeter ſucceſſores feudales duos nihil obſtat.

§. 325. Quo caſu excepto iam ſufficit, ſi dominus feudi directus, aut illius curia feudalis tantum, de ſeparatione inſtanti certior redditur.

§. 326. Si vaſallo ſunt deſcendentes feudi capaces, agnati aut ſimultanee inueſtiti alii non ſunt adhibendi.

§. 327. Deficientibus eiusmodi deſcendentibus ſucceſſor feudalis proximus eſt adhibendus.

§. 328. Si vero ſucceſſor feudalis ſedem fixam extra prouincias regias habens in his bona non poſſidet; adhibendus eſt poſt eum proximus, in prouinciis regiis degens.

§. 329. Si plures exiſtunt ſucceſſores feudales eiusdem gradus, adhibendi ſunt omnes.

Source : BIU Cujas

§. 330. At poſſeſſor tamen non obligatur, vt horum adhibeat eos, qui in prouinciis regiis neque habitant, neque bona poſſident.

§. 331. Mere exſpectatiuos adhibere, nullo in caſu neceſſe eſt.

§. 332. Qui fundum ſub obligatione tantum retrouendendi poſſidet, adhibere debet eum, cui ius reemtionis competit.

§. 333. Iis, quorum intereſt, in antecedentibus (§. 323-332.) laudatis, in regula iudicialiter denuntianda eſt ſeparatio inſtans, vt obſeruare iura ſua poſſint.

§. 334. At vero citatione iudiciali non opus eſt, ſi poſſeſſor docere ſatis poteſt, denuntiationem priuatam, rite factam, ad eorum notitiam peruenisse.

§. 335. Si hi, quorum intereſt, in ſeparatione comparuerunt; legitime ſunt audiendi, quatenus eorum exceptiones, vti perhibent, nituntur ſubſtantiae deminutione, aut eiusdem pretii deminutione perpetua.

§. 336. Qui vero ſi non comparuerunt, poſtea contra ſe agnoſcere debent omnia, quae cum poſſeſſore praeſente acta ſunt.

§. 537. At vero conſenſus eorum expreſſus eſt neceſſarius, ſi res tota aut etiam eius pars cum alia re diuerſi generis permutari debeat.

Principia ſeparationis.

§. 338. In ſeparatione omni eſt attendendum, ne pars vlla laedatur, ne vllius fructus et emolumenta deminuantur, aut vlla pars impediatur, quo minus fundis ſuis libere vtatur.

§. 339. In quibus tamen rebus diiudicandis non tantum reſpiciendum eſt ad partes et inſcriptiones (*Rubriken*) ſingulas, ſed ad ambitum totum oeconomiae cuiusque, cuius intereſt, qualis huius oeconomiae ante ſeparationem et poſt eam eſt ratio.

§. 340. In determinando pretio fundorum ſeparandorum non ſolum ſoli qualitas, ſed etiam ſitus et culturae ratio conſideratur.

Source : BIU Cujas

§. 341. Quorum intereſt, eorum nemo tenetur, ad accipiendas ſatisfactiones pecuniarias, quae ipſi obtruduntur.

§. 342. Non niſi in eo caſu ſolo fundum male cultum ſuſcipientem oportet accipere ſatisfactionem pecuniariam, ſi haec ita eſt comparata, vt ea culturae defectibus mederi in totum poſſit.

§. 343. At contra, deminutio qualitatis additamento quantitatis poteſt compenſari.

§. 344. At vero, et hic ratio habenda eſt diſcriminis ſumtuum ad agrum colendum neceſſariorum, diſtantiae, aliorumque commodorum et incommodorum ſitus, et eorum aequa praeſtanda compenſatio.

§. 345. Atque etiam permutationi fundorum vnius generis cum fundis generis alius eos, quorum intereſt, aſſentiri oportet ad promouendam et faciliorem reddendam ſeparationem.

§. 346. At nemo tamen eorum, quorum intereſt, obligatur, vt aſſentiat permutationi illi, qua ipſius huc vſque ſolitus oeconomiae exercendae modus prorſus foret mutandus.

§. 347. Si pagi incolae et praedii dominus ſeparantur, parti cuique fundi continui ſunt aſſignandi.

§. 348. Nullum vniuerſitatum membrum aſſenſum praebere obligatur ſeparationi, quae ipſum facultate priuaret, fundos ipſi aſſignatos more oeconomis ſolito colendi iugis atque famulitio, quibus hactenus fuit vſus.

§. 349. Fundi eccleſiaſtici, parochiales et aeditui aſſignandi ſunt, quantum fieri poteſt, in diſtrictu ſubditorum, aut, ſi in emphyteuſin dati ſunt, in loco emphyteutis quam maxime conueniente.

§. 350. Eiusmodi ſeparationibus ii, quorum intereſt, laedere non poſſunt iura, quae tertius in re ſeparata legitime acquiſiuit. Antolli poſſint ſeruitutes fundis ſeparatis inhaerentes.

§. 351. At vero, ſi melioris culturae finis nequit effici ſeruata non mutata ſeruitute, tertio in fundo

Source : BIU Cujas

competente; tertium oportet assentire eius limitationi aut sublationi, si praestetur indemnitas idonea.

§. 352. Principia hic obseruanda in titulo XXII. propius sunt determinata.

§. 353. In separando quoque attendendum est ad exaequandas inter separantes ipsos seruitutes mutuas, quatenus liberum rei vsum impediunt.

§. 354. Si de earum conseruatione singulare nihil est constitutum; separatione facta sublatae habentur eae seruitutes, quae cum fine separationis consistere non possunt.

§. 355. Vsus seruitutum conseruandarum eo modo determinetur necesse est, ne separationis finem reddat irritum.

De tributis et oneribus, rei separatae inhaerentibus.

§. 356. Caeterum separatione fundorum, quorum vsus fuit communis, onera publica et communia, et praetensiones priuatae aliae non mutantur.

§. 357. Quin potius, si separandi occasione fundi singuli ad praedium oneratum pertinentes cum aliis sunt permutati, hi, respectu quoque tributorum et onerum, in locum illorum succedunt.

§. 358. Fundorum meliorationibus, eiusmodi separationibus effectis, neque tributa noua a republica debent imponi, neque ob eas tributa iam ante imposita vllo modo augeri.

§. 359. Separationem instituentibus licet, secundum principia antecedentia vel extraiudicialiter et amice separari.

§. 360. Iudicialis communionum separationis modus in ordinatione processus est definitus.

§. 361. In separatione communionum et vtendi iurium communium specierum aliarum praecepta valent sectionis primae.

Source : BIU Cujas

Sectio Quinta.

De finibus regundis.

§. 362. In communionum separationibus non minus, quam in aliis casibus, vbi fines necessario sunt constituendi, fines accurate et perspicue sunt designandi. Quo modo fines regundi.

§. 363. Quae finium designatio, siue sulcis, siue fossis, siue lapidibus, siue palis, siue arboribus, siue collibus terminalibus definiatur, ita constituta sit necesse est, ne fines facile possint moueri aut obscurari.

§. 364. Iam sufficit, si fossarum aut sulcorum, finibus constituendis seruientium, latitudo intra possessiones singulas sit vnius pedis, at inter diuersos agros confines pedum quatuor.

§. 365. At maior tamen, quae huc vsque fuit, latitudo eo modo limitari non potest in detrimentum eorum, quibus ius ea vtendi competit.

§. 366. Medium fossae aut sulci, fines constituentis, pro finium linea proprie est habenda.

§. 367. Pali, arbores et lapides terminales designandi sunt signis, supra solum incisis, aut aliis signis suppositis, putredini non facile obnoxiis.

§. 368. Collis, quem terminalem dicunt, tum demum est terminalis, si sub eo eiusmodi signa inueniuntur; aut si ex aliis causis annexis clare potest colligi, eum esse ad fines designandos destinatum.

§. 369. Viae, semitae, et riuuli, situm facile mutantes, ad fines constituendos in regula non sunt assumendi.

§. 370. Vbi fines non sulcis aut fossis, sed lapidibus, palis aut collibus constituuntur, haec signa ita sunt ponenda, vt finium ductus linea recta a signo ad signum ducta determinetur.

Source : BIU Cujas

§. 371. Regulae antecedentes obſeruandae ſunt et in reſtituendis finibus veteribus litigioſis, et in renouandis finibus non litigioſis.

Quomodo fines litigioſi cognoſcuntur.

§. 372. Ad reſtitutionem finium obſcuratorum ſ. confuſorum et incertorum poſſeſſor confinis quisque iure poteſt prouocare.

§. 373. Quod ius nulla praeſcriptione poteſt extingui.

§. 374. At omnino locum habere poteſt praeſcriptio, ſi finium ductus ipſe non eſt litigioſus, ſed confinis vltra eum aliquid ex ſolo alterius legitima ex praeſcriptione poſſeſſione acquiſiuiſſe affirmat. (Tit. IX. §. 660-662.)

§. 375. Fines habentur obſcurati ſ. confuſi, ſi nulla amplius extant eorum ſigna idonea, ab vtraque parte agnita.

§. 376. Hinc finium obſcuratio nondum ex eo ſequitur, quod vicinorum confinium vnus aut alter fundi quantitatem, in antiquioribus cataſtris et ichnographiis expreſſam, ſe adhuc poſſidere negat.

§. 377. In reſtituendis finibus confuſis in primis reſpiciendum eſt ad documenta, et ex eorum ſententia diiudicandum, an ſigna, quae ab vna parte aut alia dicuntur terminalia, pro iis ſint habenda.

§. 378. At vero, ad illuſtrandam aut ſupplendam documentorum ſententiam, et ſi plane deficiant documenta aut ſigna terminalia, in documentis expreſſa, ratio quoque habenda eſt depoſitionis teſtium, fide dignorum.

§. 379. Si fines veteres certi cognoſci plane nequeunt; ager litigioſus inter confines eſt diuidendus.

§. 380. In qua diuiſione inprimis reſpiciendum eſt ad rationem ſtatus poſſeſſionis praeſentis partium.

Source : BIU Cujas

§. 381. Et si neque eiusmodi possessio quieta adest; fines constituendi sunt linea recta, ducta ab vltimo signo terminali vsque ad signum proximum non litigiosum.

§. 382. At vero, si cognoscitur, in signo vltimo terminali non litigioso fines a linea recta declinasse, et si punctum tantum ipsum, ad quod haec declinatio fuit extensa, certo determinari legaliter non potest; pars agri litigiosa inter confines vtrosque aequaliter diuiditur.

§. 383. Ad praecauendam finium confusionem, possessor quisque confines suos iure prouocare potest ad eos renouandos. De renouandis finibus.

§. 384. Sumtus huius finium renouationis ab omnibus confinibus sunt ferendi, proportione longitudinis ratae in linea terminali.

§. 385. In renouandis finibus adhibendi sunt vicini omnes, quorum fundos tangit linea terminalis, nouiter constituenda.

§. 386. Confinibus non adhibitis eiusmodi finium renouatio opponi neque postea potest.

§. 387. In finibus tantum regundis (s. in finium dislimitationibus) adhibendi sunt necessario, quorum secundum §. 323-332. interest; at non in meris finium non confusorum renouationibus.

§. 388. At contra, et finium veterum renouatio, et nouorum constitutio semper instituatur adhibita persona iudiciali, et de ea conficiatur protocollum in iudicio custodiendum.

Source : BIU Cujas

TITVLVS DECIMVS OCTAVVS.

De dominio diuiſo.

§. 1. Si dominium eſt diuiſum (Tit. VIII. §. 16-20.) dominus directus vocatur is, cui condominium tantum proprietatis competit, ſed pars nulla in vtendi iure, in dominio contento.

§. 2. De rei proprietate (§. 10. ibid.) dominus tantum directus et vtilis communiter adeoque neuter, altero non adhibito neque conſentiente, valide poteſt diſponere.

§. 3. Domini directi ius compoſſeſſionis ad dominium pertinens tamdiu quieſcit, quamdiu dominus vtilis iure ſuo in re non eſt priuatus.

§. 4. Ius vtendi (vtilitates percipiendi) ad dominium pertinens (§. 11. 12. ibid.) eſt in proprio domini vtilis dominio, caeteris excluſis.

§. 5. Hinc dominus vtilis de rei vſu eatenus valide poteſt diſponere, quatenus inde iura, quae domino directo competunt, non laeduntur.

§. 6. Qui gaudet dominio vtili, ei competit ius, ex re percipiendi commoda omnia, quae poſſunt ex ea percipi ſubſtantia ſalua et integra.

§. 7. Atque etiam fructus et emolumenta extraordinarii, ad alium neminem niſi ad rei dominum pertinentes, domino vtili cedunt. (Tit. IX. §. 81. ſqq.)

Source : BIU Cujas

§. 8. Domino vtili ius non eſt, rem totam ſic commutandi, vt eadem eſſe deſinat.

§. 9. Attamen ius ei competit, partes ſingulas, aut corpora, in vniuerſitate rerum contenta, eatenus mutandi, quatenus hoc poteſt fieri, toto non deminuto, neque praecipuo eius fine commutato.

§. 10. Vel partem rei deminuendi ius domino vtili competit, ſi ſine eiusmodi deminutione ex hac rei parte nullum prorſus commodum percipi poſſet.

§. 11. At contra dominus vtilis ferre quoque debet onera rei ordinaria et extraordinaria omnia, domino directo nihil conferente.

§. 12. Conditiones variae, ſub quibus dominium directum ab vtili eſt ſeparatum, varias determinant ſpecies dominii diuiſi.

Sectio Prima.

De feudo.

§. 13. Res, cuius dominium vtile quis poſſidet, ſub lege fidelitatis ſingularis, domino directo praeſtandae, in compenſationem defenſionis ab hoc petendae, vocatur feudum. I. Definitiones et principia.

§. 14. Dominus directus vocatur feudi dominus, et dominus vtilis vaſallus.

§. 15. Agnati vocantur generis maſculini collaterales, qui continua poſterorum maſculinorum legitimorum ſerie ab vno eodemque feudum primo acquirente, vti dominus vtilis ipſe, originem ducunt.

§. 16. Quibus vel ipſis, vel quorum maioribus lineae aſcendentis feudum vna cum vaſallo ſimul eſt collatum, vocantur ſimultanee inueſtiti, aut communi manu recepti.

§. 17. Agnati et ſimultanee inueſtiti participes ſunt dominii feudi vtilis, vaſallo competentis.

Source : BIU Cujas

§. 18. At eorum tamen ius eo vſque quieſcit, donec ſecundum ſucceſſionis feudalis ordinem ad veram feudi poſſeſſionem vocantur.

§. 19. Fidelitatis feudalis aut vaſalliticae eſt, vt vaſallus, quantum in ipſo eſt, commoda domini feudi promovere, damna autem et detrimenta ab eo auertere ſtudeat; atque etiam ſeruitia et obligationes alias, in contractu feudali ſuſceptas aut legibus feudalibus praeſcriptas, fideliter praeſtet.

§. 20. Si feudi dominus directus non ſimul eſt vaſalli dominus territorialis; fidelitas feudalis erga dominum directum ſemper ſubordinata eſt fidelitati ſubditi erga principem, vel in eo caſu, ſi vtraque ſimul conſiſtere nequeat.

§. 21. Domini directi feudalis officium in eo conſiſtit, vt eam defenſionem et clientelam praeſtet vaſallo, ſine qua vaſallus feudum neque rite poteſt poſſidere, neque eo vti.

§. 22. Hinc dominus directus tenetur ad defendendum vaſallum, propter feudum aut partem ad feudum pertinentem conuentum.

II. Diſcrimen feudorum datorum et oblatorum.

§. 23. In interpretandis legibus et pactis, iura et officia mutua inter dominum directum et vaſallum determinantibus, id attendendum eſt, vtrum feudum vaſallo originarie a domino directo fuerit datum, an ab illo huic oblatum.

§. 24. In caſu priori, ſi determinationes ſint dubiae, pro domino directo, vti in caſu poſteriori pro vaſallo ſtat praeſumtio.

III. De rebus infeudandis.

§. 25. In feudum dari et offerri poteſt res omnis, cuius dominium directum ab vtili poteſt ſeparari, et horum quodque a perſonis diuerſis poſſideri.

§. 26. Hinc feudi qualitatem induere poſſunt non ſolum res immobiles et iura, ſed etiam res mobiles, quatenus de earum ſubſtantia aut pretio ſecuritas modo conſtanti praeſtatur.

Source : BIU Cujas

§. 27. Res mobiles, cum re immobili ſimul in feudum datae, habentur pro feudi pertinentiis.

§. 28. Hinc feudi pertinentiae eatenus tantum qualitatem feudalem habent, quatenus vaſallo expreſſe tanquam feudum ſunt conceſſae.

§. 29. Quin etiam, licet cui praedium cum pertinentiis omnibus (*mit allem Zubehör*) in feudum ſit conceſſum, iſtae tantum pertinentiae mobiles conſiderantur tanquam feudi pertinentiae, quae vel partem feudi conſtituunt, vel tempore inueſtiturae primae in feudo extiterunt, vel poſtea in earum locum ſucceſſerunt, vel inueſtitura poſteriori accedente ſpeciatim ſunt collatae.

§. 30. Si vaſallus poſt inueſtituram primam res mobiles feudo adiunxit, hae tamen pertinentiarum feudi qualitatem tunc tantum aſſequuntur, ſi a vaſallo expreſſe in feudum fuerunt oblatae, aut in feudi ſpecificatione tradita tanquam pertinentiae feudi conſignatae.

§. 31. Quatenus autem eiusmodi pertinentiae ad ſucceſſores feudales compenſatione facta vel ſine ea tranſire debeant, diiudicandum eſt ex principiis infra praeſcriptis. (§. 526.)

§. 32. Acceſſiones ſubſtantiae feudi, a natura extrinſecus effectae, per ſe feudi qualitatem induunt.

§. 33. Acceſſiones, factis hominis extrinſecus adiunctae, diiudicantur ex regulis de pertinentiis. (§. 28. ſeqq.)

§. 34. Quin et rei dominium iam diuiſum a poſſeſſore vlterius poteſt in feudum dari tertio.

§. 35. Atque id quidem valet et de dominio directo, et de vtili.

§. 36. Si vaſallus dominium vtile, aut ſi dominus directus dominium directum tertio in feudum conceſſit, haec conceſſio vocatur ſubinfeudatio.

§. 37. Si cui feudum cum omnibus feudis et vaſallis in feudum eſt datum; vaſallo ſimul conceſſum

BIBLIOTHÈQUE CUJAS PARIS

Source : BIU Cujas

eſt dominium directum ſubuaſallorum, a fundo dependentium.

§. 38. Idem obtinet, ſi praedium, cum quo feudorum aliorum dominium directum eſt coniunctum, ſub appellatione: cum omnibus honoribus, in feudum eſt conceſſum.

IV. De iis, qui feudum dare poſſunt.

§. 39. Quatenus alicui ius competit, de pleno rei dominio facultate propria aut conceſſa diſponendi; eatenus vtile rei dominium, reſeruato dominio directo, aliis poteſt in feudum concedere, aut dominium directum, reſeruato dominio vtili, in feudum alteri offerre.

§. 40. Quod ad res attinet, ad eum finem deſtinatas, vt ex pactis feudalibus generalibus prouincialibus, aut ſpecialibus, aut ex vſu conſueto curiae feudalis in feudum dentur, dominus directus dominium vtile, quod ad ipſum rediit, alteri in feudum dare obligatur.

§. 41. Quatenus feuda epiſcopalia et eccleſiaſtica alia, quae ſede vacante ſunt aperta, a capitulo rurſus in feudum dari poſſint, loco ſuo eſt definitum. (Part. II. Tit XI. Sect. XIII.)

§. 42. In infeudandis eiusmodi rebus neceſſe non eſt, obſeruare requiſita et ſolemnia in alienationibus aliis, in caſibus aut circumſtantiis certis, legibus praeſcripta.

§. 43. Vti ordinis ſuperioris perſona ordinis inferioris perſonae, ſic perſona ordinis inferioris perſonae ordinis ſuperioris feuda concedere aut offerre poteſt.

V. De perſonis feudi capacibus.

§. 44. Quatenus quis ad acquirendam rem certam definitam ſecundum leges in genere eſt capax; eatenus ei eiusmodi quoque res tanquam feudum nouum poteſt concedi.

§. 45. Determinationes reliquae omnes qualitatum noui conſtituendi vaſalli dependent ab arbitrio feudum dantis.

Source : BIU Cujas

§. 46. Quod ad feuda vetera ſeu iam conſtituta attinet, apertura feudorum exorta, habilitas ea acquirendi in primis diiudicanda eſt ex ſententia pacti feudalis originarii et literarum inueſtiturae.

§. 47. Quatenus in his ſingulare quid non eſt definitum, habilitas ad acquirendum feudum apertum dependet ex facultate praeſtandorum ſeruitiorum cum feudo coniunctorum.

§. 48. Si res infeudari ſolitae (ad infeudandum deſtinatae) de nouo in feudum debent concedi; eas acquirendi habilitas, ex iisdem determinanda eſt principiis, ex quibus vaſallorum antecedentium habilitas fuit diiudicanda.

§. 49. Perſonis moralibus, quibus feuda ſunt conceſſa, in regula ad praeſtanda ſeruitia feudalia prouaſallum conſtituendi ius eſt et obligatio.

§. 50. Excepto caſu, ſi ex tenore pacti aut literarum inueſtiturae, aut ex natura officiorum in iis pactorum apparet, haec eſſe praeſtanda a perſonis phyſicis, quae perſonam moralem conſtituunt, omnibus.

§. 51. Eadem locum habet exceptio, ſi apparet, feudum a ſeruitiis omnibus eſſe immune, et renouationem inueſtiturae feudalis ex conſuetudine petendam tantum fuiſſe mutato domino feudi directo.

§. 52. Prouaſalli habilitas ex iisdem principiis, quibus vaſalli, eſt diiudicanda.

§. 53. Pro vaſallis aliis, qui ad tempus tantum aut caſu tantum certo exiſtente, ad praeſtanda officia feudalia ipſi non ſunt capaces, mandatarius eſt admittendus.

§. 54. Eiusmodi mandatarii habilitas diiudicanda tantum eſt regulis generalibus de mandatis, niſi pacta, leges, aut conſuetudines curiae feudalis ſingulares aliud definiant.

§. 55. Dominus directus in regula non obligatur, vt vaſallum ad feudi poſſeſſionem admittat, qui in-

Source : BIU Cujas

habilitate perpetua impeditur, quo minus ipſe officia feudalia praeſtet; et pro eo prouaſallum accipiat.

§. 56. At contra, agnati et ſimultanee inueſtiti excludere non poſſunt eiusmodi vaſallum, quem, licet ſit inhabilis, dominus directus admittere non recuſat.

§. 57. Si vaſalli inhabilitas demum exoritur poſt feudi poſſeſſionem iam acquiſitam; dominus directus in regula prouaſallum idoneum reiicere nequit.

§. 58. Si vaſalli plures ſimul idem feudum poſſident, vnus ex iis ad praeſtanda ſeruitia et officia nomine omnium eſt admittendus.

§. 59. At contra, prouaſallum extraneum dominus directus in hoc caſu admittere non obligatur.

§. 60. In quibus caſibus dominus directus prouaſallum admittere debet, in iis electio prouaſalli a vaſallo dependet.

§. 61. Prouaſallum electum dominus directus eatenus tantum reiicere poteſt, quatenus contra eius habilitatem ad praeſtanda ſeruitia et officia feudalia proferre poteſt exceptiones non leues.

§. 62. Si vero a domini directi voluntate dependet, prouaſallum conſtituere, ei ius competit eligendi perſonam, quae ipſi placet.

VI. Diuiſio et ſpecies feudorum.

§. 63. Feuda proprie ſic dicta vocantur ea, quibus inſunt qualitates feudi omnes, in iure communi feudali determinatae.

§. 64. Feuda iam conſtituta omnia praeſumuntur originarie fuiſſe conceſſa pro officio, domino directo militiae munera praeſtandi, a vaſallo ſuſcepto.

§. 65. Hinc feuda omnia in caſu dubio habenda ſunt maſculina.

§. 66. Feuda nobilia vocantur ea, de quibus praeſtare munera militiae equeſtria ex pacto originario vaſallus obligatur.

§. 67.

Source : BIU Cujas

§. 67. Hinc perſonae, nobili genere non natae, ad eiusmodi feuda nobilitati deſtinata in regula admitti non poſſunt.

§. 68. Qualitates ſingulares, aut feudi rationes, a iuris feudalis communis regulis deflectentes, modo legitimo ſunt definiendae et probandae.

§. 69. At vero, ſi feuda pleraque, a curia feudali quadam dependentia, a feudi ratione communi recedunt, praeſumtio valet, eodem modo feuda etiam reliqua eiusdem clientelae a feudi ratione communi recedere.

§. 70. Variae rerum ſpecies, in feudum datae, varias feudorum ſpecies et denominationes determinant.

§. 71. Quid ſub inueſtitura cum regalibus et ſpeciatim cum iurisdictione comprehendatur, in iure perſonarum eſt definitum. (Part. II. Tit. XVII. Sect. 1.)

§. 72. Sub feudo eccleſiaſtico ius patronatus eccleſiae intelligitur.

§. 73. Feudum in pecunia conſiſtens (*Geldlehn*) praeſupponit ſortem ſecure collocatam, cuius vſurae percipiendae (ius vtendi) vaſallo in feudum ſunt datae.

§. 74. Hinc pecuniae, ex feudo redactae, aut ad feudum acquirendum deſtinatae, pro feudo vero nondum ſunt habendae.

§. 75. Si creditori ius pignoris rei, in ſecuritatem nominis (praetenſionis) traditae, in feudum eſt conceſſum, feudum vocatur pignoraticium.

§. 76. Pactum, cuius fundamento hoc feudum pignoraticium eſt conſtitutum, eatenus tantum valet, quatenus non aduerſatur legibus, ad prauitatem vſurariam in pignoris negotiis praecauendam latis.

§. 77. Si feudum pignoraticium eſt amiſſum, aut alio modo ſublatum, inde nondum ſequitur iactura iuris pignoris ipſius et multo minus nominis.

Source : BIU Cujas

(praetenſionis) in cuius ſecuritatem pignus eſt conſtitutum.

§. 78. Nomine vero ſoluto non ſolum ius pignoris exſpirat, ſed feudum etiam pignoraticium.

VII. Originaria conſtitutio feudorum.

§. 79. Rei qualitas feudalis non praeſumitur, ſed probanda eſt titulo idoneo legitimo.

§. 80. Qui quidem titulus nititur vel pactis feudalibus, vel vltimae voluntatis diſpoſitionibus, vel praeſcriptione.

§. 81. Si feudum nouum pacto debeat conſtitui, in hoc determinatae ſint neceſſe eſt conditiones mutuae, ſub quibus feudum conferri debeat et poſſideri.

§. 82. Quae conditiones ne aduerſentur communibus legum praeſcriptis, et ne officiis obſtent, a nouo vaſallo domino territoriali praeſtandis.

§. 83. Pactum ſine obiecti diſcrimine ſub poena nullitatis ſemper ſcriptis eſt celebrandum.

§. 84. Si bona immobilia inter priuatos tanquam feuda noua debeant concedi; pactum in iudicio celebretur, et qualitas feudalis in librum hypothecarium referatur neceſſe eſt.

§. 85. Quod poſterius ſi fuerit omiſſum, ex rei qualitate feudali tertio, qui libro hypothecario fidem habuit, damnum oriri nequit.

§. 86. Subditi noſtri bona ſua, in terris noſtris ſita, et iura ſine principis conſenſu expreſſo exteris in feudum neque dare neque offerre poſſunt.

§. 87. In genere ad conſtituenda feuda nobilia noua, vti in fideicommiſſis, conſenſus principis expreſſus, ſub poena nullitatis, ab hoc tempore eſt neceſſarius.

§. 88. Pactum feudale inueſtitura perficitur.

§. 89. Quae quidem inueſtitura perficitur ab altera parte traditione rei in feudum conceſſae, et ab altera fidelitatis vaſalliticae promiſſione.

§. 90. Praeſtationes aut ſolennitates ſingulares, vti literarum reuerſalium feudalium datio, a vaſallo

Source : BIU Cujas

eatenus tantum peti poſſunt, quatenus eas pactum feudale, aut curiae feudalis conſuetudo rite fundata deſiderat.

§. 91. Literae reuerſales domini directi ſecuritati tantum inſeruiunt, vaſallum rem tanquam feudum eſſe poſſeſſurum, atque officiis feudalibus ſuſceptis ſatisfacturum.

§. 92. Simulac inueſtitura eſt abſoluta, vaſallus in omnia iura ſuccedit, et omnes fructus atque emolumenta cum feudo coniunctos.

§. 93. Res in feudum data, licet eius poſſeſſio naturalis vaſallo nondum ſit conceſſa, omnes ſimul qualitates accipit feudales.

§. 94. In genere inueſtitura producit traditionis iudicialis effectus omnes.

§. 95. Inueſtitura abſoluta vaſallo ius competit poſtulandi, vt literae dentur inueſtiturae, et vſque donec iſtae exhibeantur, poſtulandi recognitionem, rem eſſe in feudum datam.

§. 96. At vero in regula quoque ipſe vaſallus tenetur, ad redimendas inueſtiturae literas, neque ius ei competit, in recognitione ſola acquieſcendi.

§. 97. Quatenus literae inueſtiturae non ad pactum feudale ſcriptum, aut ſingularem deſignationem referuntur, eatenus in iis res omnes, ad feudum pertinentes, et quae pro iis praeſtari debeant, ſufficienter ſunt definiendae.

§. 98. In quibus etiam determinationes neceſſariae intuitu agnatorum aut ſimultanee inueſtitorum contineantur neceſſe eſt.

§. 99. Pactum feudale inueſtiturae literis mutari debuiſſe, non praeſumitur.

§. 100. Literae inueſtiturae plenam efficiunt probationem inter dominum directum et vaſallum, non vero contra tertium, qui ius ſuum ab eorum neutro deriuat.

Source : BIU Cujas

§. 101. Inueſtiturae literae primae eandem quoque probationem efficiunt pro agnatis et ſimultanee inueſtitis et contra eosdem.

VIII. De renouatione inueſtiturae feudalis.

§. 102. Eodem modo, quo prima feudi inueſtitura eſt abſoluta, eiusdem renouatio a vaſallo petenda eſt, quotiescunque mutatur aut domini aut vaſalli perſona.

§. 103. Quae mutatio ſi in eo tantum conſiſtit, vt ex dominis directis pluribus, qui adhuc in communione fuerunt, vni dominium directum ſit conceſſum, ſatisfactione ab ipſo reliquis praeſtita; in regula inueſtiturae feudalis renouatio nulla requiritur.

§. 104. Si vaſalli plures, qui in communione adhuc fuerunt, feudum intra temporis ſpatium, in §. 121. definitum, diuidunt; non eſt neceſſe, vt communiter inueſtituram renouent; ſed ſufficit, ſi is eam renouat, qui totum ſuſcepit.

§. 105. Qui vaſalli autem plures, ſi communionem vltra temporis ſpatium definitum continuant, inueſtiturae feudalis renouatio ab iis communiter petenda; quae etiam petenda eſt, facta diuiſione, ab eo, qui totum ſuſcepit.

§. 106. Inueſtitura feudalis in regula eſt renouanda, etiam ſi mutatur tantum perſona dominum directum aut vaſallum repraeſentantis.

§. 107. At quatenus perſonae morales ad renouationem feudorum, quae poſſident, elapſis certis annis petendam ſunt obſtrictae, eatenus renouatio non eſt neceſſaria, mutata tantum ſubuaſalli perſona.

§. 108. Quin potius hoc in caſu ſufficit, ſi ſubuaſallus nouus domino directo tantum ſit indicatus, et coram eo legitimatus.

§. 109. Facta in domini directi aut vaſalli perſona mutatione, agnatis aut ſimultanee inueſtitis in regula non eſt neceſſe, renouare inueſtituram feudalem.

Source : BIU Cujas

§. 110. Quod ad feuda non nobilia attinet, renouatio, ſi perſona domini directi eſt mutata, non eſt in regula, ſed tum tantum neceſſaria, ſi leges ſingulares, aut curiae feudalis conſuetudo vſitata eam exigunt.

§. 111. Inueſtitura feudalis et praeſtatio iuramenti feudalis, niſi leges curiae feudalis expreſſae obſtent, fieri quoque poteſt per procuratorem, ſpeciali mandato ad eum actum inſtructum.

§. 112. Perſonae, propter minorem aetatem ſub curatoribus conſtitutae, per curatores inueſtituram accipiunt.

§. 113. Qui curatores autem ipſi feudi capaces ſint neceſſe eſt, ſi ad hunc actum debeant adhiberi, aut alium mandato ad hunc actum inſtruere.

§. 114. Vaſalli, qui eius iam ſunt aetatis, quae ad praeſtandum iusiurandum fidelitatis ſecundum leges aut conſuetudines curiae feudalis requiritur, inueſtituram ſuſcipere ipſi poſſunt, licet adhuc ſint ſub patria poteſtate, aut cura.

§. 115. Vbi ex curiae feudalis obſeruantia vaſalli inueſtitura poteſt differri, vſque donec aetatem legitimam attigit, a curatore nihilominus feudum peti et actus praeſtandi iurisiurandi fidelitatis dilatio (indultum) quaeri debet.

§. 116. Petitio feudi conſiſtit in obligationis feudalis agnitione praeuia vera, et in promiſſione inueſtiturae ſolennis tempore ſuo quaerendae.

§. 117. Si familiae ius competit, prouaſallum communem conſtituendi; membra ſingula a neceſſitate feudi petendi et inueſtiturae quaerendae pro ſua perſona ſunt immunes.

§. 118. At vero, ius ſuum in feudum, mutatione quacunque, vel ipſi vel per prouaſallum curiae feudali indicent, neceſſe eſt.

Source : BIU Cujas

§. 119. Quod ni fecerint, ipſis metuendum eſt, vt in cauſis feudalibus communibus, quae contigerint, eorum habeatur ratio.

§. 120. Quae praecepta (§. 118. 119.) valent quoque de agnatis et ſimultanee inueſtitis, ab inueſtiturae renouandae neceſſitate immunibus. (§. 109.)

§. 121. Regulariter inueſtiturae renouatio petenda eſt intra annum et dies triginta a tempore, quo caſus accidit.

§. 122. Qui quidem terminus ab iſto die currere incipit, quo vaſallo innotuit feudi delatio, aut domini directi mutatio.

§. 123. Domini directi intra prouinciam mortui deceſſus vaſallo in notitiam veniſſe ſemper praeſumitur.

§. 124. At contra, ſi ſucceſſor feudalis non poteſt conuinci, notitiam deceſſus vaſalli prioris habuiſſe maturius, terminus currit a die poſſeſſionis feudi apprehenſae.

§. 125. Dies, quo accidit mutatio, computari nunquam poteſt.

§. 126. Contra eos, qui vi pacti ad feudi poſſeſſionem perueniunt, terminus currit a die pacti perfecti; contra eos, quorum ius ſuccedendi vltimae voluntatis diſpoſitione nititur, a die publicationis; in feudis plus licitando acquiſitis, a die publicatae ſententiae adiudicatoriae; in feudis ex gratia conceſſis, ab expeditionis die.

§. 127. Si quis ad feudum peruenit ex cauſa legitima, ad cuius validitatem domini directi conſenſus eſt neceſſarius; terminus demum currit a die conſenſus interpoſiti.

§. 128. Si ante terminum elapſum noua accidit mutatio, terminus a tempore mutationis vltimae de nouo computatur.

Source : BIU Cujas

§. 129. Intra terminum inueſtiturae praeſtitutum peti poteſt eius prorogatio, quam absque cauſis idoneis denegare non licet.

§. 130. Quod ad primam prorogationem attinet, impedimentorum ſingularium demonſtratio regulariter non eſt neceſſaria.

§. 131. Vaſallum autem, vlteriorem prorogationem petentem, legitimas cauſas ſeu impedimenta allegare et demonſtrare oportet.

§. 132. Quod ſi omittit, incidit in poenam legibus curiae feudalis ſancitam, licet conceſſa fuerit prorogatio.

§. 133. Si dominus directus termini prorogationem denegat; vaſallo licet prouocare, vt ipſo legitime audito de cauſarum ſuarum ſeu impedimentorum veritate et grauitate cognoſcatur.

§. 134. Si dominium directum feudale eſt litigioſum; ſufficit, ſi vaſallus inueſtituram a curia feudali, aut ea deficiente ab ea litigantium parte petit, quae tunc temporis eſt in iuris poſſeſſione.

§. 135. Si vaſallus ignorat, aut dubitat, pro quo militet poſſeſſio; inueſtitura petenda eſt a iudice competente, cuius eſt, de dominio directo feudali litigioſo decidere.

§. 136. Si feudum petenti de iure ſuo a domino directo lis mouetur; terminus quaerendae inueſtiturae currit a die, quo ſententia definitiua vires rei iudicatae eſt nacta.

§. 137. Si plures inter ſe de iure ſucceſſionis feudalis contendunt, petentium (praetendentium) quisque feuda intra terminum praeſtitutum debet petere; cui ſaluo et integro reliquorum iure exhibendae ſunt literae, petitionem factam teſtantes.

§. 138. Inueſtituram, legitime petitam, dominus directus ſine mora debet concedere.

§. 139. In expediendis nouis inueſtiturae literis domino directo non competit ius, contra literarum

Source : BIU Cujas

antiquiorum ſententiam (tenorem) pro arbitrio ſuo quidquam mutandi.

§. 140. Neque vaſallo conſentiente in pacto feudali originario et inueſtiturae literis mutari quidquam poteſt, in agnatorum et ſimultanee inueſtitorum detrimentum.

§. 141. Si inueſtiturae literae plures diuerſi tenoris extant; in caſu dubio recentiores valent, vel in vaſalli, qui eas accepit, eiusque heredum praeiudicium; quatenus non apparet, vaſallum eas tantum accepiſſe, ſaluo ſuo iure, atque id domino directo, aut in curia feudali expreſſe declaraſſe.

§. 142. At contra recentiorum inueſtiturae literarum ſententia, antiquiorum ſententiae aduerſans, in agnatorum et ſimultanee inueſtitorum praeiudicium eatenus tantum poteſt valere, quatenus poteſt probari, mutationem iſtam factam fuiſſe non ſine conſenſu ipſorum, aut anteceſſorum, quorum heredes ipſi ſunt facti.

IX. Ratio inter dominum directum et vaſallum.

1) De fidelitate feudali.

§. 143. Inueſtitura vaſallus in ſe ſuſcipit officium fidelitatis domino directo praeſtandae, et ſeruitia cum feudi poſſeſſione coniuncta, aut obligationes alias.

§. 144. Seruitiorum auxiliarium et honorariorum ſpecies ſingulares pacto feudali, aut curiae feudalis legibus et conſuetudinibus definiuntur.

§. 145. Pro quibus ſeruitiis regulariter neque indemnitatem neque praemium ſingulare iure petere poteſt vaſallus.

§. 146. Officiorum feudalium violatio aut denegatio voluntaria vocatur felonia.

§. 147. Vaſallus, qui dominum directum hoſtili animo offendit; cum eius hoſtibus in eius praeiudicium ſe coniungit, aut his alia ratione fert opem; dominum directum ipſum, aut eius coniugem, aut conſanguineos lineae aſcendentis et deſcendentis, aut primi vel ſecundi gradus lineae collateralis, in domo

Source : BIU Cujas

eius habitantes ignominia afficit; aut officiis, domino directo praestandis, dolose se conatur subtrahere, feloniae crimen classis primae committit.

§. 148. Sub hostilitate hic intelligitur factum quodlibet in personae, famae bonae, libertatis aut bonorum domini directi laesionem susceptum.

§. 149. Vasalli facta, quibus ciuis tantum et subditi exequitur officia, legibus praescripta, pro felonia nunquam habenda, licet domino directo sint detrimento.

§. 150. Qui debitum fidelitatis iusiurandum praestare pertinaciter renuit; seruitia domino praestanda denegat; aut, quantum in ipso est, non auertit periculum vitae, corporis, bonae famae, aut bonorum, domino directo imminens; aut feudum alienat domino inscio, celata qualitate feudali: feloniae criminis secundae classis est reus.

§. 151. Si vasallus petere moratur renouationem inuestiturae et obligationum aliarum, cum inuestitura et feudi possessione coniunctarum, crimen feloniae tertiae classis committit.

§. 152. Ad quam classem delicta secundae classis eatenus quoque referuntur, quatenus vasallus doli in iis non potest conuinci.

§. 153. Primae classis felonia regulariter feudi amissione punitur.

§. 154. Eadem poena, in regula quoque sequitur secundae classis feloniam, si vasallo dominium vtile originarie a domino directo est concessum.

§. 155. Si vero vasallus rei dominium directum originarie domino directo obtulit; felonia secundae classis, nisi pacta feudalia aut leges singulares aliud iubeant, multa tantum pecuniaria punitur.

§. 156. Quae quidem multa deficientibus determinationibus propioribus, feudi fructus (prouentus) trium annorum non debet excedere.

Source : BIU Cujas

§. 157. Classis tertiae feloniam semper tantum sequitur mulcta pecuniaria, aut alias, secundum curiae feudalis consuetudinem, poena minus grauis.

§. 158. Mulcta pecunaria summa, ob feloniam tertiae classis soluenda, nunquam excedat anni vnius reditus feudi.

§. 159. Feloniae poena pro remissa habenda, si dominus directus intra annum, postquam feloniae admissae notitiam est consecutus, vasallum feloniae non accusauit, aut tempore interiecto seruitia feudalia aut praestationes feudales alias a vasallo accepit.

§. 160. Contra domini directi vicarium aut curatorem felonia eatenus tantum potest committi, quatenus ista laeduntur iura, quae vicarius aut curator domini directi nomine iure potest exercere.

§. 161. Delicta prouasalli nequeunt imputari vasallo.

§. 162. At prouasallus ipse in casu §phi 147. 150. omnibus commodis excidit, quae tempore praesente et postero ex feudo poterat sperare.

§. 163. In casu §phi 151. 152. priuatur tantum vnius aut trium annorum praemio, pro officio ipsi concesso.

§. 164. Dominus directus, sine iure vasalli vitae insidias struens; aut potestate sua in detrimentum valetudinis, libertatis, aut bonae famae vasalli abutens; aut eum in feudi possessione atque vsu, quantum in ipso est, non defendens, pro sua persona dominio priuatur directo, et domini directi iuribus. (§. 640. sqq.)

§. 165. Domini directi vicarius aut curator, qui eo modo officia sua neglexit, pro delicti natura, ipse tantum luit poenam §. 162. 163. constitutam.

2) De iurisdictione feudali.

§. 166. Inuestitura vasallus in rebus omnibus non litigiosis, ad feudum, qua feudum, pertinentibus, domini directi et eius curiae feudalis iurisdictioni subiicitur.

Source : BIU Cujas

§. 167. Ad quam iurisdictionem feudalem conſtitutio et confirmatio tutoris feudalis quoque pertinet.

§. 168. Quatenus dominus directus in tutore conſtituendo et confirmando agnati proximi rationem habere debeat; et quae ſint eiusmodi tutoris vel curatoris feudalis officia; et quae ratio huic cum vaſalli tutore vel curatore ordinario intercedat: ſuo loco eſt expeditum. (Part. II. Tit. XVIII. Sect. IX.)

§. 169. In cauſis litigioſis domino directo eiusque curiae feudali iurisdictio eatenus tantum competit, quatenus ſimul eſt dominus territorialis; aut quatenus ei haec iurisdictio a domino territorii expreſſe aut tacite eſt conceſſa.

§. 170. Et in hoc quoque caſu ad iurisdictionem feudalem non pertinent, niſi cauſae inter dominum directum et vaſallum, agnatos aut ſimultanee inueſtitos, aut inter hos inuicem litigioſae, quae ad iura et obligationes ſpectant, ex qualitate feudali oriundas.

§. 171. Lis vero, quae agitur aduerſus extraneum, qui ad nexum feudalem non pertinet; aut quae ad fundi fructus et reditus tantum ſpectat; coram iudicio ordinario eſt dirimenda.

§. 172. Quod ſi igitur creditor ob debita feudalia contra feudi poſſeſſorem actionem inſtituit, curia feudalis cognitionem huius cauſae regulariter arrogare ſibi nequit.

§. 173. Quin potius dominus directus, qui iurisdictionem in cauſis feudalibus de perſonis extraneis, ad nexum feudalem non pertinentibus, ſibi competere aſſerit, probare debet, iurisdictionem iſtam ipſi fuiſſe conceſſam a territorii domino, aut acquiſitam praeſcriptione poſſeſſionis legitimae.

§. 174. Si liber hypothecarius de feudo in curia feudali aſſeruatur; huic iurisdictio competere praeſumitur in cauſis, ad debita feudalia pertinentibus omnibus, etiam ſi extranei litibus his ſint impliciti.

Source : BIU Cujas

§. 175. Iurisdictio feudalis in casibus litigiosis semper subordinata est superiori principis (domini territorialis) iurisdictioni.

§. 176. Neque vasallus renuntiare generaliter potest remediorum ordinariorum vsui literis feudi reuersalibus, quibus se obligat, vt curiam feudalem iudicem suum vnicum velit agnoscere, et in huius sententiis acquiescere.

§. 177. Praedia feudalia, quae iterum mutantur in praedia hereditaria libera, ad ordinariam praediorum aliorum eiusdem generis iurisdictionem redeunt.

3) De alienatione dominii directi.

§. 178. Domino feudi directo regulariter competit ius, de dominio suo directo disponendi, vel non adhibito vasallo.

§. 179. Si vero vasallus originarie dominium directum domino feudi directo obtulit; huic inuito dominus directus alius nequit obtrudi.

§. 180. Quo in casu, si dominus feudi directus dominium directum, non consentiente vasallo, alii cedit, actus respectu vasalli omni vi et efficacia destituitur.

§. 181. Si dominus feudi directus alienans vasallo sub praetextu eiusmodi cessionis dominii directi defensionem denegat; in vasalli fauorem oriuntur effectus omnes feloniae, a domino directo admissae. (§. 164.)

§. 182. In casibus omnibus vasallus dominum feudi directum inferioris ordinis, quam praesens fuit, inuitus agnoscere non tenetur.

§. 183. Vasalli officia et onera, mutatione in domini directi persona pro arbitrio suscepta, difficiliora reddi nequeunt.

§. 184. Hinc vasallo competit ius, securitatis cautionem petendi damni cuiusuis, ex domini directi mutatione metuendi.

§. 185. Domini directi est, mutationem circa dominium directum sex minimum hebdomadas, ante

Source : BIU Cujas

quam contingit, denuntiare vasallo, vt obseruet sua iura.

§. 186. Si dominium directum feudo tanquam ius reale inhaeret, illud cum fundo simul transit in quemque, fundum legitime acquirentem.

§. 187. Vasallo non competit ius, dominium vtile suum in feudo transferendi in extraneum, absque domini permissu. 4) De alienatione feudi.

§. 188. Alienatio, celata qualitate feudali facta, efficit feloniam secundae, alias vero tertiae classis.

§. 189. At vero, si eiusmodi alienatio, absque domini permissu facta, tanquam felonia puniri debeat; non solum alienationis pactum initum, sed feudum etiam acquirenti extraneo re vera traditum sit, necesse est.

§. 190. Si alienatio iam ante actionem, a domino directo institutam, est rescissa; aut si vasallus docere potest, se impedimentis, quae auertere aut superare non potuit, fuisse impeditum, quo minus domini directi consensum rite quaesierit, felonia ipsi crimini dari nequit.

§. 191. Quae intuitu feudi integri iuris sunt, eadem quoque valent intuitu singularum feudi portionum aut partium.

§. 192. Si vasallus singulas feudi portiones aut partes in emphyteusin, locationem conductionem perpetuam (hereditariam), aut alias sub lege colendi (s. in culturam) locat; id non habendum est pro alienatione, poena afficienda.

§. 193. Quatenus vero dominus directus, aut agnati, si feudum est apertum, eiusmodi vasalli facta agnoscere obligentur, ab eo pendet, an feudi substantia inde re vera fuerit deminuta, aut deterior reddita. (§. 9.)

§. 194. Si feudum agnato aut simultanee inuestito ceditur, consensus domini non est necessarius.

Source : BIU Cujas

§. 195. At ne tamen eiusmodi ceſſione iura domini feudi directi vllo in caſu laedantur.

§. 196. Vaſalli eſt eiusmodi ceſſionem domino directo indicare; quod ſi negligit, feloniam tertiae claſſis admittit.

§. 197. Ius feudum alienandi, vaſallo vi legum ſingularium feudalium, pacti feudalis, aut literarum inueſtiturae, aut domini directi conſenſus expreſſi competens, extendi non licet vltra verborum in his documentis adhibitorum ſenſum proprium literalem.

§. 198. At vero, ſi feudum domino directo originarie a vaſallo fuerit oblatum; in interpretanda alienationis reſeruatione, pacto feudali aut inueſtiturae literis adiecta, locum habent generales interpretandi regulae, vti in aliis voluntatis declarationibus.

§. 199. In caſu dubio, ſi feuda fuerint oblata, pactum feudale aut literae inueſtiturae, ratione etiam reſeruationis, de iure feudum alienandi adiectae, in vaſalli potius fauorem, quam domini directi ſunt interpretandae.

§. 200. Si dominus directus feudi alienandi veniam verbis generalibus et ſine limitatione conceſſit; ſemper ſimul ius de feudo mortis cauſa diſponendi ea quoque continetur.

§. 201. At contra, venia feudi alienandi legalis nondum complectitur ius, de feudo mortis cauſa diſponendi.

§. 202. Domini directi conſenſus, ſi vim obligandi habere debeat, expreſſe et in ſcriptis debet dari.

§. 203. At pacti tamen confirmatio, a domino directo, in hac qualitate, aut ab eius curia feudali conceſſa, ſimul complectitur conſenſum in alienationes in conuentione pactas.

§. 204. Domini directi ratihabitio poſtea accedens, ſcriptis declarata, eandem habet vim et efficaciam cum conſenſu ab initio interpoſito.

Source : BIU Cujas

§. 205. Domini directi conſenſus ad feudum alienandum nondum complectitur conſenſum ad contrahenda debita feudalia.

§. 206. In genere eiusmodi conſenſu dominus feudi directus neque iurium, feudo ipſi inhaerentium, neque officiorum inde praeſtandorum quidquam amittit.

§. 207. Alienando igitur regulariter feudum in eum poſſeſſorem debet transferri, qui ad exequenda officia, domino directo praeſtanda, eſt habilis.

§. 208. Conſenſu expreſſe in acquirentem denominatum dato, dominus directus eum exceptione inhabilitatis reiicere poſtea nequit.

§. 209. Quatenus domino directo pacto feudali aut legibus ſingularibus ius protimiſeos competit, eatenus conſenſus, ad alienandum in genere datus, nondum pro iuris huius renuntiatione eſt habendus.

§. 210. Vaſallus dominium vtile ſuum, vel ſine domini directi conſenſu, alii poteſt in feudum dare. §) De ſubinfeudationibus.

§. 211. At vero domino directo indicare debet ſubinfeudationem, ſimulac eſt facta; quod ſi omittit, feloniam tertiae claſſis committit.

§. 212. Si dominus directus in ſubinfeudationem non conſenſit; eo nulla in re mutatur ratio, quae huc vſque inter eum interceſſit et vaſallum immediatum.

§. 213. Hinc dominus directus non tenetur, ad accipienda ab eiusmodi ſubuaſallo, absque ſuo conſenſu conſtituto, ſeruitia feudalia, ipſi praeſtanda.

§. 214. Quin potius ſubuaſallus vaſallo tantummodo ſuperiori, tanquam domino ſuo directo immediato, ad ſeruitia et officia praeſtanda tenetur.

§. 215. At vero ſeruitia, ſubdomino directo praeſtanda, ex huius aſſignatione denegare non poteſt domino directo ſuperiori, qui iſta accipere non recuſat.

§. 216. Vaſallus primus, qui ſine domini directi ſuperioris conſenſu ſubinfeudationem conceſſit, de

Source : BIU Cujas

laesionibus, a subuasallo iuribus domini directi primi illatis, aeque respondere tenetur, ac de propriis suis.

§. 217. Hinc si subuasallus erga dominum directum superiorem admisit feloniam, quae huic ius tribuit, feudo illum priuandi, haec priuatio quoque in detrimentum vasalli superioris, eiusque heredum feudalium tamdiu locum habet, quamdiu subuasallus aut eius heredes feudales existunt.

§. 218. At vasallus tamen superior subuasalli delicta erga dominum directum superiorem commissa, dum tempus supereſt, potest emendare, eoque auertere feloniae effectus sibi noxios.

§. 219. Si vasallus superior felonia, erga dominum directum superiorem admissa, feudo priuatur, subuasallus quoque iure suo excidit.

§. 220. Idem locum habet, si feudum, alio quoque modo apertum, a vasallo superiori redit ad dominum superiorem.

§. 221. At contra, si dominus directus superior in subinfeudationem consensit; aut si feudum eius est generis, vt inde ab initio tanquam subfeudum fuerit conceſſum et possessum; ratio inter dominum directum superiorem et subuasallum determinatur in casu priori pacto, a vasallo superiori et subuasallo celebrato et a domino directo approbato, vti in casu posteriori inuestiturae literis, in prima subinfeudatione datis.

§. 222. In casu vtroque feloniae admissae poena semper eum tantum afficit, qui immediate eius reum se reddidit.

§. 223. Hinc si subuasallus felonia contra superiorem dominum admissa iure suo excidit; ius ad vasallum superiorem redit.

§. 224. At contra, si vasallus superior iuris sui priuationem commeruit, nullum inde subuasallo detrimentum potest oriri.

§. 225.

Source : BIU Cujas

§. 225. Quin potius et in hoc caſu, et in omni alio, vbi feudum domino directo ſuperiori aperitur, ſubuaſallus praeſens ab hoc poteſt petere inueſtituram immediatam, dum feudum non alii iterum conceſſit.

§. 226. Si vero feudum a domino directo ſuperiori iterum in feudum conceditur; ſubuaſallus praeſens agnoſcere debet vaſalli ſuperioris noui ſubdominium directum immediatum.

§. 227. Caeterum in caſu dubio praeſumitur, vaſallum ſuperiorem feudum vaſallo iterum conceſſiſſe iisdem conditionibus et limitationibus, quibus illud ipſe acquiſiuit.

§. 228. Vaſallus proprio auſu debitis aut aliis oneribus onerare omnino non poteſt feudi ſubſtantiam, neque eius fructus vltra poſſeſſionis ſuae tempus. 6) De debitis feudalibus, et oneribus feudo impoſitis.

§. 229. Ea tantum vaſalli debita, in domini directi praeiudicium, feudum aut eius fructus afficiunt, quae vel leges expreſſe debita feudalia declarant, vel in quae contrahenda dominus directus conſenſit.

§. 230. Quatenus feudum valide poſſit onerari debitis, vel ſine domini directi conſenſu contractis, ad augendam, meliorandam et reficiendam ſubſtantiam; ad feudum eiusque iura defendenda; ad ſatisfaciendum vaſalli vxori et filiabus; ad apparatus bellicos filiis exhibendos; ad ſepeliendum vaſallum, et veſtitum lugubrem familiae eius comparandum; ad ſoluendum reſiduum feudi canonem, reſiduas famulitii mercedes et alia onera, feudo impoſita; pro conſtitutionum et morum diuerſitate propiori legum prouincialium determinationi reſeruatur.

§. 231. Ex iisdem legibus quoque diiudicandum eſt, quatenus eiusmodi debitum ex feudo omnino ſoluendum ſit, aut tantum debitoris allodio haud ſufficiente.

Source : BIU Cujas

§. 232. Deficientibus determinationibus propioribus haec valet regula: debita feudalia, ad vasalli tantum personam et familiam pertinentia, aut ad extinguendas obligationes quasdam personales, vasallo ipsi incumbentes, contracta, in primis ex vasalli allodio aut hereditate, et ex feudo tantum, allodio non sufficiente, esse soluenda.

§. 233. Legibus prouincialibus reseruantur quoque determinationes propiores, quae debita, ad feudum omnino pertinentia, ex eius substantia, aut ex eius tantum fructibus atque emolumentis sint soluenda.

§. 234. Quae vbi aliud expresse non praecipiunt, generatim statuendum est, debita feudalia legalia ex feudi tantum fructibus et emolumentis esse soluenda.

§. 235. Ad contrahenda debita feudalia legibus approbata omnia dominus directus consensum expressum, si petatur, denegare nequit.

§. 236. At cogi tamen non potest, vt consentiat ad feudi substantiae oppignerationem pro iis debitis, quae ex definitionibus legalibus ferenda tantum sunt ex fructibus atque emolumentis.

§. 237. Excepto casu debitorum feudalium legalium dominus directus non obligatur, vt consensum suum interponat, ad feudum aere alieno aut aliis oneribus onerandum.

§. 238. At vero, si vasallus mutuum conflare cogitur, ad sumtus feudi meliorationis haud mediocris, a legibus praeceptae, aut a praediorum possessoribus petitae sustinendos; petere potest, vt contra dominum directum, consensum denegantem, legitime audiatur et de re cognoscatur.

§. 239. Quo tamen in casu feudi dominus directus cogi tantum potest, vt in oppignorationem fructuum ex feudo percipiendorum in certum tempus consentiat.

§. 240. Iudicem igitur pro rebus circumstantibus, meliorationis grauitate atque vtilitate, et ratione sum-

Source : BIU Cujas

tuum ad feudi fructus legaliter determinare oportet, in quantum, et ad quod tempus dominus feudi directus consentire debeat.

§. 241. Si vasallus principis iussu obligatur, vt in praedio feudali ea paret, quae non ad meliorandum feudum ipsum faciunt, sed ad conseruandam aut promouendam salutem publicam: dominus directus tenetur, ad consentiendum in mutuum, ad sumtus eum in finem sustinendos contrahendum.

§. 242. Pro eiusmodi mutuo feudi substantia est obligata.

§. 243. Si debitum domini directi consensu solo debiti feudalis qualitatem et naturam induit; hoc debitum, nisi aliud expresse fuerit declaratum, ex feudo tantum est soluendum, debitoris allodio haud sufficiente.

§. 244. In quo casu valet etiam praesumtio, dominum non in oppignorationem feudi substantiae, sed eius tantum fructuum et emolumentorum consensisse.

§. 245. Debita feudalia legalia, quae non nisi allodio deficiente ex feudo sunt extinguenda, naturam suam eo non mutant, quod domini directi consensus sit impetratus.

§. 246. Quin potius consensu isto id tantum efficitur, vt creditor, vti in aliis debitis consensu munitis, eo liberetur intuitu domini directi a probatione versionis in feudum factae.

§. 247. Si vero dominus feudi directus expresse consensit in debitum ad augendam, et meliorandam feudi substantiam contractum; creditor omnino ex feudo satisfactionem petere, neque ad allodium debitoris reiici vnquam potest.

§. 248. Quod attinet ad debita, ex feudi substantia secundum leges soluenda, neque creditor, neque debitor possunt cogi, vt domini directi consensum ac-

Source : BIU Cujas

cipiant (acceptent) limitatione expreſſa ad fructus tantum datum.

§. 249. Idem valet, ſi debito ad feudum omnino pertinente dominus directus conſenſum ſuum ad eum tantum caſum, ſi allodium non ſufficiat, velit adſtringere.

§. 250. Ad transferenda in creditorem nouum debita feudalia, ſemel valide contracta, nullo in caſu conſenſus domini directi exigitur.

§. 251. Domini directi conſenſum latius interpretari nunquam licet.

§. 252. Si creditor terminos ſoluendi certos, in conſenſu praefinitos, prorogat, aut debitori ſine ſingulari domini directi conſenſu indulget, ſuo periculo agit.

§. 253. At vero, ſi creditor ob terminos reſiduos tempeſtiue i. e. intra quatuor minimum hebdomadas poſt terminum elapſum actionem mouit, et executionem rite continuauit; creditori nullum inde damnum, licet ſolutio intra terminum in conſenſu determinatum impetrari non potuerit.

§. 254. Creditor, qui cum domini directi conſenſu, ad fructus tantum feudi et in certos tantum annos directo, mutuum dedit, nullis ſolutionis terminis certis ſibi pactis; neque ex fructibus in domini directi praeiudicium ſatisfactionem petere amplius poteſt, ſi intra hos annos debitum non fuerit extinctum aut exactum.

§. 255. Quin etiam, ſi conſenſus in feudi ſubſtantiam, at per certos tantum annos, eſt datus, domini directi obligatio extinguitur elapſo temporis huius ſpatio.

§. 256. Quo tamen in caſu (§. 255.) creditor ius ſuum contra dominum directum conſeruat integrum, ſi adhuc intra quatuor hebdomadas a ſpatio elapſo actionis libellum offert, et cauſam, vti executionem, rite continuat.

Source : BIU Cujas

§. 257. Confirmatio a domini directi iudicio ordinario de debito aut alio pacto data nondum complectitur domini directi conſenſum, niſi idem iudicium ſimul ſit curia feudalis, aut dominus directus confirmationem ipſe ſubſcripſerit.

§. 258. Proceſſus vaſalli, atque ſententiae in iis latae, aut transactiones celebratae, quatenus praeiudicio ſunt feudo aut domino directo, hunc non obligant, niſi ipſe fuerit adhibitus.

§. 259. Effectus tamen noxii omnes, ex eo oriundi, quod domini directi conſenſus non eſt datus, aut ipſe dominus non adhibitus, in praediis feudalibus tertium, qui cum poſſeſſore tractatus egit, tunc tantum afficiunt, ſi fundi qualitas feudalis in libro hypothecario eſt conſignata.

§. 260. At vero, ſi quis libri hypothecarii fidem, inſtrumentis in eo relatis aut allegatis rite examinatis, bona fide eſt ſecutus, in eius praeiudicium dominus directus iure ſuo non conſignato vti nequit.

X. Rationes agnatorum ad dominum directum et vaſallum.

§. 261. Iuribus agnatorum et ſimultanee inueſtitorum quoque reſtringitur vaſalli facultas de feudo diſponendi.

§. 262. Primus tantum acquirens, conſentiente domino directo, et inter viuos et mortis cauſa, libere poteſt diſponere.

§. 263. Quin etiam conſanguineis aut extraneis, communi manu ſuſceptis, ius contradicendi eatenus tantum competit, quatenus fundatur pacto feudali, a feudum conferente aut a primo acquirente cum ipſis celebrato.

§. 264. Qui ſi manu communi pacto oneroſo, pretio ſoluto, ſunt ſuſcepti; primus quoque acquirens, eorum intuitu, iisdem ſubiectus eſt limitationibus, quibus ſequens feudi poſſeſſor omnis.

§. 265. Idem obtinet, ſi feudum iam primo acquirenti expreſſe eſt conceſſum in qualitate feudi antiqui.

Source : BIU Cujas

1) De vasalli descendentibus.

§. 266. Vasalli descendentes, si patris heredes sunt facti, ea, quae pater disposuit, respectu quoque feudi debent praestare.

§. 267. Dispositiones, ad feudi tantum fructus et emolumenta spectantes, eiusmodi descendentes agnoscere omnino debent.

§. 268. At contra, eas dispositiones, quibus substantia feudi est deminuta aut laesa, reuocare quidem possunt; at eum tamen, qui cum patre et testatore contraxit, praestare debent indemnem.

§. 269. Quod si igitur pater feudum totum aut partem eius alienauit, filius quidem rem alienatam a possessore tertio potest reuocare;

§. 270. At tertio non solum pretium solutum debet refundere, sed etiam de reliquis impensis satisfacere secundum eadem principia, secundum quae dominus bonae fidei possessori satisfacit.

§. 271. A quibus obligationibus (§. 267-270.) antecedentibus filius, qui semel patris hereditatem adiit, liberare se nequit exceptione beneficii inuentarii conficiendi.

§. 272. At contra, hic filius in casu nullo obstrictus est poenis conuentionalibus, quas pater forte promisit persoluendas, si eiusmodi dispositiones reuocentur. (§. 268.)

§. 273. Filii, qui patris heredes non sunt facti, regulariter non tenentur ad agnoscenda contra se ea, quae pater in praeiudicium iurium eorum in feudo disposuit, deminuendo aut laedendo feudi substantiam.

§. 274. At vero hic filius quoque obligatur ad soluenda debita paterna, quae ad feudum non pertinent, quatenus patrimonium reliquum non sufficit, ex feudi reditibus; neque se ab ista obligatione potest liberare repudiando hereditatem allodialem.

§. 275. Quin potius ei tantum licet feudum et hereditatem allodialem simul repudiare.

Source : BIU Cujas

§. 276. Quo facto reditus feudales in creditorum vtilitatem (rationem) eo vsque sunt administrandi, donec his est satisfactum; aut donec posteri, nexus feudalis capaces, a debitore orti (descendentes) sunt extincti.

§. 277. Hinc feudum agnato, aut simultanee inuestito, aut ipsi domino directo in praeiudicium creditorum non potest cedi.

§. 278. Quin etiam filius a patre exheredatus, si ad feudi possessionem peruenit, ex reditibus, paternae debita debet soluere, quatenus patrimonium reliquum haud sufficit.

§. 279. At nepos aut descendens vlterior, auo immediate in feudo succedens, ad debita patris, cuius hereditatem repudiauit, ex feudo auito soluenda non tenetur.

§. 280. Testamenta aut vltimae voluntatis dispositiones aliae, quibus pater de feudo, in praeiudicium heredum feudalium aut vnius eorum, aliquid disponit, contra eos tantum valent, qui simul facti sunt hereditatis reliquae relictae heredes.

§. 281. Qui contra eiusmodi dispositiones neque exceptione beneficii inuentarii conficiendi tueri se possunt.

§. 282. Heredes feudales, qui vasalli, quod ad reliquum eius patrimonium attinet, heredes non sunt facti, eius voluntatis vltimae de feudo dispositiones non obligant.

§. 283. At patri tamen ex iisdem causis legitimis, ex quibus filio suo legitimam potest detrahere, ius competit, filium pro sua persona a feudi possessione et vsu excludendi, et ei assignandi alimenta sola, ex feudi reditibus praestanda.

§. 284. Quae competentia, si filius assignatione paterna nolit acquiescere, definienda est ad dimidium redituum portionis feudalis, quae alias ipsi cessisset.

Source : BIU Cujas

§. 285. In casibus omnibus pater valide potest constituere modum diuidendi inter filios ad cauendas inter eos lites.

§. 286. Hinc potest determinare, quis debeat ex filiis pluribus, ad feudi possessionem naturalem aequali iure vocatis, feudum ipsum accipere, suisque fratribus satisfacere.

§. 287. At determinatione pretiorum, quibus feudum sit accipiendum, aut summarum, quibus reliquis sit satisfaciendum, non potest restringere iura heredum feudalium, qui non simul facti sunt allodii heredes (successores).

2) De agnatis et simultanee inuestitis aliis.

§. 288. Agnati et simultanee inuestiti alii, qui feudi possessoris heredes non sunt facti, non tenentur ad agnoscendas dispositiones, ab illo, iis non adhibitis, de feudo constitutas.

a) Iura eorum in genere,

§. 289. Neque dominus directus consensu suo iura agnatorum et simultanee inuestitorum potest deminuere.

§. 290. At dispositiones tamen de fundis et iuribus, in libro hypothecario consignatae, ab iis tantum agnatis et simultanee inuestitis possunt impugnari, qui ius suum in feudum tempore, quo dispositio litigiosa in librum hypothecarium relata est, in libro hypothecario notandum iam curauerant.

§. 291. Hinc agnatis et simultanee inuestitis, quorum ius tempore, quo dispositio litigiosa de feudo in librum hypothecarium est relata, tertio, qui cum feudi possessore egit, inde notum esse non poterat, ius non competit, hoc iure in tertii praeiudicium vtendi, licet successio feudalis ad eos deinde deuoluatur.

§. 292. At iis tamen, ob deminutionem, iuribus ipsorum illatam, reseruatur regressus ad reliquum patrimonium feudi possessoris, qui noxiam dispositionem instituit.

Source : BIU Cujas

§. 293. Filiis ſub patria adhuc poteſtate conſtitutis, ad conſeruandum ius ſuum contra tertium, conſignatione (intabulatione) eius non opus eſt.

§. 294. Simulac vero patria poteſtas vno modo aut alio finitur, ius ſuum, ſi detrimentum in §pho 291. determinatum velint auertere, conſignandum curare debent.

§. 295. At ii quoque agnati et ſimultanee inueſtiti, qui ius ſuum contra tertium conſignando ſibi conſeruarunt integrum, feudi poſſeſſoris diſpoſitionem ſibi noxiam tum demum poſſunt impugnare, ſi ſucceſſio in feudum ad eos peruenit.

§. 296. At iis tamen licet, iam ante contra diſpoſitionem proteſtari, et eam proteſtationem inſinuandam curare tertio, quocum feudi poſſeſſor agit.

§. 297. Quo facto tertius dein, ſucceſſionis caſu incidente, contra agnatum aut ſimultanee inueſtitum proteſtantem, eiusque heredes feudales, vti nequit bonae fidei poſſeſſoris iuribus ab eo tempore, quo ſucceſſio ad eos peruenit.

§. 298. Atque etiam agnato aut ſimultanee inueſtito proteſtanti licet, ante delationem factam petere, vt a iudice cognoſcantur facta, in diſpoſitione, cui eſt contradictum, commiſſa, et praecipue ſtatus, quo feudum tempore alienationis fuit, ad praecauendam eius obſcurationem.

§. 299. Tum leges ordinationis proceſſus de probatione in perpetuam rei memoriam locum obtinent.

§. 300. Si feudi poſſeſſor extraneus ſubſtantiam eius reddit deteriorem; agnati, licet ſucceſſio nondum ad eos peruenerit, intuitu limitationum, quibus eſt obſtringendus, idem ius habent, quod iis contra feudi poſſeſſorem ipſum competeret. (§. 577.)

§. 301. Contra agnatum aut ſimultanee inueſtitum, qui ius ſuum intabulandum curauit, praeſcriptio iuris diſpoſitiones noxias, absque ſuo conſenſu

Source : BIU Cujas

de feudo inſtitutas, impugnandi, ab eo primum die currere incipit, quo feudum ipſi eſt apertum.

b) in ſpecie quoad alienationes,

§. 302. Si itaque feudi poſſeſſor feudum totum aut ex parte alienauit; agnatus aut ſimultanee inueſtitus non adhibitus alienatum poteſt repetere intra triginta annos a tempore ſucceſſionis ad ipſum delatae.

§. 303. Feudum aut feudi pars alienata gratuito reſtituenda; caeterum autem detentor praeſens excepto caſu §. 296. bonae fidei poſſeſſoris gaudet iuribus.

§. 304. Ius protimiſeos et retractus, quatenus illud in genere locum habet, quilibet agnatus aut ſimultanee inueſtitus, intra legitimum terminum pot eſt exercere, licet nondum ſit ſucceſſor feudalis proximus.

§. 305. In praediis feudalibus, a pluribus generationibus, quam vna, eiusdem familiae iam poſſeſſis, agnatis et ſimultanee inueſtitis ius protimiſeos et retractus competere praeſumitur.

§. 306. Quae de iure protimiſeos et retractus generatim et intuitu praediorum familiae ſpeciatim ſunt praecepta, in regula quoque valent de praediis feudalibus. (Tit. XX. Sect. III. Part. II. Tit. IV. Sect. IV.)

§. 307. Conſenſus in alienationem generatim, agnatorum etiam et ſimultanee inueſtitorum, nondum comprehendit renuntiationem iuris protimiſeos et retractus, at vero iuris reuocandi.

§. 308. Agnati et ſimultanee inueſtiti ſuo conſenſu in feudi poſſeſſoris de feudo diſpoſitiones de iure domini directi detrahere nihil poſſunt.

§. 309. At contra, hoc ſuo conſenſu obligant poſteros ſuos, quatenus tunc temporis vel prorſus nondum erant ſuſcepti, vel ſub patria poteſtate adhuc conſtituti; ſiue tempore poſtero patrum conſentientium heredes fuerint facti, ſiue non facti.

Source : BIU Cujas

§. 310. Conſenſu quorundum agnatorum aut ſimultanee inueſtitorum neque reliqui obligantur, neque vel ipſi conſentientium deſcendentes, eo tempore non amplius ſub patria poteſtate conſtituti, et poſtea conſentientium heredes non facti.

§. 311. Eodem modo (§. 308 - 310.) expoſito ab agnatis quoque et ſimultanee inueſtitis, vti ab eorum heredibus feudalibus, agnoſcenda ſunt, ſi ad feudi poſſeſſionem perueniunt, ea feudi poſſeſſoris debita, in quae conſenſerunt. c) intuitu debitorum.

§. 312. Neque ob defectum conſenſus domini directi ſe obligationi iſti poſſunt ſubtrahere.

§. 313. Agnatorum et ſimultanee inueſtitorum conſenſus in feudi poſſeſſoris debitum in ſcriptura interponatur neceſſe eſt.

§. 314. At vero, ſi agnatus aut ſimultanee inueſtitus chirographum, a feudi poſſeſſore datum, ſine additamento vllo ſimul ſubſcribit; haec ſubſcriptio expreſſo conſenſui in debitum eſt aequiparanda.

§. 315. Si agnatus aut ſimultanee inueſtitus tantum accedit ad inſtrumentum, quo domini directi aut alius, cuius intereſt, conſenſus continetur; ſtatuendum eſt, eum tantum conſenſiſſe ſub modis et conditionibus, in inſtrumento expreſſis.

§. 316. Si agnatus aut ſimultanee inueſtitus ipſe feudi poſſeſſori ſortem in feudum dedit mutuam; ab ipſo eiusque heredibus feudalibus defectus conſenſus opponi non poteſt, licet ſors poſtea in alium detentorem ſit translata.

§. 317. Debita feudalia, quibus leges hanc qualitatem tribuunt, absque agnatorum et ſimultanee inueſtitorum conſenſu poſſunt contrahi. (§. 230. ſqq.)

§. 318. Quatenus agnati aut ſimultanee inueſtiti in contrahenda debita feudalia conſentire obligentur, in regula diiudicandum eſt ex iisdem principiis, quae ratione domini directi (§. 235 - 242.) ſunt expoſita.

Source : BIU Cujas

§. 319. Atque etiam in determinando: quatenus debita feudalia feudi subſtantiam aut eius fructus tantum afficiant, et quo vſque conſenſus, ab agnatis aut ſimultanee inueſtitis interpoſitus, ſit extendendus, et quales habeat effectus, valent praecepta §. 233. 234. 244. 251 256.

§. 320. Eodem modo in diiudicanda quaeſtione: quatenus debitum ex feudo omnino, aut demum in ſubſidium, allodio haud ſufficiente, ſoluendum ſit, eadem, quae ratione domini directi, valent praecepta. (§. 231. 232. 243. 245. 246.)

§. 321. Quod ſi autem agnatus aut ſimultanee inueſtitus in conſenſu ſuo creditori ſine reſeruatione promiſit, ſe debitum ex feudo eſſe ſoluturum, ſucceſſionis delatae caſu exiſtente; creditorem ad bona debitoris allodialia ablegare nequit.

§. 322. Ipſi vero, ſi debitum alias ita eſt comparatum, vt ad feudum non praecipue pertineat, regreſſus ad hereditatem allodialem patet.

§. 323. Caeterum debita feudalia omnia, quibus ius reale in praediis feudalibus tributum eſt, in librum hypothecarium referantur.

§. 324. Quod in primis valet de iis debitis, quae ex feudo ſunt ſoluenda, vel absque domini directi et agnatorum aut ſimultanee inueſtitorum conſenſu ſingulari.

§. 325. Ea quoque debita, quae non ex feudi ſubſtantia, ſed ex feudi tantum fructibus ſunt ſoluenda, in librum hypothecarium referri creditor debet curare.

§. 326. Quod ſi non fuerit factum, debita feudalia, licet vi legum feudum aut eius fructus afficiant, aut vi conſenſus, a ſucceſſore feudali aut eius praedeceſſoribus interpoſiti, ab hoc agnoſci debeant, nihilominus poſtponuntur debitis feudalibus omnibus legitime conſignatis, (intabulatis), licet poſterioribus.

Source : BIU Cujas

§. 327. Pacta et actus alii, quibus feudum totum aut eius pars alienatur, ne in librum hypothecarium referantur sine consensu expresso domini directi, quem liber hypothecarius docet.

§. 328. Quin et iudicem agnatorum, ex libro hypothecario notorum, consensum in eiusmodi alienationes oportet requirere, antequam in librum hypothecarium referuntur.

§. 329. Neque minus in oppignerationibus, quarum consignatio (intabulatio) petitur, creditor monendus est de domini directi et agnatorum consignatorum (intabulatorum) consensu producendo.

§. 330. Quod si vero in casibus duobus vltimis (§. 328. 329.) consignationem petens, consensu non producto, nihilominus consignationem vrgeat; haec quidem ipsi, cum suo periculo, est concedenda, at defectus consensus in recognitionis documento expresse est notandus.

De exigendis debitis feudalibus alienando feudi substantiam.

§. 331. Ob debita feudalia, quorum securitas munita est hypotheca, in feudo ipso vel sine expresso consensu eorum, quorum interest, constituta, creditores feudi ipsius venditionem iudicialem iure possunt petere.

§. 332. Idem obtinet, si dominus directus et agnati aut simultanee inuestiti omnes expresse consenserunt in feudi ipsius pro debito quodam oppignerationem.

§. 333. In casibus aliis omnibus, vel ob debita feudalia per se valida locum habere tantum potest detentio redituum feudi, eorumque sequestratio in creditorum vtilitatem, aut immissio in feudum iudicialis.

§. 334. Quod creditorum ius, vt ex feudi reditibus sit soluendum, intuitu nominum s. praetensionum, quibus hi reditus vel sine consensu eorum, quorum interest, obligantur, eo vsque durat, donec nomina (praetensiones) prorsus sunt extincta.

Source : BIU Cujas

§. 335. At intuitu debitorum, quorum qualitas feudalis non nisi nonnullorum agnatorum aut simultanee inuestitorum consensu nititur, tamdiu tantum durat, quamdiu in feudi possessione versantur debitor, aut eorum, quorum interest, consentientes, aut vtrorumque heredes feudales, qui ex principiis supra dictis horum facta debent agnoscere.

§. 336. Ordo, quo creditores ex emtionis venditionis pretio, aut ex feudi fructibus satisfactionem possunt petere, determinatur ex principiis ordinationis, de concursu creditorum datae.

§. 337. Feudum ob debita feudalia legitime venditum (§. 331. 332.) intuitu domini directi qualitatem feudalem seruat, et nouus acquirens de eo, respectu domini directi, disponere valide tantum potest, tanquam de feudo.

§. 338. At vero, si dominus directus toties consensit, vt praedio feudali vendito satisfieri non possit creditoribus, quibus in ipsam feudi substantiam ius competit; non potest impedire, quo minus praedium tanquam allodium liberum venditetur et vendatur.

§. 339. At contra intuitu agnatorum et simultanee inuestitorum, in quouis casu, feudum ob debita feudalia legitime venditum, ratione emtoris fit liberi dominii, et nullo tempore ab illis potest reuocari.

§. 340. Emtionis venditionis pretii residuum, debitis ex feudi substantia secundum §phos 331. 332. soluendis deductis, per se quidem non succedit in locum feudi venditi;

§. 341. At domino directo et agnatis, aut simultanee inuestitis ius est petendi, vt eiusmodi residuum ad acquirendum praedium feudale impendatur, aut feudum in pecunia consistens exinde constituatur.

§. 342. Quod idem ius iis tunc quoque competit, si voluntariam feudi venditionem ratam habuerunt, nisi de alio ea in re sit conuentum.

Source : BIU Cujas

§. 343. Creditores ii, quorum nomina (praetenſiones) feudi tantum fructus afficiunt, in reditus pretii reſidui ex feudo vendito eodem iure fruuntur, quod ante habuerunt in reditus fundi ipſius. Sequeſtrandis fructibus et emolumentis.

§. 344. In caſibus omnibus, vbi feudi tantum reditus, vt creditoribus ſatisfiat, arreſto aut ſequeſtratione detinentur, illaeſa manent domini directi iura, quod ad praeſtationes pecuniarias aut naturales de feudo exigendas attinet.

§. 345. Ad ſeruitia vero feudalia praeſtanda vaſallus ipſe, vti antea, eſt obligatus.

§. 346. At domino tamen directo licet, prouaſallum pro eo conſtituendum petere.

§. 347. Quem quidem ex agnatis aut ſimultaneis inueſtitis eum oportet eligere.

§. 348. Eiusmodi prouaſallus praeter indemnitatem praemium ſingulare petere nequit.

§. 349. Neque feudo, ob feloniam admiſſam aperto, dominus directus auferre poteſt media, quibus poteſt ſatisfieri iis creditoribus, pro quibus conſenſit, aut quorum nomina (praetenſiones) ſunt debita feudalia legalia.

§. 350. Si feudum eſt ſequeſtratum, vaſallus a creditoribus aſſignationem competentiae ex reditibus poteſt exigere. De competentia ex feudo.

§. 351. Si poſſeſſor ea, quae ſequeſtrationi cauſam praebuerunt, debita ipſe conſlauit; competentiae petitum prorſus diiudicandum eſt ex praeceptis ordinationis proceſſus generalibus.

§. 352. Neque tum competentiae ſumma, creditore inuito, in regula quadrantem feudi redituum poteſt excedere.

§. 353. Qui tamen quadrans ſi debitori ne quidem praebeat alimenta quam maxime neceſſaria; quae his deficiunt, ex reditibus ſequeſtratis ſunt addenda.

Source : BIU Cujas

§. 354. Si poſſeſſoris antecedentis debita ſequeſtrationi locum fecerunt: poſſeſſor praeſens, poſtulare poteſt alimenta ordini conuenientia, quatenus leges ordinationis proceſſus ei alias ad competentiae beneficium prouocandi ius concedunt.

§. 355. Quae tamen competentia, quatenus non pertinet ad victum neceſſarium, tertiam feudi redituum partem ne excedat.

§. 356. Filii, qui patris heredes non facti eius allodii creditoribus nihilominus ſecundum §phum 274. ex feudi reditibus ſatisfacere debent, beneficium competentiae in §pho 354. determinatae, poſtulare poſſunt, nulla reliquae eorum rei familiaris conditionis ratione habita.

§. 357. At contra, intuitu creditorum feudalium filii, patris heredes non facti, et intuitu creditorum omnium filii, patris heredes facti, vnice diiudicandi ſunt, ratione competentiae beneficii, ex praeceptis §. 252. 253.

XI. Succeſſio feudalis.

§. 358. Succeſſionis feudalis haec eſt ratio, vt non niſi iis competat, ad quos acquirentis primi inueſtitura expreſſe eſt extenſa.

1) quoad primi acquirentis deſcendentes, *a*) quinam in genere ſucceſſionis ſint capaces.

§. 359. Inueſtitura originaria regulariter extenditur ad primi acquirentis poſteros feudorum capaces omnes.

§. 360. Poſteri feudi capaces ii tantum cenſentur, qui ex matrimonio legitimo ad manum dextram ſunt ſuſcepti.

De liberis legitimatis et

§. 361. At neque ſecundum leges feudales communes a ſucceſſione feudali excluduntur extra eiusmodi matrimonium quidem nati, ſed per parentum matrimonium ſubſequens ad manum dextram legitimati.

§. 362. Idem valet de liberis ex matrimonio progenitis in ſe quidem impari, ſed per diſpenſationem principis valido.

§. 363.

Source : BIU Cujas

§. 363. Qua dispensatione principis non impetrata, hi liberi ad successionem peruenire nunquam possunt in feudum nobile, sine discrimine, vtrum feudum ab ipso principe an a tertio in feudum sit collatum.

§. 364. At liberi extra matrimonium progeniti, a principe legitimati, successionis feudalis non fieri possunt capaces, nisi expresse consentiant dominus directus, et agnati aut simultanee inuestiti.

§. 365. Idem valet de iis personis, quas feudi possessor adoptauit.

§. 366. In casu vtroque (§. 364. 365.) hi liberi consensu agnatorum proximorum duorum ius possunt acquirere, familiae nomine et insigni vtendi.

§. 367. At successionis intuitu, agnatus aut simultanee inuestitus consensu suo reliquorum iura deminuere nequit.

§. 368. Casu igitur incidente, vbi agnatus, non consentiens, aut eius posteri ad successionem fuissent peruenturi, nisi ordo succedendi adoptione eiusmodi liberorum §. 364. 365. fuisset interruptus; feudum agnato aut eius posteris est cedendum; atque liberi legitimati et adoptati, eorumque descendentes illis debent cedere.

§. 369. Dum vero successio manet in lineis agnatorum aut simultanee inuestitorum eorum, qui consensum suum interposuerunt, aut ad eas lineas redit, eiusmodi liberis legitimatis aut adoptiuis eorumque posteris, feudorum in se capacibus, feudi possessio denegari nequit.

De personis, quae votum monasticum fecerunt.

§. 370. Primi acquirentis posteri, qui tempore successionis delatae votum paupertatis fecerunt, a successione feudali arcentur. (P. II. Tit. XI. Sect. XVIII.)

§. 371. Quin potius feudum ei defertur, qui illud acquisiisset, si persona voto obstricta ante delationem fuisset mortua.

Source : BIU Cujas

§. 372. At haec tamen ad ſucceſſionem admittitur; ſi intra annum vnum et dies triginta, poſt feudum apertum, liberationem a voto modo legitimo impetrauit.

§. 373. Liberatio a voto ſerius ſubſecuta ſemel excluſo non tribuit ius, feudum repetendi ab eo, ad quem ſecundum principium §. 371. delatum eſt, et ab eius poſteris, feudorum capacibus.

§. 374. Caeterum autem a voto liberatus iterum in iura omnia ſuccedit, quae ipſi, tanquam agnato aut ſimultanee inueſtito, vltimi poſſeſſoris reſpectu, competunt in futuris ſucceſſionis caſibus.

De furioſis et mente captis.

§. 375. Furioſi et mente capti ob infaniam et defectum animi ſolum in regula a ſucceſſione non excluduntur.

§. 376. Quibus tamen feudi ſucceſſoribus conſtituendus eſt feudi curator, quem officia feudalia praeſtanda curare oportet.

§. 377. Adminiſtratio feudi ordinaria et eius redituum tum quoque manet penes curatorem poſſeſſori conſtitutum.

§. 378. Qui vero quatenus curatorem rei feudalis conſulere debeat, ſuo loco eſt determinatum. (Part. II. Tit. XVIII. §. 1001. 1002.)

§. 379. Alia corporis vitia a ſucceſſione feudali nunquam excludunt; ſed domino directo ius tantum tribuunt petendi, vt prouaſallus conſtituatur ad explenda ea officia, quae vaſallus ob corporis vitium ſeu imbecillitatem praeſtare ipſe nequit.

Capacitas intuitu ſexus.

§. 380. Regulariter poſteris primi acquirentis maſculis tantum ius competit ſucceſſionis feudalis. (§. 422. ſeqq.)

b) Ordo ſucceſſorius ipſe.

§. 381. In ſucceſſione feudali fratres germani et conſanguinei, ab vno eodemque patre procreati, regulariter aequalibus iuribus gaudent.

§. 382. Nepotes et pronepotes ſemper ſuccedunt in locum patrum praedefunctorum.

Source : BIU Cujas

§. 383. In genere in ſucceſſione feudali, ſecundum iura communia, locum habet ſucceſſio ex lineis, non ex gradibus.

§. 384. Si ſucceſſio feudalis ex gradus proximitate cum poſſeſſore vltimo deuolui debeat; haec ſucceſſio in literis inueſtiturae originariis, validis familiae pactis, aut legibus prouincialibus definita ſit neceſſe eſt.

§. 385. Vbi igitur ius primogeniturae, ſenioratus, maioratus aut minoratus eſt definitum, eadem praecepta locum habent, quae in ſucceſſionibus ſimilibus in familiae fideicommiſſis. (Part. II. Tit. IV. Sect. II.)

§. 386. Ordo ſucceſſorius, legibus aut legitimis voluntatis declarationibus ſemel definitus, mutari tantum poteſt ſolennibus familiae concluſis, conſentiente domino directo.

§. 387. Hinc ſecundum ius feudale commune vaſallo vltimo in primis ſuccedunt eius feudorum capaces poſteri ſecundum ſtirpes, ſine diſcrimine gradus.

§. 388. Vaſallus defunctus ſi nullos deſcendentes feudorum capaces relinquit, ſucceſſionis feudalis ius competit agnatis iis, qui cum illo ab eodem communi ſtirpis auctore proximo genus ducunt.

§. 389. Hinc qui originem a defuncti patre ducunt, eos excludunt, qui tantum ad lineam pertinent eius auitam.

§. 390. Similiter, qui a defuncti proauo genus ducentes ad eandem lineam defuncti referuntur, excluduntur ab iis, qui ab eius auo genus ducunt.

§. 391. Agnati plures, qui cum defuncto habent eundem communem proximum ſtirpis auctorem, atque adeo quoad lineam aeque ſunt propinqui, in feudum communiter ſuccedunt, et illud diuidunt inter ſe pro ſtirpibus aut lineis.

Source : BIU Cujas

§. 392. Hinc tot portiones conſtituuntur, quot ſunt lineae, quae cum vltimo poſſeſſore ad eundem communem proximum ſtirpis auctorem referuntur.

§. 393. In lineis ipſis deſcendentes, ſine diſcrimine gradus, iure ſuo proprio, in locum ſuccedunt patrum, ante poſſeſſorem vltimum mortuorum.

§. 394. Hinc, ſi ſunt plures, omnes ſimul eandem portionis lineae principalis partem ferunt, quae ad illum, in cuius locum ſuccedunt, peruenisſet, ſi poſſeſſori vltimo fuiſſet ſuperſtes.

§. 395. In qua ſucceſſione lineali nullum inde exoritur diſcrimen; vtrum feudum iam alias fuerit diuiſum, an minus.

§. 396. Quare licet lineae cuidam iam ſemel fuerit ſatisfactum; hoc eius iuri non tamen obſtat, ſimulac ea ſecundum leges ſucceſſionis linealis vlterius ad feudum vocatur.

§. 397. At vero, ſi in feudo diuidendo agnatus, cui eſt ſatisfactum, futuris delationibus omnibus pro ſe et deſcendentibus ſuis feudorum capacibus expreſſe renuntiauit; neque hi, licet renuntiantis heredes aut eius heredum heredes facti non ſint, delationes iſtas vlteriores petere poſſunt.

c) Quatenus linea aſcendens ad ſucceſſionem perueniat.

§. 398. Si pater feudum ipſi delatum filiorum ſuorum vni cedit: hoc feudum ad patrem redit, filio aut eius poſteris feudorum capacibus non amplius exiſtentibus.

§. 399. At vero, ſi pater feudum filiis ſuis in genere ceſſit; a ſucceſſione feudali tamdiu excluditur, quam diu ex filiis vnus, aut eorum deſcendentes feudi capaces exiſtunt.

§. 400. At contra, ſi deſcendentes omnes feudi capaces deceſſerint, in feudum iterum ſuccedit, excludens agnatos reliquos omnes.

§. 401. Qui cum primo acquirente non niſi linea aſcendente aut collaterali ſunt coniuncti, his regulariter ius ſucceſſionis feudalis non competit.

Source : BIU Cujas

§. 402. At vero si primo acquirenti feudum expresse feudi antiqui iure est concessum; alii quidem eius agnati, si eius descendentes feudorum capaces decesserint, ad successionem quoque admittuntur;

§. 403. Quatenus tamen aliud expresse non fuerit definitum, ius successionis feudalis tantum extenditur ad primi acquirentis fratres germanos, aut consanguineos, ex eodem patre procreatos, et agnatos, ab his originem ducentes.

§. 404. Inter quos quoque agnatos regulariter successio pro stirpibus et lineis locum habet.

§. 405. Hinc primi acquirentis linea ascendens, et huius lineae feudorum capaces posteri, in casu §. 402. regulariter a successione feudali arcentur.

§. 406. At vero, si primus acquirens tempore inuestiturae concessae nullos habuit fratres; aut si praedium prius, quam qualitatem feudalem induit, iam praedium gentilitium aut familiae fuit, ascendentes primi acquirentis quoque, et eorum descendentes, feudorum capaces, perueniunt ad successionem, si fratres eorumque descendentes feudorum capaces deficiunt aut decesserunt.

§. 407. Atque etiam intuitu horum agnatorum successio linealis locum habet, ita, vt a primi acquirentis auo genus ducentes, excludant proaui lineam, et haec linea excludat lineas vlterius ascendentes.

§. 408. Si in casu §. 402. primus acquirens moritur sine prole feudorum capaci, patre adhuc superstite; pater ad feudi possessionem peruenit, fratres acquirentis excludens.

§. 409. Caeterum in successione feudali ex momento temporis, quo feudum factum est vacuum, determinatur: quis et quomodo quisque successionis feudalis sit particeps.

§. 410. At ii tamen, qui nascuntur intra diem trecentesimum secundum, a tempore feudi vacuefacti,

Source : BIU Cujas

hoc die ipso non numerato, habentur pro iis, qui successionis delatae tempore iam extiterunt.

2) Successio simultanee inuestitorum.

§. 411. Vbi ad conseruanda iura feudalia agnatorum, a primo acquirente genus ducentium, inuestitura simultanea aut manu communi requiratur, in legibus prouincialibus est determinatum.

§. 412. Quae vbi inuestituram talem non expresse desiderant, agnati et simultanee inuestiti tunc demum ad renouandam inuestituram sunt obligati, si re vera ad successionem vocantur.

§. 413. Si simultanee inuestiti primi acquirentis sunt agnati, et cum formula: secundum graduum ordinem (*nach rechter Sippzahl*) inuestiti: primi acquirentis prole feudorum capaci prorsus extincta, succedit tantum ille simultanee inuestitus, qui vasallo vltimo est gradu proximus.

§. 414. Quo casu excepto, etiam intuitu primi acquirentis agnatorum simultanee inuestitorum, attendendae sunt successionis linealis regulae.

§. 415. Si simultanee inuestiti sunt ex aliis generibus orti; manu communi prius recepti praeferuntur post eos receptis, si nihil singulare in pacto feudali aut inuestiturae literis originariis sit constitutum.

§. 416. Si familiae simultanee inuestitae omnes simul sint receptae; in casu dubio sibi tamen eo ordine praesumuntur succedere, quo in inuestiturae literis sese excipiunt.

§. 417. Si vero ex sententia (s. contextu) literarum inuestiturae apparet, ordinem, quo in iis sunt nominatae, non debere succedendi ordinem definire: deficiente primi acquirentis progenie, feudorum capaci, vno eodemque tempore perueniunt ad successionem feudalem.

§. 418. Inter familias simultanee inuestitas ipsas locum habet successio secundum lineas, relatione ad primum acquirentem.

Source : BIU Cujas

§. 419. Si in primi acquirentis linea descendente primogenitura aut alius successionis modus singularis fuit introductus, vel in ipsa feudi constitutione vel postea, priusquam aliae familiae in simultaneam inuestituram sunt receptae; idem modus successorius etiam praesumitur locum habere in familiis simultanee inuestitis.

§. 420. Simultanee inuestiti in regula a successione feudali excludunt sexus feminini omnes.

§. 421. Ad conseruandum ius succedendi eius relatio in librum hypothecarium et intuitu simultanee inuestitorum, et agnatorum, consilii quidem est, (§. 290. seqq.) non tamen necessitatis.

§. 422. Si feudum in feudum femininum est consessum, deficientibus determinationibus aliis, primae inuesturae literarum sententia, aut singularibus curiae feudalis legibus definitis statuitur, eos, qui ab acquirente primo per feminas tantum sunt oriundi, ad successionem demum admitti, stirpe eius masculla plane extincta. 3. Successio in feuda feminina.

§. 423. Quod idem vel tum obtinet, si feudum primo acquirens femina fuit.

§. 424. Quo tamen in casu praesumtio valet, feudum esse feudum femininum, donec ex inuesturae literis et documentis feudalibus non apparet contrarium.

§. 425. Si in feudis femininis primi acquirentis descendens masculus vltimus reliquit filios ex filiabus aut neptibus procreatos; hi ad lineas succedunt, omnesque descendentes sexus feminini, et matres et auias ipsas excludunt.

§ 426. Si nullos filios reliquit ex filiabus aut neptibus genitos; eius filiae primi gradus ad dies vitae quidem in possessione et fructuum perceptione feudi paterni manent;

§. 427. Quae vero si moriantur sine prole masculla, feudum deuoluitur ad descendentes masculos

Source : BIU Cujas

tunc exiſtentes, a primo acquirente per feminas originem ducentes.

§. 428. Quorum ſi ſint plures, feudum inter ſe diuidunt ſecundum lineas principales, quae ad primum acquirentem referuntur; et lineae principalis cuiusque partem iterum inter ſe diuidunt lineae ſecundariae, quae ad communem ſtirpis auctorem referuntur; et quidem obſeruatis vtique ſucceſſionis linealis regulis.

§. 429. Hinc feminae, per feminas tantum a primo acquirente genus ducentes, ad ſucceſſionem non prius accedunt, quam maſcula proles nulla exiſtit, ab acquirente primo per feminas oriunda.

§. 430. Si caeterum, in feudis etiam diuiſis, primi acquirentis femininae deſcendentes vnius lineae, maſcula prole lineae alterius primi acquirentis ſemel ſunt excluſae; iſtae manent excluſae, ſi vel in altera hac linea deſcendentes maſculi a maſculis deficiant; et totum feudum cedit poſteris, in hac linea per generationem feminarum a primo acquirente genus trahentibus.

§. 431. In caſibus omnibus, vbi hoc modo feudum, aut eius pars, ad perſonam prolis femininae vaſalli vltimi, aut acquirentis primi peruenit, deinde huius perſonae maſcula proles femininam iterum excludit.

§. 432. Eiusmodi igitur perſona, per quam feudum ad nouam gentem eſt delatum, intuitu ſucceſſionis, tanquam nouus acquirens conſideratur, feudumque ad eius prolem aeque deuoluitur, ac illud ab acquirente originario vſque ad eam ipſam peruenit.

§. 433. At vero, ſi femina, per quam feudum ad prolem ſuam maſculam eſt translatum, reliquit filios plures, quorum vnus obit ſine ſucceſſoribus feudalibus; eius fratres germani et vterini a matre geniti ſuccedunt pari iure; excluſis fratribus conſanguineis a patre procreatis

Source : BIU Cujas

§. 434. Si illius feminae, per quam feudum ad aliam gentem eſt deuolutum, proles omnis deceſſerit; feudum defertur deſcendentibus reliquis, a primo acquirente per feminas genus ducentibus.

§. 435. Inter quos quoque locum habet ſucceſſio linealis, principiis §. 422-429. adhibitis.

§. 436. Vti ſecundum eam feudum aut eius pars ad nouam gentem peruenit, ſic intuitu gentis huius nouae praecepta §phorum 431-433. iterum obſeruantur.

§. 437. Feudum, in quo ordo ſuccedendi iuris communis eſt praeſcriptus, vocatur hereditarium. 4) Succeſſio in feudis hereditariis.

§. 438. In caſu dubio, in feudo quoque hereditario, praecepta iuris communis locum tantum habent intuitu modi ſuccedendi, non intuitu perſonarum, feudi capacium.

§. 439. Hinc in feudis hereditariis quoque ſucceſſione maſculi excludunt feminas, licet ius ſuccedendi caeterum ſit aequale.

§. 440. In feudis etiam hereditariis intuitu facultatis, per vltimam voluntatem de iis diſponendi, vaſallo nulla ſunt iura plura, quam poſſeſſori feudi maſculini, proprie ſic dicti.

§. 441. Exceptiones a regulis antecedentibus, earumque determinationes propiores et in propriis feudis, et impropriis, legibus prouincialibus reſeruantur.

§. 442. Caeterum inueſtitura, vaſallo ipſi, eiusque heredibus naturalibus et feudalibus (*Leibes- und Lehenserben*) facta, nondum indicat, feudum eſſe hereditarium.

§. 443. At vero ſi inueſtitura eſt facta, verbis ſ. formula: „pro ſe et ſuis heredibus veris, quocunque ſub nomine veniant“ (noſtrates dicunt: *für ſich und ſeine rechte Erben, ſie ſeyn genannt wie ſie wollen*) aut ſub formula: *zu rechtem Erbe oder Erbgute*, eiusmodi feudum pro hereditario habendum.

Source : BIU Cujas

5) de expectatiuis feudalibus.

§. 444. Expectatiua feudalis mera concedit tantum ius perſonale, contra eum, qui expectatiuam conceſſit.

§. 445. At vero inueſtitura euentualis ſimul conceſſa ius reale in feudo tribuit, in caſum, ſi feudum domino directo aperiatur.

§. 446. Si dominium directum ad liberum concedentis patrimonium pertinuit; expectatiuae et inueſtiturae euentuales ab ipſo conceſſae, etiam intuitu eius ſucceſſorum, effectus pactorum validorum habent omnes.

§. 447. At contra, ſi concedens dominium directum poſſedit tantum tanquam feudum aut fideicommiſſum: eius ſucceſſores expectatiuas et inueſtituras euentuales, ab eo conceſſas, eatenus tantum agnoſcere obligantur, quatenus in genere adſtricti ſunt ad agnoſcenda ea, quae de feudo aut fideicommiſſo diſpoſuit.

§. 448. Si eiusmodi dominus directus in aliquem, de re publica bene meritum, contulit inueſtituram euentualem de feudo, ad eum finem, vt in feudum detur, deſtinato; inueſtitura iſta in caſibus omnibus a ſucceſſoribus eſt agnoſcenda.

§. 449. Idem obtinet, ſi dominus directus priuatus in eiusmodi feudum expectatiuam aut inueſtituram euentualem alicui conceſſit, ob ſingularia eius merita de feudi domini familia.

§. 450. In feudis primitus a vaſallo primo domino directo primo oblatis, ſucceſſor in dominio directo omnis agnoſcere debet expectatiuas, ab anteceſſore, vaſallo petente, conceſſas.

§. 451. Si perſonam moralem, cui dominium directum competit, repraeſentans inueſtituram euentualem de feudo, quod in feudum dari ſolet, in aliquem contulit, corporatione, cui dominium directum competit, conſentiente; repraeſentans ſuccedens reuocare eam nequit.

Source : BIU Cujas

§. 452. In genere expectatiuae et inueſtiturae euentuales eius, qui primus feudum conſtituit, valent omnes.

§. 453. Expectatiuarius, licet inueſtitura euentuali munitus, poſtponitur ſimultanee inueſtitis omnibus, et in feudis femininis primi acquirentis deſcendentibus femininis.

§. 454. Ius expectatiuae regulariter extenditur ad expectatiuarii deſcendentes feudorum capaces.

§. 455. Caeterum literae expectatiuae iura expectatiuarii determinant.

§. 456. Feudi poſſeſſori expectatiua aut euentualis inueſtitura data omnis, ad obſeruanda ſua iura, nuntianda eſt per dominum directum aut eius curiam feudalem.

§. 457. Non tamen, ſi id fuerit omiſſum, nocet omiſſio expectatiuarii iuribus.

§. 458. Concurrentibus expectatiuariis pluribus is praefertur, cuius expectatiua inueſtitura euentuali ſimul eſt munita.

§. 459. Si inueſtitura euentuali muniti ſunt omnes, prior praefertur poſteriori.

§. 460. Si omnes perſonali tantum expectatiua ſunt inſtructi, conceſſionis tempus determinat, quis eorum antecedat reliquis.

§. 461. Si poſterior veram inueſtituram ante priorem impetrauit; cauſa eorum ex praeceptis tituli decimi §. 18-25. eſt diiudicanda.

§. 462. Expectatiua mere generalis in feudum aliquod vacaturum, detentori nondum tribuit ius in feudum quoddam certum.

§. 463. Si vero quis expectatiua in feudum proxime vacaturum eſt inſtructus, ea vim eandem habet cum expectatiua ſpeciali, in feudum certum data.

§. 464. Eiusmodi igitur expectatiuarius, quamdiu feudum in eum nondum eſt translatum, petere poteſt feudum quacunque apertura exiſtente.

Source : BIU Cujas

§. 465. Qua occasione si cum aliis, quibus expectatiua singularis in hoc feudum est data, concurrit, ius praelationis eorum ex praeceptis §. 458-461. est definiendum.

§. 466. Expectatiuae et inuestiturae euentuales regulariter tantum in eum casum datae intelliguntur, si feudum domino in perpetuum fuerit apertum.

§. 467. At vero, si feudum ab feloniam admissam, aut aliam ob causam, in tempus tantum certum ad dominum redit, ita, vt ab hoc feudum sub certis circumstantiis primi acquirentis posteris aut simultanee inuestitis foret restituendum; expectatiuarius per tempus interiectum eatenus tantum ius in feudo acquirit, quatenus ipsi eiusmodi ius in expectatiuae literis re vera est concessum.

§. 468. Si inuestitura euentualis, petente aut expresse consentiente feudi possessore, est concessa; inuestitura euentuali inuestitus, exceptis iis, quae ad successionis ordinem spectant, aequalibus gaudet iuribus cum agnatis et simultanee inuestitis feudalibus aliis.

§. 469. Quo casu excepto euentualiter inuestito ius praesens verum in feudo non magis competit ac expectatiuario in genere.

§. 470. Hinc in alienando aut oppignerando feudo eum adhibere, necesse non est.

§. 471. Quin potius feudum in eo statu accipere debet, quo est eo tempore, quo feudum domino aperitur.

§ 472. Quod si expectatiuario feudum vel eo in statu fuerit promissum, quo fuit tempore expectatiuae aut inuestiturae euentualis datae, hoc tamen promisso vti nequit contra tertium, qui tempore interiecto acquisiuit iura in se valida, in feudo, aut in rebus, ad feudum pertinentibus.

§. 473. At contra, expectatiuarii iura contra concedentem eiusque heredes diiudicanda sunt ex natura pacti, quod expectatiuae est fundamentum.

Source : BIU Cujas

§. 474. Quod pactum si fuerit mere beneficum, negotium inter eos actum diiudicandum est ex regulis de donationibus.

§. 475. Hinc expectatiuarius, etsi euentualiter inuestitus, a concedente aut eius heredibus euictionis praestationem petere nequit.

§. 476. Si vero expectatiuae fundamentum pacto oneroso nititur; expectatiuarius, si casu incidente ad successionem prorsus peruenire nequit, a concedente eiusque heredibus indemnitatem petere iure potest.

§. 477. At contra, eiusmodi expectatiuarius ob statum quoque, quo feudum domino aperitur, non nisi in casu §. 472. prouocare potest ad indemnitatem contra concedentem et eius heredes.

§. 478. Successores feudales plures, secundum principia antecedentia pari iure gaudentes, regulariter ad communem feudi possessionem et fructuum perceptionem perueniunt. XII. De feudi diuisionibus.

§. 479. Quam communionem si seruare nequeunt, aut nolunt; feudo consistente ex partibus pluribus, quae in se tanquam res singulares separatim possunt ita possideri, vt semper maneant eaedem: diuisio regulariter, quantum fieri potest, in natura fieri debet.

§. 480. Hinc fundi aut sortes plures, ad vnum feudum pertinentes, regulariter in natura diuidantur, necesse est.

§. 481. Praeter ea naturales feudalium fundorum diuisiones locum tantum habent consentiente principe.

§. 482. Cui quidem ius competit curandi, ne praedia et fundi, in detrimentum reipublicae, dissecentur in partes iusto minores.

§. 483. Determinationes propiores de diuidundis feudis reseruantur legibus prouincialibus.

Source : BIU Cujas

§. 484. Si feudum prorſus diuidi nequit; aut ſi iis, quorum intereſt, placuit, vt eorum vnus tantum habeat totum, reliquis ſatisfacturus; praefertur ille, qui reliquis offert conditiones meliores.

§. 485. Ex quo praecepto ſi conuenire inter ſe nequeunt, ſorte decidendum.

§. 486. Feudi diuiſio omnis, ſiue fiat in natura, ſiue reliquis ſatisfaciendo, praeſupponit eorum, quorum intereſt, conuentionem de feudi pretio, aut ea deficiente, taxationem inſtitutam.

§. 487. In iis caſibus, quibus diuiſio naturalis inter eos, quorum intereſt, inſtituitur, pretium totius, atque adeo ſingularum eius partium, definiendum eſt ex principiis, de taxationibus generatim in prouincia aſſumtis.

§. 488. In quibus caſibus vnus eorum, quorum intereſt, totum, pretio reliquis ſatisfacturus, ſponte recipit, in iis pretii determinatio vnice pendet a partium conuentione, et ſi fuerit viſum, a licitatione inter eos inſtituenda.

§. 489. At vero in caſibus, vbi ſociorum vnum ſiue vi ordinis ſuccedendi in hoc feudo recepti, ſiue ſortis deciſione totum ſuſcipere oportet, pretium ad taxam feudalem extantem definitur.

§. 490. Taxa feudali deficiente, pretium aeſtimatur ex taxationis principiis, in curia feudali vſitatis.

§. 491. Quibus taxationis principiis, obſeruantia vſitatis, quoque deficientibus, pretium quidem definiendum eſt aeſtimationis lege, quae in aeſtimandis praediis in prouincia generatim obtinet;

§. 492. At vero tum ex pluribus, eiusdem tituli (*Rubrik*) fructuum prouentus aeſtimationibus et pretiis, in prouincia aut circulo praeſcriptis, ſemper aſſumantur, in ſuſcipientis fauorem, pretia minora.

Source : BIU Cujas

§. 493. Nisi de alio fuerit conuentum: illi, quibus pretio est satisfactum, portione sua in feudo relicta, vsuris debent esse contenti.

§. 494. Susceptione sponte facta, determinatio modi vsurarum relinquitur conuentioni eorum, quorum interest.

§. 495. At vero si vnum eorum feudum suscipere oportet; neque socii de vsurarum modo amice possunt conuenire: is modus est assumendus, secundum quem in definiendo pretio ipso fructuum prouentus ad sortem fuit redactus.

§. 496. In pecuniam ex feudo coheredibus, quibus est satisfactum, debitam, (*Abfindungsgelder*) in feudo relictam, eodem modo succeditur, quo in feudum ipsum.

§. 497. Ad succedendum in has pecunias neque inuestitura singularis, neque feudorum renouatio est necessaria, ne in casibus quidem, in quibus alias intuitu feudi ipsius requiritur.

§. 498. Quatenus autem praeter agnatos aut simultanee inuestitos in feudo ipso intabulatos alii adhuc existunt, quibus in istas pecunias succedendi singulare ius competit, de horum obligatione, vt se intabulandos curent, valent praecepta §. 290. seqq.

§. 499. Si iis, quibus satisfactum est, portiones pecunia numerata sunt solutae; ea, quae soluta sunt, deficientibus singularibus conuentionibus, qualitatem feudalem non induunt, sed cedunt in liberum accipientium dominium.

§. 500. De agnationis et inuestiturae simultaneae iuribus, quae iis, quibus eo modo est satisfactum, in feudo permanent, obseruanda sunt praecepta §. 396. 397.

§. 501. Si feudi possessor, reliquis satisfaciens, debita feudalia eum in finem (dimittendorum coheredum causa) contraxit: eos, quibus est satisfactum, eorumque descendentes, si temporis successu feudum

BIBLIOTHEQUE CUJAS PARIS

Source : BIU Cujas

ipſum ſucceſſione ad eos deuoluitur, agnoſcere ea debita oportet; licet non expreſſe in ea contrahenda conſenſerint.

§. 502. Si diuidentes ita conuenerunt, vt portiones pecuniariae iis, quibus eſt ſatisfactum, ſoluendae iterum feudo alii acquirendo impendantur; eiusmodi ſummae, intuitu linearum diuidentium, fideicommiſſi qualitatem induunt.

§. 503. Dominus directus autem eas eatenus tantum poteſt petere, quatenus hae in feudum ei expreſſe ſunt oblatae; atque agnati, ad alias lineas pertinentes, eatenus tantum, quatenus in ſimultaneam inueſtituram de iis ſunt recepti.

§. 504. At vero, ſi dominus directus conſenſit in debita ſatisfaciendi cauſa feudo contracta, et tempore delationis nondum extincta: ei quoque, decedentibus lineis diuidentibus, cedunt ſatisfactionis ſummae, feudo alii acquirendo impenſae.

§. 505. Idem valet de aliarum linearum agnatis et ſimultanee inueſtitis, qui in contrahenda debita feudalia ſatisfaciendi cauſa conſenſerunt.

XIII. Separatio inter ſucceſſores feudales et heredes allodiales, 1) generatim.

§. 506. Succeſſio in feudum a momento, quo poſſeſſor praeſens moritur, ad ſucceſſorem tranſit.

§. 507. Cui quidem poſſeſſoris vltimi heredes feudum eo in ſtatu tradere oportet, quo illud a primo acquirente ad defunctum eſt deuolutum.

§. 508. Regulariter in ſeparationibus inter ſucceſſorem feudalem et poſſeſſoris vltimi heredes, eadem valent principia, quae de ſeparationibus inter vſufructuarium et dominum ſunt praeſcripta. (Tit. XXI. Sect. I.)

§. 509. Exceptiones ab his vel expreſſis legibus definiantur neceſſe eſt, vel ex ratione ſucceſſoris feudalis, qui conſequitur dominium tantum vtile, domini directi et agnatorum iuribus circumſcriptum.

§. 510.

Source : BIU Cujas

§. 510. De anni vltimi fructibus et emolumentis valent in omnibus praecepta de vfufructu data. 2) Intuitu fructuum et emolumentorum.

§. 511. Quod attinet ad res mobiles, ad feudum pertinentes, inuentario feudali inſiſtendum. 3) Intuitu inuentarii.

§. 512. Si in quodam huius inuentarii titulo (*Rubrik*) eiusdem generis res plures extant, quam ſucceſſor feudalis iure poteſt petere: inuentario feudali accenſendae ſunt proximae poſt optimas.

§. 513. Si generatim extant res plures, quam inuentarium feudale docet: iſtae cedunt heredibus allodialibus: quatenus a defuncto, aut a praecedentium poſſeſſorum quodam non expreſſe annumeratae ſunt inuentario feudali.

§. 514. In ſeparatione inter dominum directum et vaſalli vltimi heredes locum quoque obtinent praecepta §. 27-30. de rebus, quae praeter inuentarium feudale originarium extant.

§. 515. Si feudi inuentarium non extat, neque apparet, in prima feudi conſtitutione inuentarium fuiſſe ſimul traditum; ſucceſſor inuentarium petere nequit.

§. 516. Si id quidem appareat, feudo originarie inuentarium adfuiſſe; at non cognoſci poteſt, quaenam ad illud pertinuerint; ſucceſſori feudali acquieſcendum eſt rebus, ad neceſſarium vſum et oeconomiam neceſſariam exercendam requiſitis.

§ 517. Hinc deficiente feudi inuentario ſcripto, res omnes, ad oeconomiam fundi exercendam non neceſſario pertinentes, in caſu dubio allodiales praeſumuntur.

§. 518. Si rerum mobilium et immobilium, ab heredibus allodialibus ſucceſſori feudali in feudo relinquendarum et praeſtandarum, quaedam deſunt; res iſtae ex allodio ſunt ſupplendae.

§. 519. Et ſupplendae quidem rebus bonitatis mediocris, quales eſſe in eiusmodi rebus principalibus ſolent.

§. 520. Si quae deficiunt ex allodio nequeant reſtitui; ſucceſſoris eſt feudalis, de eo dominum dire-

Source : BIU Cujas

ctum et agnatos aut ſimultanee inueſtitos proximos duos certiores facere.

§. 521. Quibus adhibitis in iudicio eſt definiendum, intra quod tempus nouus feudi poſſeſſor inuentarium ex fructibus atque emolumentis debeat ſupplere, aut ad ſupplendum inuentarium iure poſſit contrahere mutuum, ex his fructibus atque emolumentis terminis praefinitis extinguendum.

§. 522. A ſucceſſore feudali his in caſibus peti nunquam poteſt, vt ad ſupplendum inuentarium aut extinguendum mutuum, eum in finem contractum, quotannis impendat plura, quam feudi redituum decimam partem.

§. 523. In qua vero ſumma annua ſemel definita nihil poteſt mutari, licet in vno anno aut altero fructibus et emolumentis deminutio acciderit.

§. 524. Si ſucceſſor feudalis compoſitionem (regulationem) iudicialem ſecundum praecepta antecedentia (§. 521-523.) quaerere neglexit intra annum, finito concurſu, de anteceſſoris hereditate moto: eius heredes poſtea contra inuentarii pleni euictionem, ſucceſſori feudali ſequenti praeſtandam, tueri ſe nullo modo poſſunt exceptione, defunctum ab anteceſſore non accepiſſe inuentarium plenum et accuratum.

§. 525. Si in anno vltimo, ante poſſeſſoris antecedentis mortem, eiusmodi caſus aduerſi inuentario acciderunt, qui illi debiti feudalis legalis contrahendi ius tribuiſſent; et hic eo iure nondum eſt vſus; heredes allodiales ſucceſſori feudali de eo inuentarii defectu non reſpondent.

§. 526. Quin potius hoc in caſu locum obtinent praecepta §. 520-524.

4. Intuitu meliorationum.

§. 527. Si poſſeſſor feudum acquirendis pertinentiis immobilibus reddidit melius, et animum ſuum, eas feudo in perpetuum adiungendi, expreſſe declarauit: heredes ſatisfactionem petere nequeunt.

Source : BIU Cujas

§. 528. Eiusmodi tamen declaratio, ſi feudum in fundis conſiſtit, acquirente petente, libro hypothecario eſt inferenda; quae, ſi non fuerit inſerta, heredes non obligat.

§. 529. At vero, ſi pertinentia nouiter acquiſita ita eſt comparata, vt per ſe ſubſiſtere nequeat, ſed tantum cum alio fundo coniuncta vſum praebere poſſit; ad eam adiungendam neque declaratio expreſſa, neque relatio in librum hypothecarium eſt neceſſaria.

§. 530. Sin gratuito eſt acquiſita, heredes allodiales a ſucceſſore feudali ſatisfactionem petere nequeunt, niſi teſtator iis eam expreſſe et in ſcriptis reſeruauerit.

§. 531. Quin etiam, ea reſeruatione facta, ſucceſſor tamen feudalis non reſtituit, niſi verum pretium, ex taxatione definiendum.

§. 532. Ad eandem ſatisfactionem tenetur, ſi feudi poſſeſſor defunctus pertinentiam non ſeparabilem (§. 529.) pacto oneroſo, pretio interueniente, acquiſiuit.

§. 533. In caſu vtroque ratio tantum habenda eſt pretii communis (vulgaris), non autem extraordinarii, quo pertinentia cum fundo principali coniuncta aeſtimatur.

§. 534. Si pertinentia modo dicto non fuerit feudo adiuncta, ſucceſſori feudali eſt electio, vtrum eam cum feudo ſibi habere, an heredibus velit concedere, qui eam recipiant.

§. 535. Si ſucceſſor feudalis pertinentiam ſibi habere cupit, neque tamen cum heredibus de pretio poteſt conuenire; eius aeſtumatio fiat ſecundum taxationem iudicialem.

§. 536. Quo tamen quoque in caſu pertinentia tantum tanquam res per ſe ſubſiſtens eſt aeſtumanda, nulla eius cum praedio principali coniunctionis ratione habita.

Source : BIU Cujas

§. 537. Quae taxatio iudicialis semper est necessaria, si nouus feudi possessor simul possessoris antecedentis hereditatis allodialis est particeps.

§. 538. Eiusmodi pertinentia eo modo semel feudo adiudicata deinde ad illud pertinet, et successor feudalis sequens omnis eam vna cum feudo debet recipere, pro satisfactione definita, heredibus antecessoris soluenda.

§. 539. Qui modus est obseruandus, vsque donec huic pertinentiae modo §. 527. 528. descripto pertinentiae feudalis qualitas plane est attributa.

§. 540. Quidquid defunctus soluit pro alienatis pertinentiis feudalibus retractis; heredibus eius semper est restituendum; si vasallus defunctus et successor feudalis ab eo, qui eas alienauerat, genus communiter ducunt.

§. 541. Si pertinentia feudalis, valide olim alienata, feudo iterum est adiecta; de satisfactione, heredibus allodialibus ideo praestanda, idem obtinet, quod de pertinentiis nouiter acquisitis est praeceptum.

§. 542. In separationibus cum domino directo institutis de pertinentiis etiam adiectis valent praecepta §. 27 - 30.

§. 543. Alias feudi meliorationes successor feudalis heredibus possessoris antecedentis regulariter non refarcit.

§. 544. At vero, si ad refarciendas melioriationes a vasallo factas se obligarunt agnati aut simultanee inuestiti eius temporis proximi duo: heredes allodiales satisfactionem possunt petere, licet alii, quam consentientes aut eorum descendentes, ad successionem re vera perueniant.

§. 545. Qui agnati aut simultanee inuestiti hic adhibendi sint, determinandum est ex principiis de obaerandis fideicommissis praescriptis. (Part. II. Tit. IV. Sect. III.)

Source : BIU Cujas

§. 546. Si reſarciendi obligatione dominus quoque directus debeat obſtringi, ſi feudum aperiatur: hic quoque eſt adhibendus.

§. 547. Eos quoque, quorum intereſt, de certis conuenire oportet terminis, quibus pro lucri, a cuiusque temporis poſſeſſore ex meliorationibus percipiendi, proportione deminuatur, et tandem plene extinguatur reſarciendi obligatio.

§. 548. Qui quidem actus, ſi exinde obligatio in §pho 544. definita, ſucceſſores feudales omnes obſtringere debeat, in iudicio fiat neceſſe eſt.

§. 549. Quae determinationes, ſi, quorum intereſt, amice de iis conuenire nequeunt, iudicis ſententia ſunt definiendae.

§. 550. Hic eadem obtinent principia, quae eum in caſum §. 238-240. praeſcripta ſunt, ſi vaſallus contrahit mutuum ad ſoluendas impenſas melioratio-nis, legibus iuſſae.

§. 551. Agnatis aut ſimultanee inueſtitis, eo modo in meliorationem efficiendam conſentientibus, competit ius petendi, vt ipſis in ea expedienda cura concedatur ſimultanea, aut ea ad finem perducta ipſis demonſtretur, quomodo melioratio perfecta ſit.

§. 552. Quae praecepta (§. 544-551.) ſi feudi poſſeſſor neglexit; ii tantum agnati et ſimultanee inueſtiti, qui ad futuram ſatisfactionem pro ſe et heredibus ſuis feudalibus ſe obligarunt, ad ſatisfaciendum ſunt obſtricti.

§. 553. Quo in caſu ſi reſtitutio meliorationis expenſarum generatim tantum, et absque determinatione ſufficiente vlteriori eſt promiſſa; de cognoſcenda ſumma reſtituenda eadem obtinent principia, quae praeſcripta ſunt, ſi bonae fidei poſſeſſor melioratio-nis expenſas a domino repetit. (Tit. VII. §. 204. ſqq.)

§. 554. Si poſſeſſor vltimus feudum alienandis pertinentiis immobilibus reddidit deterius: ſucceſſori feudali ius manet, eas repetendi a poſſeſſore tertio; 5) Intuitu deteriora-tionum.

Source : BIU Cujas

cui indemnitas ex hereditate allodiali relicta praestanda.

§. 555. Si possessori tertio ius competit, successorem feudalem, alienantis descendentem, ad indemnitatem praestandam conueniendi (§. 268 - 271.), hic in hereditate allodiali, tanquam creditor, in eius locum succedit.

§. 556. Si feudi possessor defunctus aedificia, negligendo refectionem, non sarta tectaque conseruauit; impensae in aedificia reficienda erogandae, ad rei peritorum taxationem, ex hereditate allodiali relicta sunt soluendae.

§. 557. Si aedificia, quorum conseruatio cuiusque temporis feudi possessori incumbit, in inuentario feudali sunt consignata; heredum allodialium obligatio in §. 516. definita extenditur ad ea aedificia omnia, et ad eorum refectionem in eum statum, quo esse secundum inuentarium debent.

§. 558. At vero si aedificia in inuentario non sunt consignata; heredes allodiales ad ea tantum aedificia reficienda sunt obligati, quae ad domicilium possessoris ordinarium et ad praedii oeconomiam rite exercendam sunt necessaria.

§. 559. Quo etiam in casu refectionis impensae ea tantum taxatione possunt aestumari, qualem oeconomica huius praedii necessitas exigit.

§. 560. De aedificiis casibus aduersis aut tempore, absque possessoris vltimi culpa lata aut leui, destructis, heredes successori feudali ad praestandam satisfactionem non tenentur.

§. 561. Si vero possessor feudi defunctus eiusmodi aedificia ad habitationem aut oeconomiam necessaria anno diutius neglexit, nullam habens curam eorum, quae ad ea reficienda sunt necessaria; heredes successori feudali tenentur ad collationem proportionatam in ea reficienda praestandam.

Source : BIU Cujas

§. 562. Ad iſtam collationem, ſi amice de ea conuenire nequeunt, propius definiendam, reficiendi impenſarum ſumma tota eſt eruenda, et dein ex regulis in §. 585. ſeqq. infra dandis diiudicandum, quantum defunctus, ſi anno elapſo mutuum tam magnum ad aedificia reficienda contraxiſſet et impendiſſet, per poſterius poſſeſſionis ſuae tempus ex feudi reditibus repenſare debuiſſet.

§. 563. Praeter ea, quae in antecedentibus de pertinentiis et aedificiis praecepta ſunt, ab heredibus allodialibus nulla peti poteſt reſtitutio deteriorationum aliarum, quae ex cultura neglecta aut vſu alio, minus oeconomico, exortae perhibentur.

§. 564. At vero, ſi ſiluae, contra oeconomiae foreſtalis regulas, vendendo nimiam lignorum exciſorum copiam, ſic fuerint deuaſtatae, vt inde feudi prouentuum deterioratio in tempus longum, et minimum in annos viginti, orta ſit; ex hereditate allodiali relicta indemnitas eius praeſtanda.

§. 565. Quae quidem indemnitas in eo conſiſtit, vt pro ſucceſſoris feudalis electione feudo ex hereditate allodiali reſtituatur ſiue lignorum a defuncto minus oeconomice venditorum pretium, ſecundum rei peritorum taxationem, ſiue ſumma pecuniae ex iſta venditione minus oeconomica acceptae.

§. 566. Quae reſarciendi ſors feudo eſt adiudicanda, et tanquam feudum in pecunia conſiſtens conſtituenda.

§. 567. Eiusmodi feudum pecuniarium deuoluitur ad agnatos et ſimultanee inueſtitos omnes, eodem ordine, quo ad ſucceſſionem feudi principalis perueniunt.

§. 568. At intuitu domini directi eiusmodi ſors, feudo adiudicata, qualitatem feudalem tantum induit ſub circumſtantiis §. 30. definitis.

§. 569. Si praeterea feudum principale domino directo aperitur; ſors adiudicata cedit hereditati al-

Source : BIU Cujas

lodiali poſſeſſoris vltimi ex familia, cui ius competebat ad feudum.

§. 570. At dominus tamen directus, ſi aperturae (vacationis) tempore deterioratio, deuaſtandis ſiluis feudi ſubſtantiae exorta, nondum fuit reparata, reſtitutionem eius, quod deeſt, ex hereditate allodiali poteſt petere.

§. 571. Quae de ſiluis ſunt praecepta, valent etiam de titulis (*Rubriken*) aliis, ex quorum deuaſtatione prouentibus feudalibus eiusmodi deminutio permanens (§. 564.) eſt exorta.

§. 572. Idem obtinet, ſi ex aggerum aliarumque exſtructionum in aqua conſeruatione neglecta permanens orta eſt deterioratio, inundationibus aut arenis accumulatis.

§. 573. De refarciendi ſorte, in vtroque caſu (§. 571. 572.) ex rei peritorum aeſtumatione cognoſcenda, detrahendum eſt pretium ſoli, vti et eius, quod forſan poſt deteriorationem in tituli deuaſtati locum ſucceſſit.

§. 574. In genere in aeſtimandis feudi deminutionibus nunquam reſpiciendum eſt ad pretium ſummum, ſed ſemper tantum ad pretium medium ſolitum.

§. 575. In caſibus omnibus, vbi ab herede allodiali feudi deminutio, culpa defuncti orta, eſt praeſtanda, heres allodialis cum refarciendi ſumma compenſare poteſt meliorationes a defuncto factas et adhuc extantes, licet alias ſecundum principia antecedentia (§. 543. ſeqq.) reſtitutionem nullam poſſet petere.

§. 576. Si ſucceſſor feudalis tranſegit de praetenſionibus, quoad meliorationes et deteriorationes, adhibito domino directo et agnato, ſucceſſioni tum proximo; poſſeſſores feudales ſequentes omnes hanc transactionem oportet agnoſcere.

§. 577. Caeterum, ſi feudi poſſeſſor feudum vſu non oeconomico deminuit, ſucceſſori feudali cuilibet proximo eadem iura competunt, feudi poſſeſ-

Source : BIU Cujas

fori fines atque modum praescribendi, quae domino contra vsufructuarium. (Tit. XXI. Sect. I.)

§. 578. Si proximus feudi possessor adhuc in patria potestate possessoris praesentis est constitutus; hoc ius competit proxime eum sequenti.

§. 579. Ex successoribus feudalibus eiusdem propinquitatis pluribus quisque solus per se quoque, non accedentibus reliquis, eo iure potest vti.

§. 580. In separandis debitis, ad possessoris vltimi allodium tantum pertinentibus, ab iis, quae ex feudo vel simpliciter, vel in subsidium allodio haud sufficiente sunt soluenda, praecepta valent §. 228. seqq. et 311. seqq. 6) Intuitu debitorum.

§. 581. Quatenus possessor feudi defunctus ad feudum a debitis liberandum erat obligatus, eatenus, si iste obligationi haud satisfecerit, ex hereditate allodiali satisfactionem petere potest successor feudalis, a quo ista debita sunt suscipienda et creditoribus praestanda.

§. 582. Hinc, si ad exsoluendum debitum feudale termini fuerunt constituti; allodium successorem feudalem indemnem praestare eatenus oportet, quatenus termini ex defuncti possessionis tempore ab eo sunt suscipiendi.

§. 583. Ad feudum a debitis ad feudi substantiam pertinentibus, de quorum exsolutione termini nulli sunt praefiniti, liberandum feudi possessor regulariter non est obstrictus.

§. 584. Hinc ab heredibus eius allodialibus satisfactio peti nequit, ob eam causam solam, quod ea debita non exsoluerit.

§. 585. At contra, cuiuslibet feudi possessoris est, ex feudi fructibus atque emolumentis sensim sensimque, quantum fieri potest, debita ea feudalia, quae ad fructus et reditus tantum pertinent, licet ad ea exsoluenda termini expresse non fuerint praefiniti, persoluere, et ab iis feudum liberare.

Source : BIU Cujas

§. 586. Quibus exſoluendis, deficientibus determinationibus aliis, feudi redituum purorum partem quartam impendere obligatur.

§. 587. Quatenus igitur heredes allodiales docere non poſſunt, defunctum iſti obligationi ſuae ſatisfeciſſe; eatenus ſatisfactionem praeſtare obligantur ſucceſſori feudali, a quo iſta debita nondum exſoluta ſuſcipienda ſunt, et creditoribus ex reditibus praeſtanda.

§. 588. Vbi definiendum eſt, quanta ſit ſumma, quam feudi poſſeſſor defunctus, ex his principiis, impendere debitis feudalibus exſoluendis debuiſſet: reditus feudi per poſſeſſionis eius tempus eruendi ſunt ex rationibus ſcriptis, et his deficientibus, ex pecuniis locationis exactis, aut ex taxatione redituum oeconomica.

§. 589. De quibus reditibus non ſolum detrahendae ſunt omnes oeconomiae expenſae, et onera publica, communia atque feudalia, ſed etiam vſurae ſortium, quae ad ſubſtantiam feudi ipſam pertinent.

§. 590. Redituum purorum, deductis oneribus ſecundum §phum antecedentem praeſtandis, liberae diſpoſitioni ſucceſſoris feudalis adhuc relictorum, pars quarta demum conſtituit illud quantum, quod debuiſſet debitis exſoluendis impendere.

§. 591. Huic quanto, in eius et heredum eius allodialium fauorem, imputandae ſunt ſolutiones re vera praeſtitae ad exſoluenda debita, quorum exſolutioni termini ſunt praefiniti, aut quae ex maſſa allodiali, iam ſecundum §. 582. principium, ſucceſſori feudali ſunt reſtituenda.

§. 592. Licet feudi poſſeſſor plura exſoluerit debita, quam ſecundum principia antecedentia ſoluere erat obligatus; heredes eius allodiales ideo tamen nullam ſatisfactionem a ſucceſſore feudali poſſunt petere.

Source : BIU Cujas

§. 593. Exceptis iis casibus, si defunctus debitorum feudalium, ad quae exsoluenda termini erant constituti, in anteceſſum soluit terminos, quorum dies cadit in succeſſoris poſſeſſionis tempus;

§. 594. Atque etiam, si debita, quae feudi substantiae inhaerent, soluerit adiecta declaratione expreſſa et scripta, se heredibus suis restitutionem ex feudo reseruare;

§. 595. Neque minus, si debita, feudi subſtantiae inhaerentia, in libro hypothecario consignata exsoluerit, non quaesita eorum deletione, neque perspicue declarata voluntate, eorum deletionem petendi.

§. 596. Si feudi poſſeſſor defunctus exsoluit debitum, quod tantum vi consensus agnatorum aut simultanee inuestitorum ad feudum pertinuit, licet neque ipse neque eius anteceſſores in debitum illud consenserant; heredes eius restitutionem eius ab eo succeſſore feudali poſſunt petere, quem hoc debitum ex proprio aut anteceſſorum consensu obstrinxit.

§. 597. In quibus casibus omnibus (§. 593-596.) heredes succedunt in locum et iura creditoris, cui satisfactum est ab eo, qui hereditatem ipsis reliquit.

§. 598. At repetere tantum poſſunt sortem, a defuncto exsolutam, cum vsuris, inde ab eius obitu currentibus, nunquam autem vsuras, a defuncto solutas.

§. 599. Intuitu omnium, quae succeſſor feudalis ex allodio iure potest petere, ei ius competit praelationis, in ordinatione concursus accuratius definitum.

§. 600. At contra, heredes allodiales ob ea, quae ex feudo petunt, iure retentionis non fruuntur.

§. 601. At iis licet, iura (praetensiones) sua, donec melius fuerint cognita, et de eorum satisfactione sententia fuerit lata, in librum hypothecarium referenda curare; aut vsque dum iis satisfactum sit, iudicialem petere feudi administrationem.

Source : BIU Cujas

XIV. De mutatione et limitatione qualitatis feudalis.

§. 602. Rei qualitas feudalis consentientibus, quorum interest, omnibus ex alia re in aliam potest transferri.

§. 603. Quidquid in locum feudi antiqui succedit, respectu iurium eorum, quorum interest, eandem qualitatem induit, quam habuit antiquum.

§. 604. Iam vero si noua res qualitatem feudalem respectu personae alterius cuiusque debeat nanciscí; haec qualitas, si res est immobilis, in librum hypothecarium referatur, necesse est.

De pecunia feudali. (*Lehnsflämmen.*)

§. 605. Ii, quorum in feudo interest, qualitatem feudalem, si omnes consentiunt, ad certam eius partem possunt restringere.

§. 606. At de eiusmodi tamen restrictionibus eadem valent, quae de dispositionibus de feudo in genere praecepta sunt. (§. 262. seqq.)

§. 607. Si inter eos, quorum interest, in feudo iam constituto pecunia feudalis est constituta; in casu dubio eo non mutatur totius praedii feudalis qualitas.

§. 608. Quin potius possessor eo tantum ius acquirit, feudum ad pretii partem, quae pecuniam feudalem constitutam excedit, valide obaerandi, etiam sine consensu agnatorum aut simultanee inuestitorum.

§. 609. Quo iure si viuus non est vsus; heredibus eius allodialibus ius nullum competit in hoc feudi pretio, feudale pretium excedente.

§. 610. Si vero in constituenda pecunia feudali expresse est definitum, quantum determinatum feudum tantummodo esse debere; praedium ipsum intuitu contrahentium, quorum interest, qualitatem liberi allodii nanciscitur, et pecunia feudalis ipsa considerauda est tanquam feudum pecuniarium. (§. 73. sqq.)

§. 611. Si ex pecunia, in diuisionibus aut alias ex feudo exsoluta, aliud praedium est emtum, et quantum ex feudo solutum in praedio nouiter emto, tanquam pecunia feudalis, consignatum (intabulatum),

Source : BIU Cujas

in casu dubio praedium nouum ipsum indolem seruat allodii liberi. (§. 340-343. §. 502-505.)

§. 612. Pecunia autem feudalis, in eo assecurata, induit qualitatem feudi pecuniarii.

§. 613. Hinc in eam pecuniam feudalem in regula eodem modo succedunt, quo in praedium principale, ex quo est exsoluta. (§. 502-506.)

§. 614. Quibus in casibus vasallus ob feloniam commissam vtili feudi dominio priuetur, supra est definitum. (§. 153. seqq.) XV. Amissio feudi per feloniam.

§. 615. Ob feloniam classis primae admissam vasallus et eius posteri, feudorum capaces, feudo priuantur.

§. 616. Ob feloniam secundae classis, licet in se feudi priuatione esset punienda, vasallus ipse tantum feudo excidit; non eius posteri, delictum non participantes.

§. 617. Quin iis potius per tempus interiectum, quo dominus directus feudum vasallo ereptum possidet, eoque vtitur, ex feudo alimenta sunt praebenda, deficiente patrimonio alio sufficiente.

§. 618. Agnati aut simultanee inuestiti ob feloniam a vasallo commissam, cuius ipsi non fuerunt participes, iure in feudum ipsis competente nullo in casu priuantur.

§. 619. Simulac igitur successio ad successorem feudalem deuoluitur, qui poenas feloniae vasalli secundum principia supra dicta dare cum illo non meruit, huic dominum directum feudum, vasallo ereptum, restituere oportet.

§. 620. Quamdiu dominus directus feudum eo modo possidet, ipsum ex eo onera et obligationes legitimas aut ipsius consensu impositas ferre oportet omnes, vti feudi possessor alius omnis.

§. 621. Si feudi emtor prius, quam emtionis venditionis pretium totum soluit, feudo priuatur; do-

Source : BIU Cujas

minus directus, feudum emtori eripiens, venditori ea, quae nondum soluta sunt, debet soluere.

§. 622. Hinc si feudum secundum praeceptum §. 619. successori feudali est restituendum; dominus directus huic tenetur ad tradendum feudum in eo statu, quo illud a vasallo accepit antecedente.

§. 623. Hinc tempore interiecto eatenus tantum potest alienationes constituere, aut alias feudo imponere onera et obligationes nouas, quatenus alii fundi possessori hoc ius competit.

§. 624. Feudi ob feloniam commissam priuatio praesupponit, eam fuisse a domino denuntiatam, et causa cognita sententiam feudi priuatoriam latam.

§. 625. Vasallo mortuo, antequam sententia, de feudo ad feloniam puniendam eripiendo, in prima minimum instantia fuit lata; ne in casu §. 615. quidem sententia priuatoria in detrimentum heredum eius feudalium locum amplius habet.

§. 626. Domino directo mortuo, antequam actionem ob feloniam commissam instituit, haec actio successoribus eius non amplius datur.

§. 627. At contra, mors dominum directum tantum repraesentantis non mutat ius, actionem priuatoriam instituendi.

§. 628. Si occasione facti, quo felonia est commissa, dominus directus vitam amisit; successori eius competit ius, feloniae nondum condonatae actionem instituendi.

§. 629. Si felonia expresse est remissa, neque dominus directus neque eius successor actionem eius instituere amplius possunt.

§. 630. Si dominus inde ab eo tempore, quo felonia commissa ipsi innotuit, annum integrum, praeterlabi passus est, actione iudiciali nulla instituta; felonia habenda est remissa.

§. 631. At vero, si tempus, quo felonia commissa in domini directi notitiam peruenerit, cognosci ne-

Source : BIU Cujas

quit ; ius actionis priuatoriae inſtituendae demum exſpirat elapſo quinquennio, a tempore feloniae commiſſae.

§. 632. Si dominus directus eſt perſona moralis, perſonam moralem repreſentans feloniam, contra dominum directum commiſſam, condonare nequit ſine conſenſu eorum, quos repraeſentat.

§. 633. At contra, praeſcriptio quinquennalis §. 631. expoſita quoque contra eiusmodi dominum directum locum habet.

§. 634. Iactura actionis inſtituendae ad priuationem feudi, ſine domini conſenſu alienati, nondum infert amiſſionem iuris domino directo competentis, feudum, exorto alio aperturae ſ. vacantiae caſu, a tertio detentore repetendi.

§. 635. Quidquid praeceptum eſt de felonia, a feudi poſſeſſore commiſſa, valet quoque de felonia, ab agnato aut coinueſtito commiſſa.

§. 636. At ſententia tamen priuatoria, contra agnatum aut ſimultanee inueſtitum lata, tum demum vim exſerit ſuam, ſi ipſe delinquens, et in caſu §. 615. aliquis ex eius ſucceſſoribus feudalibus, ſecundum ordinem ſucceſſorium, ad feudi poſſeſſionem eſſet peruenturus.

§. 637. Si vaſallus, aut is, cui ius in feudum ſuccedendi competit, anteceſſoris vitae inſidias ſtruxit, aut conuaſallorum aliquem prodidit; pro ſua perſona feudo fit indignus.

§. 638. Quod feudum tunc deuoluitur ad eum, qui poſt eum eſt proximus.

§. 639. Si vero vaſallus criminis laeſae maieſtatis in principem, qui non ſimul eſt dominus directus, ſe reum fecit; feudi fructus et emolumenta fiſco cedunt, dum delinquens aut eius ſucceſſores feudales exiſtunt.

§. 640. Si dominus ob feloniam contra vaſallum commiſſam (§. 164.) priuatur dominio directo, quod

Source : BIU Cujas

dominio poſſedit libero ; feudum reſpectu eius fit liberum, et qualitatem feudalem tantum ſeruat intuitu agnatorum et ſimultanee inueſtitorum. (§. 654. ſeqq.)

§. 641. At ſi dominus directus, feloniam admittens, dominium directum ipſum tanquam feudum aut fideicommiſſum poſſedit ; dominium directum tantum quieſcit, vſque donec alius feudi aut fideicommiſſi ſucceſſor peruenerit ad dominii directi poſſeſſionem.

§. 642. Nec liberi eiusmodi domini directi de felonia a patre commiſſa reſpondent.

XVI. De modis, quibus nexus feudalis definit.

§. 643. Niſi contractus feudalis aliud expreſſe exigit, vaſallus a ſua parte ſolus ius ſuum in feudo poteſt refutare.

1) Refutatione a vaſallo facta.

§. 644. Abdicatio (refutatio) iuris in feudo, per inueſtituram nondum accepto, non niſi in proximi ſucceſſoris feudalis commodum vim et efficaciam poteſt habere.

§. 645. Si vero vaſallus feudo iam eſt inueſtitus, eoque ſe in alius, quam ſucceſſoris feudalis proximi, fauorem abdicat; eiusmodi actus ex principiis de alienandis feudis vnice eſt diiudicandus. (§. 302. ſeqq.)

§. 646. Renuntiatione feudi delati aut re vera iam accepti, ſiue expreſſe facta ſit in fauorem certi ſubiecti, ſiue ſine vllo additamento, renuntians nondum amittit ius in delationibus futuris, quatenus his non ſimul expreſſe renuntiauit.

§. 647. Quatenus feudi poſſeſſor obaeratus in creditorum allodialium praeiudicium feudum refutare poſſit, ex iisdem principiis eſt diiudicandum, quae in genere de obaerati iure, de bonis ſuis diſponendi, in ordinatione concurſus praeſcripta ſunt.

§. 648. Ex iisdem principiis definiendum quoque eſt ius obaerati, feudi ipſi delati ante aut poſt concurſum motum reſignandi.

§. 649.

Source : BIU Cujas

§. 649. Si feudum, cui quis renuntiauit, poſtea ad reſignantem redit, hic feudum iterum ſuſcipere debet cum debitis et oneribus omnibus, ad quae de eo refutationis tempore exſoluenda erat obligatus.

§. 650. Quatenus temporis interiecti poſſeſſor eiusmodi debita exſoluit, animo reſignantem ab iis liberandi non expreſſe declarato; eatenus eius heredes allodiales, ab hoc, tanquam feudum nouiter accipiente, ſatisfactionem poſſunt petere.

§. 651. Dominus etiam directus in regula dominium ſuum directum ſolus a parte ſua poteſt refutare. 2) Refutatione a domino directo facta.

§. 652. Renuntiatio domini directi diſſolutionem nexus feudalis tunc demum producit, ſi refutans ſ. abdicans dominium directum dominio libero poſſedit.

§. 653. Si nexus feudalis debeat diſſolui compenſatione, pro diſſolutione domino directo praeſenti praeſtanda; vaſallus ad eam agnoſcendam inuitus cogi non poteſt.

§. 654. Nexus feudalis diſſolutione ex parte domini directi non mutantur agnatorum et ſimultanee inueſtitorum iura.

§. 655. At vero exſpirant expectatiuae et euentuales inueſtiturae omnes, a domino directo datae, et occaſione allodificationis expreſſe non exceptae.

§. 656. Feudum allodificatum igitur liberi fit dominii apud poſſeſſorem vltimum, qui non amplius habet agnatos, quibus pacto originario feudali ius ſuccedendi competit, neque ſimultanee inueſtitos.

§. 657. Solo neglectu exercitii iurium, ex dominio directo oriundorum, qualitas feudalis non ſoluitur, neque feudum mutatur in rem dominii liberi. 3) Praeſcriptione

§. 658. Si vero poſſeſſor voluntatem, rem dominio libero poſſidendi, actibus publicis ſignificauit, et dominus directus, declaratione iſta comperta, per temporis ſpatium, ad ſolitam praeſcriptionem contra ip-

Source : BIU Cujas

ſum requiſitum, acquieuit; immunitas ab obligatione feudali eſt acquiſita.

§. 659. At vero et haec praeſcriptionis ſpecies locum non habet, dum domini directi ius ex libro hypothecario apparet.

§. 660. Praeſcriptio contra dominum directum abſoluta non obſtat eius agnatis et ſimultanee inueſtitis, qui eius heredes non ſunt facti.

§. 661. At contra, ea praeſcriptio quoque prodeſt vaſalli praeſcribentis agnatis et ſimultanee inueſtitis.

§. 662. Praeſcriptione contra dominum directum abſoluta ſola non mutantur iura inter vaſallum et eius agnatos aut ſimultanee inueſtitos.

§. 663. Seruitiorum feudalium exactorum denegatione ſola vaſallus poſſeſſionem immunitatis a nexu feudali nondum acquirit, quatenus non ſimul cum ea expreſſe negata eſt qualitas feudalis in genere.

§. 664. At omnino immunitas ab his ſeruitiis feudalibus eiusmodi praeſcriptione poteſt acquiri.

§. 665. Si extraneus fundum in libro hypothecario intabulatum, aut eiusmodi ius, cuius autem qualitas feudalis non eſt notata, legitime examinatis inſtrumentis, poſſeſſoris praeſentis titulum fundantibus, titulo per ſe legitimo et bona fide tanquam allodium ſibi acquiſiuit, liberum rei dominium acquirit ſolita praeſcriptione contra omnes, quibus ius in feudo competit, a die, quo titulum, ex quo poſſidet, intabulandum curauit.

§. 666. Si vero res feudali qualitati obnoxia ipſa in libro hypothecario non fuit conſignata, ius in feudo habentes contra tertium, qui bona fide acquiſiuit, amittunt iura ſua, praeſcriptione per non-vſum, ab eo tantum die, quo quisque eorum iure ſuo contra poſſeſſorem potuit vti.

§. 667. At contra, quamdiu rei qualitas feudalis ex libro hypothecario apparet, tamdiu in poſſeſſoris fauorem currere non poteſt praeſcriptio contra do-

Source : BIU Cujas

minum directum, et eos agnatos aut simultanee inuestitos, qui ius suum consignandum curarunt.

§. 668. Contra in feudis, quae tanquam feuda in libro hypothecario sunt consignata, intuitu agnatorum et simultanee inuestitorum, qui iurium consignationem neglexerunt, praecepta obtinent §. 290. et 291. exposita.

§. 669. Quatenus dominus directus dominium vtile praescriptione possit acquirere, ex praeceptis generalibus de praescriptione per possessionem est diiudicandum.

§. 670. Feudum aperitur morte subsecuta omnium ad successionem feudalem vocatorum. 4) Morte omnium, quibus ius in feudo competit.

§. 671. Idem obtinet, si vltimus feudi possessor, et eorum, quibus ius in feudo competit, vltimus iuri renuntiat, aut feudo ob feloniam commissam priuatur.

§. 672. Nisi singularis sit obligatio, vi cuius dominus directus feudum apertum iterum alii in feudum concedere est obstrictus; plenum eius dominium ei cedit.

§. 673. Si feudum apertum subfeudum tantum fuit, dominium vtile redit ad dominum, qui subinfeudauit.

§. 674. Si dominium directum ipsum in feudum est datum; morte subsecuta successorum feudalium omnium, ad possessionem vocatorum, illud aperitur ei, qui dominium directum in feudum concessit.

§. 675. Si dominium directum fuit fideicommissum; illud omnibus, quorum ex fideicommisso interest, mortuis transfertur ad heredes possessoris vltimi allodiales.

§. 676. Quod idem fit in casibus omnibus, vbi dominium directum ipsum qualitatem tantum allodii habet.

§. 677. Eo, quod iura domini et vasalli, ad aliquod tempus coniunguntur in persona dominum directum aut vasallum repraesentantis, non mutatur feudalis rei qualitas. 5) Consolidatione.

Source : BIU Cujas

6) Interitu rei.

§. 678. Interitu rei feudalis integrae vasallus ab omnibus officiis liberatur feudalibus.

§. 679. Quod si non res feudalis integra, sed pars tantum eius interiit; aut si res alia in eius locum successit; vasallus potest petere, vt proportione aequa deminuantur seruitia feudalia, aut quae alias sunt praestanda. (Tit. XVI. §. 2. seqq.)

Sectio Secunda.

De emphyteusi.

Definitio et principia.

§. 680. Si cui possessio et vsusfructus (dominium vtile) fundi, sub lege canonis vniformis et perpetui praestandi est concessus; eiusmodi fundus vocatur praedium censiticum.

§. 681. Regulariter fundi possessori dominium competit plenum et censu tantum oneratum.

§. 682. Si apparet, possessorem censitum non esse dominum: statuitur, censum accipienti dominium competere plenum, at possessoris tamen iure vtendi limitatum. (Tit. XXI. Sect. IV.)

§. 683. Si vero possessori vtile fundi dominium sub lege praestandi canonis est concessum, reseruato hunc canonem accipienti dominio directo; eiusmodi fundus vocatur emphyteuticus, dominus vtilis emphyteuta, et dominus directus dominus emphyteuticus.

§. 684. An eiusmodi dominium diuisum existat, in primis diiudicandum est ex documentorum, quibus ius possessoris nititur, sententia.

§. 685. Simulac est definitum, canonem praestari in recognitionem dominii directi accipientis, possessor emphyteuta habendus.

§. 686. Si apparet, fundum possessori primo fuisse concessum, tanquam fundum nondum cultum, sub lege eum colendi, et canonis certi semel pro semper determinati soluendi; obscura primarum con-

Source : BIU Cujas

ceſſionis literarum verba ex regulis de iure emphyteutico ſunt explicanda.

§. 687. Quae qualitatis fundi emphyteuticae praeſumtio firmatur, ſi prima conceſſio ab eccleſia, communitate, aut perſona morali alia eſt data.

§. 688. Qualitas emphyteutica tantum in fundis aut iuribus vtilibus poteſt ſtatui. Quae res emphyteuſi dari poſſint.

§. 689. Conceſſiones nouae emphyteuſi ab eo tantum dari poſſunt, cui facultas competit, de vtili rei dominio diſponendi. Quis res emphyteuſi dare poſſit.

§. 690. Quatenus quis ad alienandum ratihabitione ſuperiori indiget, eatenus ea ad conſtituendam quoque emphyteuſin eſt neceſſaria.

§. 691. Pactum de eiusmodi noua iuris emphyteutici conceſſione ſemper in iudicio celebretur, neceſſe eſt. Forma.

§. 692. Quin etiam, ſi cui in vltima voluntatis diſpoſitione ius emphyteuticum eſt conceſſum, hunc cum concedentis herede pactum ſolenne de eo in iudicio celebrare oportet.

§. 693. Si in eiusmodi vltimae voluntatis diſpoſitione canonis praeſtandi ſumma neque in ſe neque per relationem ſufficienter eſt definita; diſpoſitio omnis deſtituitur effectibus.

§. 694. In praediis emphyteuticis, proprie ſic dictis, ſtatuitur, dominium vtile poſſeſſori pro ſe et heredibus ſuis eſſe conceſſum. Ad quem iuris emphyteutici conceſſio extenditur.

§. 695. Si ius emphyteutae ad certos tantum conſanguinitatis gradus aut ad certas generationes adſtrictum eſſe debeat; id quidem ex literis conceſſionis clare appareat neceſſe eſt.

§. 696. Emphyteutae competunt dominii vtilis iura omnia. (§. 5 - 12.) Iura et officia emphyteutae.

§. 697. Ei ius competit, dominium vtile ſibi competens, prout ipſi neceſſe eſt, onerandi, et non ſolum inter viuos ſed etiam mortis cauſa alienandi. In primis intuitu alienationum,

Source : BIU Cujas

§. 698. Ad alienationes inter viuos tamen conſenſus domini emphyteutici requiritur.

§. 699. Qui quidem conſenſus expreſſe et in ſcriptis declaretur neceſſe eſt.

§. 700. At vero, ſi dominus emphyteuticus alienationis inſtrumentum ſimul ſubſcripſit, aut confirmauit, tanquam dominus, cui iurisdictio competit; hoc quidem expreſſo conſenſui aequiparandum.

§. 701. Dominus emphyteuticus conſenſum tum tantum poteſt denegare, ſi poſſeſſor nouus ita eſt inhabilis, vt praedio neque ipſe, neque per alios poſſit recte praeeſſe, neque onera ei impoſita praeſtare.

§. 702. Si alienatio absque domini emphyteutici conſenſu eſt facta; hic quouis tempore poteſt petere, vt poſſeſſore nouo inhabili iterum deiecto praedium emphyteuticum transferatur in alterum, qui ei recte poteſt praeeſſe.

§. 703. Dum hoc non eſt factum, domino emphyteutico ius ſeruatur, ob canonem et praeſtationes, ex praedio ipſi competentes, emphyteutae ſine ſuo conſenſu decedentis perſonam quoque et bona reliqua apprehendendi, vt ipſi inde ſatisfiat.

§. 704. Si vltima voluntate praedium emphyteuticum conceſſum eſt poſſeſſori inhabili, qui eſt ex defuncti heredibus (ſucceſſoribus) legalibus proximis; dominus emphyteuticus tantum petere poteſt, vt conſtituatur proemphyteuta idoneus.

§. 705. Si vero poſſeſſor inhabilis, in voluntate vltima ſcriptus, non eſt ex defuncti heredibus legalibus proximis; dominus petere poteſt, vt praedium intra annum ad poſſeſſorem transferatur idoneum.

§. 706. Quod ſi factum non eſt, prouocare poteſt, vt praedium in iudicio publice vendatur poſſeſſori idoneo.

intuitu oppignorationum.

§. 707. Ad oppignorandum emphyteutae domini directi conſenſus in ſe non opus eſt.

§. 708. Dominus autem quoque, cui praedium emphyteuticum aperitur, debita praedio inhaerentia

Source : BIU Cujas

eatenus tantum agnoſcere et ſuſcipere obligatur, quatenus ad ea exſoluenda ſufficiunt illa, quae arrham (praenumerationem) ſolutam et meliorationes compenſando ſecundum §. 791. ſeqq. eſſent repenſanda.

§. 709. Debita plura et onera alia, quae emphyteuta praedio impoſuit, dominus directus, ſi praedium ad ipſum redit, eatenus tantum agnoſcere eſt obſtrictus, quatenus in ea expreſſe conſenſit.

§. 710. Dominus directus in quauis praedii venditione intra menſes duos iure protimiſeos gaudet. (Tit. XX. Sect. III.) Ius protimiſeos domini directi.

§. 711. Protimiſeos ius autem ceſſat, ſi dominus emphyteuticus expreſſe conſentit, vt praedium certae perſonae vendatur.

§. 712. Conſenſu generali in venditionem generatim, nondum iure excidit ſuccedendi in locum et conditiones emtoris propius denuntiati.

§. 713. Iuribus antecedentibus omnibus, domino directo reſeruatis, hic in praeiudicium tertii tunc tantum poteſt vti, ſi dominium directum in librum hypothecarium referendum curauit.

§. 714. Emphyteuta nouus omnis domino directo ad laudemium ſoluendum tenetur. Laudemium.

§. 715. Et in locatione conductione perpetua praedii emphyteutici laudemium quoque praeſtandum eſt, quotiescunque defertur ad emphyteutam et locatorem conductorem perpetuum nouum.

§. 716. Non niſi lineae deſcendentis heredes ab onere laudemii praeſtandi ſunt immunes.

§. 717. Qui neque ſoluere laudemium obligantur, ſi praedium emphyteuticum ipſis iam inter viuos ceditur.

§. 718. Qui vi legum, pacti, aut vltimae voluntatis praedium cum alio communiter poſſederunt, plene ſoluunt laudemium, ſi ipſis, compoſſeſſore defuncto, ſolis cedit poſſeſſio; quatenus illud nondum pro rata praeſtiterunt in acquirenda compoſſeſſione.

Source : BIU Cujas

§. 719. Quae praecepta antecedentia, in quibus casibus laudemium soluendum sit, eatenus tantum valent, quatenus non aliud est definitum in literis emphyteuseos, aut consuetudine in certa emphyteusi vsitata.

§. 720. Laudemium, deficientibus aliis determinationibus, quinquagesima emtionis venditionis pretii parte est soluendum.

§. 721. At pretium tamen inuentarii simul venditi de emtionis venditionis pretio eatenus detrahendum, quatenus emphyteutae, cum primum praedium emphyteuticum susciperet, inuentarium a domino non est traditum, neque ille ex causa legitima alia vlla praedio illud relinquere est obstrictus.

§. 722. At contra, si emphyteuta absque consensu domini directi praedium onere annuo aut seruitute onerauit, eoque emtionis venditionis pretium deminuit, pretium, quanti onus aestimatur, ad sortem redactum, emtionis venditionis pretio, in definiendo laudemio, in domini directi fauorem, est adnumerandum.

§. 723. Si emphyteuta nouus debita praedio inhaerentia suscipit, praeter promissum emtionis venditionis pretium; ea quoque in definiendo laudemio emtionis venditionis pretio adnumeranda sunt sine discrimine, vtrum dominus emphyteuticus in ea consenserit, an minus.

§. 724. Si emtor praeter emtionis venditionis pretium venditori alia adhuc concessit commoda, quae pecunia possunt aestumari: ea quoque adnumerantur emtionis venditionis pretio pacto, in determinando laudemio.

§. 725. Si partes venditionis emtionis pretium minus in fraudem laudemii in emtionis venditionis instrumento simularunt; laudemium de summa celata duplum est soluendum.

§. 726. Si partes pretium in instrumento, ne dominus iure protimiseos vtatur, maius simularunt; hic iure suo intra duos adhuc menses a tempore simulationis cognitae potest vti.

Source : BIU Cujas

§. 727. Si praedium emphyteuticum, absque determinatione pretii, vi cauſae alius vllius legitimae in nouum emphyteutam tranſit; laudemium ex nouiſſimo emtionis venditionis pretio determinatur.

§. 728. Sin vero praedium emphyteuticum antea nunquam, aut intra annos triginta vltimos non eſt venditum, neque eius pretium alio modo determinatum; deficiente partium conuentione, ex aeſtumationis principiis, in prouincia aſſumtis, praedium eſt aeſtimandum.

§. 729. At in eiusmodi taxatione tamen, vti in feudis, modorum et pretiorum minimorum tantum habenda eſt ratio. (§. 492.)

§. 730. Domini directi perſona mutata laudemii ſolutio regulariter locum non habet.

§. 731. Laudemium emphyteuta nouus demum, facta iudiciali praedii emphyteutici adſcriptione, debet ſoluere.

§. 732. Emphyteuta nouus regulariter quoque obſtrictus eſt, nouas emphyteuſeos redimere literas.

§. 733. In quibus praedii emphyteutici pertinentiae, canon et emphyteutae officia reliqua ſingularia, quam accuratiſſime deſignentur neceſſe eſt, ad praecauendam eorum obſcurationem.

§. 734. At domino tamen in ſententia (ſ. contextu) literarum emphyteuticarum, nouo acquirente inuito, vti in literis inueſtiturae feudalibus, nihil mutare licet.

§. 735. At contra, neque dominus emphyteuſeos tenetur ad euictionem praeſtandam pertinentiarum, ex literarum emphyteuticarum antiquarum fundamento in literis recentioribus deſignatarum.

§. 736. Si acquiſitio, adſcriptione iam facta, tollitur tanquam nulla atque inualida; laudemium ſolutum poteſt repeti ſ. condici.

§. 737. At contra ſi lis, inter emphyteutam praeſentem et praecedentem, vel etiam inter tertium, de

Source : BIU Cujas

acquisitionis validitate orta, ita dirimitur, vt emphyteuta praesens praedium emphyteuticum petenti cedat, satisfactione ipsi praestita; emphyteuta praesens laudemium solutum repetere nequit.

§. 738. Pro nouo quoque emtionis venditionis negotio habetur, si contrahentes, adscriptione facta, a contractu semel perfecto sponte recedunt.

§. 739. At contra, si emtio venditio, ab initio sub conditione perfecta, dissoluitur conditione resolutiua existente, laudemium debet restitui.

§. 740. Qui vi iuris reemtionis reseruati praedium emphyteuticum olim possessum iterum sibi acquirit, nihilominus laudemium debet soluere.

§. 741. Neque retrouenditor, nisi de alio expresse fuerit conuentum, a reemtore petere potest restitutionem laudemii, quod in acquirendo ipse debuit praestare.

§. 742. Si emphyteutae vltimi heredes laudemium communiter praestiterunt; laudemium ab eo, cui praedium in diuisione post secuta est adscriptum, denuo peti non potest.

§. 743. Pluribus emphyteutae heredibus (successoribus) annus ad deliberandum est concedendus, vtrum praedium emphyteuticum in posterum communiter malint possidere, an illud adiudicare vni, reliquis satisfacturo.

§. 744. At vero, si neque intra hoc spatium separationem perficere possunt; vlterius anni spatium denegari iis nequit.

§. 745. Quo spatio nondum elapso dominus directus heredes impellere nequit, ad laudemium communiter praestandum.

§. 746. At duplici spatio elapso, non solum heredes praedium emphyteuticum communiter possidentes laudemium communiter debent praestare, sed idem etiam, si postea praedium emphyteuticum vni ex illis soli cedit, ab hoc solo est soluendum.

Source : BIU Cujas

§. 747. Canon non praeſtatur in compenſationem fructuum et emolumentorum, ſed potius in recognitionem dominii directi. Canon.

§. 748. Canon in parata pecunia, atque etiam in fructibus conſiſtere poteſt.

§. 749. Emphyteuta cononem tempore praeſtituto ſine vlla recuſatione ſoluere eſt obſtrictus.

§. 750. Si terminus, quo canon praeſtandus, non eſt propius in literis emphyteuticis determinatus; praeſumitur, canonem annis ſingulis intra diem Michaelis et Martini eſſe praeſtandum.

§. 751. Canon in fructibus conſtitutus ſemper eſt praeſtandus in fructibus optimi generis, ex praedio emphyteutico perceptis.

§. 752. Canon ſine partis vtriusque conſenſu neque poteſt mutari, neque pecunia pro fructibus, neque fructus pro pecunia exigi poſſunt aut praeſtari.

§. 753. Quamdiu eiusmodi mutatio expreſſa, partis vtriusque conſenſu, non eſt ſecuta; modum praeſtationis originarium pars quaeque poteſt redintegrare, licet ex multis annis canonis ſolutio alio modo fuerit praeſtita et accepta.

§. 754. Emphyteutae canonem retinere non licet ob praetenſionem contrariam, cum canone ſoluendo nullo nexu iunctam.

§. 755. Si praedium emphyteuticum ſimul poſſidetur a pluribus dominis vtilibus; omnes in ſolidum ad canonem praeſtandum tenentur.

§. 756. Si vero praedium emphyteuticum cum officiis cohaerentibus omnibus, conſentiente domino directo, inter plures compoſſeſſores eſt diuiſum; quisque tantum ſuam praeſtat ratam.

§. 757. Canon ab origine conſtitutus augeri ſub praetextu nullo poteſt.

§. 758. At contra, neque emphyteutae ius competit, ob caſus aduerſos et emolumentorum atque fructuum deminutionem petendi canonis remiſſionem. Canonis remiſſio.

Source : BIU Cujas

§. 759. Si praedium emphyteuticum, ſine emphyteutae culpa, in vno anno atque altero fructus tulit, canone ſoluendo minores; emphyteuta indulgentiam tantum petere poteſt.

§. 760. Idem obtinet, ſi emphyteuta fructibus, ex praedio emphyteutico iam re vera perceptis, caſu aut vi ſuperiori plane eſt priuatus.

§. 761. Si caſuum iſtorum aduerſorum inſolitorum indulgentiae omni expreſſe in pacto eſt renuntiatum; renuntiatione eſt ſtandum.

§. 762. Si vero absque emphyteutae culpa caſus fortuitus aut vis ſuperior emphyteutam, per annum vnum aut annos plures eo deduxit, vt dominium vtile exercere plane non potuerit; canon ab eo exigi pro hoc tempore nequit.

§. 763. Fundi emphyteutici conceſſi iactura aut interitu, absque emphyteutae culpa accidente, emphyteuta liberatur a canonis praeſtandi obligatione, quatenus calamitatis exortae tempore canon nondum erat ſoluendus, aut eius dies nondum venerat.

§. 764. Si aedificium in emphyteuſin conceſſum incendio aut alio caſu fortuito deletur; emphyteuta ab obligatione canonis ſoluendi liberatur.

§. 765. At contra area quoque cedit domino directo, vt de ea libere diſponat.

§. 766. Si emphyteuta area ad reſtaurandum aedificium velit vti; haec quidem ipſi eſt cedenda, ſed canonem etiam vti antea, ſine deminutione vlla debet ſoluere.

§. 767. Per tempus tamen interiectum, ad reſtaurandum neceſſarium, canon ab ipſo exigi non poteſt.

§. 768. At vero, ſi emphyteutae non niſi ſolum ad exſtruendum aedificium in emphyteuſin erat datum; deleto aedificio, canonis praeſtandi obligatio in ſe non mutatur.

Source : BIU Cujas

§. 769. Quo tamen in caſu ad ſoluendum canonem indulgentiam poſtulare poteſt aequam.

§. 770. Si canon non praeſtandus eſt de fundo toto per auerſionem; ſed canon ſingularis pactus eſt de partibus aut corporibus ſingulis ſub fundo comprehenſis: iactura aut interitus eiusmodi partis aut corporis liberat a canone pro his partibus praeſtando.

Iuris emphyteutici priuatio ob canonem non ſolutum,

§. 771. Qui officio ſuo erga dominum emphyteuticum, in canone praeſtando, aut in aliis mala fide ſe ſubtrahere conatur, priuatur ipſo iure ſuo emphyteuticario.

§. 772. Quod idem locum habet, ſi emphyteuta canonem per tres annos integros non ſoluit.

§. 773. Quod triennium in praediis emphyteuticis omnibus valet, ſine domini emphyteutici qualitatis perſonalis diſcrimine.

§. 774. At vero, ſi in literis emphyteuſeos expreſſe determinatum eſt temporis ſpatium longius aut breuius, quo elapſo neglectam ſolutionem iuris priuatio ſequi debeat; hoc ſpatium eſt attendendum.

§. 775. Emphyteutam contra morae effectus noxios tueri tantum poſſunt legales excuſationis cauſae (§. 759. 760.) aut circumſtantiae, quae ſine ipſius culpa vlla eum impediuerunt, quo minus canonem ſoluerit.

§. 776. Defectus rei familiaris (ſubſtantiae), ad ſoluendum canonem neceſſariae, nunquam excuſandi cauſam praebere poteſt validam.

§. 777. Si dominus emphyteuticus ſolutiones accepit particulares; poena commiſſa habetur remiſſa.

§. 778. Idem obtinet, ſi emphyteuta, interpellatione priuata ipſi facta, ſoluit canonem reſtantem intra dies quatuordecim, ab interpellationis inſinuatae tempore.

§. 779. Si dominus emphyteuticus, nulla praeuia interpellatione priuata, ſtatim inſtituit actionem pri-

Source : BIU Cujas

uatoriam; emphyteuta morae poenam eo poteſt auertere, quod ſtatim poſt citationem inſinuatam, et quidem ante primum terminum, ſolutionem reſtantis canonis offert in pecunia numerata.

§. 780. Intra quod temporis ſpatium dominum emphyteuticum etiam accipere oportet canonem reſtantem a tertio oblatum; licet hic ſpeciali debitoris ipſius mandato ad ſoluendum canonem non ſit inſtructus.

§. 781. Quo termino autem elapſo dominus directus ſolutionem canonis reſtantis oblatam neque a debitore ipſo, neque a tertio accipere obligatur; ſed priuationem praedii emphyteutici poteſt vrgere.

§. 782. Emphyteuta morante ante actionem inſtitutam mortuo, dominum emphyteuticum illius heredes interpellare oportet de canone reſtante, eumque intra hebdomadas ſex, poſt factam interpellationem, ab his accipere.

§. 783. Si interpellatio facta eſt ante deliberandi tempus legale elapſum; ſex hebdomadae tantum a fine huius temporis computantur.

§. 784. Si tempore mortis emphyteutae actio quidem priuatoria iam erat inſtituta, ſed res nondum iudicata, heredes priuationem imminentem auertere adhuc poſſunt, ſi intra hebdomadas ſex, poſt ſpatium deliberandi elapſum, canonis reſtantis ſolutionem paratam offerunt.

§. 785. Si dominus directus eſt mortuus, iure ſuo contra emphyteutam morantem non vſus; ius illud nihilominus ab eius heredibus poteſt exerceri.

§. 786. Minores et alii, legibus propria rerum ſuarum adminiſtratione interdicti, ob canonis ſolutionem, a curatoribus aut adminiſtratoribus neglectam, iure ſuo nondum priuantur.

§. 787. Quin potius in eo caſu dominus emphyteuticus agere tantum poteſt ad canonis reſtantis et

Source : BIU Cujas

ad morae vſurarum ſolutionem, et ad puniendum adminiſtratorem morantem.

§. 788. Idem obtinet, ſi a compoſſeſſoribus pluribus proemphyteuta communis conſtitutus eſt, domino emphyteutico conſentiente.

§. 789. Quo etiam in caſu dominus emphyteuticus ſimul petere poteſt, vt proemphyteuta conſtituatur alius.

§. 790. Si dominium vtile, vna cum obligatione canonis praeſtandi, conſentiente domino directo, inter plures poſſeſſores eſt diuiſum; iuris iacturam compoſſeſſor morans pro ſua tantum rata ſentit.

§. 791. Dominum directum, qui emphyteutam priuat iure ſuo, ei, qui huc vſque fuit emphyteuta, reſtituere oportet arrham, in accipienda emphyteuſi forſan ſolutam, non vero laudemium; et ei pro melioratione factis ſatisfacere, vti bonae fidei poſſeſſori.

§. 792. Intuitu quoque deteriorationum eadem obtinet ratio, quae inter dominum et bonae fidei poſſeſſorem.

§. 793. At vero, ſi emphyteuta non ſolum negligentiae in praeſtandis officiis ſe reum reddidit, ſed contra ea conſulto egit; inde a temporis momento, quo eiusmodi propoſitum ſignificauit, intuitu meliorationum et deteriorationum etiam, malae fidei poſſeſſor habetur.

§. 794. Si emphyteuta praedium emphyteuticum contra oeconomiae regulas ſic adminiſtrauit, aut neglexit, vt onera inhaerentia ex reditibus ſolui non amplius poſſint; domino directo ius competit, emphyteutam iure ſuo priuandi. ob adminiſtrationem malam,

§. 795. Si emphyteuta praedium emphyteuticum eum in modum euertit et deſtruxit, vt dominus directus ſuo iure, emphyteutam iure ipſius priuandi, vti nolit; neque alius poteſt inueniri, qui ſub iisdem conditionibus praedium emphyteuticum ſuſcipiat; ex emphyteutae bonis reliquis et refectionis ſumtus

Source : BIU Cujas

praeſtandi ſunt et deminutio, quae canoni tempore interiecto accidit.

§. 796. At dominus tamen emphyteuticus, ob iura ſua, in reliquis bonis debitoris ſingulari praelationis iure non fruitur.

§. 797. Si emphyteuta mala adminiſtratione et negligentia praedium emphyteuticum euertere et deſtruere incipit; dominus directus iure poteſt petere, vt eius diſpoſitionibus a iudice limites praeſcribantur, aut ipſe compellatur ad praeſtandam ſecuritatis cautionem de imminenti praedii emphyteutici deuaſtatione.

§. 798. Idoneam cautionem ſi emphyteuta praeſtare nequeat, et nihilominus, licet ei a iudice limites ſint praeſcripti, praedium emphyteuticum male adminiſtrare continuet; domino directo ius competit agendi, vt emphyteuta iure priuetur, antequam praedium funditus euertatur.

confiſcatione,

§. 799. Si fiſcus emphyteutae bona in poenam eripit, aut ſi morte emphyteutae, heredibus non relictis, praedium fit domini nullius, praedium emphyteuticum ad dominum directum redit.

§. 800. Qui tamen tum ſatisfacere debet creditoribus, quorum nomina, vel ſine ipſius conſenſu, in praedio emphyteutico ſunt intabulata.

§. 801. Eodem modo et fiſco ſecundum §. 791. reſtitutionem debet praeſtare expenſarum, in melioriationem factarum, et arrhae forſan acceptae.

§. 802. Si delatio fundatur delicto ab emphyteuta commiſſo, quod bonorum ſequitur confiſcatio; fiſco, dum viuit delinquens, praedii emphyteutici fructus cedunt.

derelictione praedii emphyteutici.

§. 803. Quo caſu excepto, ſi emphyteuta praedium plane dereliquit; domino directo ius eſt, petendi priuationem iuris, emphyteutae competentis, poſt citationem eius, ſi opus fuerit, publicam fruſtra factam.

§. 704.

Source : BIU Cujas

§. 804. Quo in caſu locum etiam obtinent praecepta §. 791. de reſtitutionibus, emphyteutae heredibus aut creditoribus, aut fiſco praeſtandis.

§. 805. At contra, tunc dominus directus agnoſcere tantum obligatur debita, ipſo conſentiente in praedio intabulata.

§. 806. Si emphyteuta iuri ſuo ſponte renuntiat; praedium emphyteuticum ad dominum redit directum. renuntiatione,

§. 807. At inualida tamen eſt eiusmodi renuntiatio, in caſibus omnibus, in praeiudicium creditorum, ſine domini directi conſenſu in praedio emphyteutico affecuratorum; et in praeiudicium creditorum emphyteutae in genere, iis in caſibus, in quibus leges declarant inefficaces obaerati actus, in praeiudicium creditorum ſuſceptos.

§. 808. At contra, neque dominus directus renuntiationem accipere cogi inuitus poteſt.

§. 809. Tempore praeterlapſo, in quod conceſſio eſt facta, aut mortuis iis generationibus, quibus praedium emphyteuticum tantum eſt conceſſum; praedium eo ipſo domino directo aperitur. tempore praeterlapſo,

§. 810. Separatio inter hunc et emphyteutam vltimum, aut huius heredes, intuitu meliorationum, deteriorationum et fructuum atque emolumentorum prorſus inſtituitur ſecundum principia de vſufructu praeſcripta. (Tit. XXI. Sect. I.)

§. 811. Quo in caſu dominus directus tantum obligatur ſuſcipere debita, quibus ipſo conſentiente proſpectum eſt praedio emphyteutico.

§. 812. Quomodo praeſcriptione poſſit immunitas ab obligatione emphyteutica acquiri, aut ius, canonem vel laudemium reſtans petendi, extingui; ex principiis de feudo praeſcriptis eſt diiudicandum. praeſcripti one.

§. 813. Exinde, quod praedio cuidam, cuius dominium plenum poſſeſſori competit, cenſus inhaeret perpetuus et irredimibilis, non ſequuntur De praediis mere cenſiticis,

Source : BIU Cujas

rationes aliae singulares inter eum, cui census soluendus est, et praedii possessorem, praeter illius ius, ob censum praedium et quemlibet eius possessorem conueniendi.

§. 814. Quin potius is, cui census soluendus, in casibus omnibus alii tantum aequiparatur creditori reali, et concursu de debitoris bonis moto fruitur praelationis iure, in concursus ordinatione pro diuersa census qualitate propius determinato.

§. 815. Si vero apparet, dominium praedii possessori, aut eius maioribus ab eo, cui census praestatur, aut ab huius maioribus, censu reseruato originarie fuisse concessum; eiusmodi censui reseruato cum canone emphyteuticario, in praesenti sectione descripto, regulariter eadem iura inhaerent. (§. 747. seqq.)

§. 816. Atque etiam de eiusmodi praedio censitico, possessore mutato, laudemium aeque est soluendum, ac de praedio emphyteutico.

§. 817. At contra, determinationes reliquae legales, in praediis emphyteuticis promanantes ex dominio directo, domino emphyteutico competenti, locum non habent in praediis, quorum dominium plenum censu tantum reseruato fuit concessum.

§. 818. In primis praediis censiticis ex neglecta census solutione, et ex causis reliquis §. 794. sqq. expositis, censita priuari nequit.

§. 819. Determinationes propiores de eiusmodi praediis censiticis, in quibus dominium diuisum est nullum, legibus prouincialibus reseruantur.

Source : BIU Cujas

TITVLVS DECIMVS NONVS.

De iuribus realibus et perſonalibus in alieno dominio generatim.

§. 1. Rei aut iuris dominium limitari et onerari poteſt iuribus, alteri intuitu rei aut iuris competentibus.

§. 2. Iura perſonalia ad rem alienam vim et efficaciam tamdiu tantum exſerunt, quamdiu res adhuc eſt in poſſeſſione perſonaliter obligati.

§. 3. Si res, ad quam alicui ius competebat mere perſonale, alienando peruenit ad tertium, qui non ſimul ſuſcepit obligationem poſſeſſoris praecedentis perſonalem; is, cui ius perſonale competit, regulariter tantum indemnitatem iure poteſt petere ab eo, qui obligatione erat ipſi obſtrictus.

§. 4. Quod ſi igitur duo aut plures ad rem eandem ab eius poſſeſſore ius perſonale erant conſecuti: ille quidem, cuius ius perſonale ex poſſeſſione conceſſa iuris realis naturam induit, excludit alterum;

§. 5. At ſi ille, qui poſſeſſionem apprehendit, poteſt conuinci, ius perſonale, quod alter ad rem

Source : BIU Cujas

eandem acquiſiuerat, poſſeſſionis apprehenſionis tempore iam cognitum ipſi fuiſſe; iure ſuo reali, ex traditione enato, contra hunc vti non poteſt.

§. 6. Quin potius quaeſtio: cui ex his poſſeſſione concedenda ius reale ſit tribuendum? vnice ex qualitate iuris ad rem perſonalis vtriusque eſt dirimenda.

§. 7. Obligationes, ex iuribus realibus in rebus alienis oriundas, regulariter quisque rei poſſeſſor debet agnoſcere. (Part. II. §. 137. ſeqq.)

§. 8. At vero, ſi rei poſſeſſor perſonali obligatione non ſimul eſt obſtrictus; eius obligatio tamdiu tantum durat, quamdiu in poſſeſſione verſatur rei obligatae.

§. 9. Domini ius diſponendi et de ſubſtantia, et de vſu atque fructu rei, limitatum eſſe poteſt eiusmodi iuribus, aliis competentibus.

§. 10. Lis, qua veritas iuris realis in rei alienae ſubſtantia debet cognoſci, valide non poteſt agi, niſi aduerſus rei dominum aut poſſeſſorem plenum.

§. 11. In dominio diuiſo lis, aduerſus dominum vtilem ſolum acta, contra dominum directum eſt ſine effectu, et vice verſa.

§. 12. In determinatione propiori iurium in rebus alienis in primis reſpiciendum eſt ad ſententiam voluntatis declarationum, quibus ſunt conſtituta; deinde autem ad negotii naturam atque finem, et praecepta legalia, de iſto negotio data.

§. 13. At contra, in eiusmodi iuribus, ex legibus immediate oriundis, haec praecepta rationem determinantem eatenus tantum ſuppeditant, quatenus validis voluntatis declarationibus non ſunt expreſſe mutata.

§. 14. Dominii limitationes et onera nunquam praeſumuntur.

Source : BIU Cujas

§. 15. Si limitationis exiſtentia eſt clara, at modus eius litigioſus et dubius; locum habet praeſumtio pro limitationis modo, domino quam minime oneroſo.

§. 16. Hinc, ſi eſt dubium, an obligatus ad aliquid in re ſua faciendum, an ad patiendum tantum ſit obſtrictus; praeſumitur poſterius.

§. 17. Atque etiam ſi modus et ſpecies iuris in re aliena in ſe ſint definiti, ius tamen, in caſu dubio, limitandum eſt in domini fauorem, quatenus eius natura et finis, expreſſe declaratus, limitationem admittunt.

§. 18. In quo tamen attendendum eſt, ne is, cui ius competit, impediatur, quo minus iure ſuo vtili vtatur, neque ius eius plane euaneſcat.

§. 19. Dominus igitur ius reale, vni iam conceſſum, alteri concedere tantum eatenus poteſt, quatenus fieri ſine illius praeiudicio poteſt.

§. 20. Si ius cum iisdem effectibus pro eo, cui ius competit, diuerſis modis poteſt exerceri; ſemper modus eligendus eſt, domino quam minime onerofus aut noxius.

§. 21. Infolitos iuris exercendi modos, domino moleſtos, is, cui ius competit, ſine domini conſenſu aut cauſa legitima ſingulari alia arrogare ſibi nequit.

§. 22. Iura, ad neceſſitatem (indigentiam) certae tantum perſonae aut rei conceſſa, in perſonas aut res alias vnilateraliter nequeunt transferri.

§. 23. Si eiusmodi limitatio non extat, is, cui ius competit, pro ſuo arbitrio eiusmodi ius eatenus in alium poteſt transferre, quatenus domini obligatio et onus inde non augetur, aut aggrauatur.

§. 24. Si cui iura intuitu rei alienae in vſum neceſſarium (pro neceſſitate) ſunt conceſſa; ſemper reſpiciendum eſt ad res conceſſionis tempore circumſtantes.

Source : BIU Cujas

§. 25. Hinc obligati onus aggrauari non licet mutationibus circumſtantiarum perſonalium eius, cui ius competit, mere arbitrariis, in ſtatu antecedente non fundatis.

§. 26. Ad iura, quae ad neceſſitatem perſonalem alicui ſunt conceſſa, familiae eius perſonae reliquae non poſſunt prouocare.

§. 27. At vero, ſi ius familiae eſt conceſſum, membra eius, poſt accedentia, illud quoque participant.

§. 28. Si cui eiusmodi ius, in ſuam neceſſitatem, absque determinatione vlteriori, tanquam ſalarii pars eſt conceſſum; ſtatuendum eſt, ius illi pro ſe et ſua familia non excluſo famulitio competere, dum munere fungitur.

§. 29. Iura in rebus alienis regulariter extinguuntur praeſcriptione per non-vſum.

§. 30. Renuntiatione ſpontanea vſus iuris ſui is, cui ius competit, ab obligatione ſua, viciſſim ſuſcepta, non liberatur.

§. 31. At vero, ſi ſine ſua culpa in eum peruenerit ſtatum, vt iure ſuo vti in poſterum nequeat; eo ab obligatione liberatur viciſſim ſuſcepta.

§. 32. Quamdiu quis ſatisfacit obligationi, pro qua ius in re aliena ipſi eſt conceſſum, praeſcriptio contra eum currere non incipit, licet ſuo iure non ſit vſus.

§. 33. Iura ad res alienas et in iis extinguuntur, ſi ius eius ceſſat, qui ea conſtituit, et res tranſit ad alium, qui eam petere (praetendere) iure iam poterat, iuribus iſtis nondum conceſſis.

Source : BIU Cujas

TITVLVS VICESIMVS.

De iure in rei alienae ſubſtantia.

Sectio Prima.

De iure pignoris.

§. 1. Ius reale, quod alicui in ſecuritatem crediti (praetenſionis) in re aliena eſt conſtitutum, vi cuius ex ipſa huius rei ſubſtantia ſatisfactionem poteſt petere, vocatur ius pignoris. Definitio.

§. 2. Ius eam ſecuritatem conſtituendam exigendi, voluntatis declarationibus et legibus poteſt fundari. Titulus iuris pignoris.

§. 3. Quibus creditis (praetenſionibus) leges immediate ius tribuant, vt creditor, vel ſine ſpeciali debitoris conſenſu, prouocare poſſit ad conſtituendum ius pignoris in ſecuritatem crediti; in diuerſis negotiis, ex quibus haec credita oriuntur, in legum codice eſt definitum.

§. 4. Praeterea quoque creditor in caſibus omnibus, vbi iuris ſui cautionis praeſtationem a debitore exigere iure poteſt, prouocare coram iudice poteſt ad conſtituendum verum ius pignoris, vel debitore inuito.

Source : BIU Cujas

§. 5. Quomodo in executionis via ius pignoris exoriatur, in ordinatione proceſſus eſt definitum.

Modus acquirendi iuris pignoris.

§. 6. Iuris pignoris titulus, modo dicto exortus, per ſe ſolus ius verum reale in re certa et definita nondum tribuit; ſed ad hoc conſequendum legitimus adhuc acquirendi modus accedat neceſſe eſt.

§. 7. Quod ius reale ſi rei traditione conceditur, ius pignoris ſenſu ſtrictiori adeſt.

§. 8. At vero, ſi ius reale conceditur intabulatione iudiciali in fundis, et iis iuribus, quae leges aequiparant rebus immobilibus; creditori hypothecae ius eſt.

§. 9. Quamdiu neque traditio neque intabulatio eſt facta, tamdiu creditor quidem exercere poteſt praelationis iura, nomini (praetenſioni) ſuo in legibus, in debitoris bonis et rebus in iis comprehenſis conceſſa;

§. 10. At perſequi ea non poteſt intuitu rerum, quae modo legitimo in debitoris bonis eſſe deſierunt, contra poſſeſſorem tertium.

Pro quibus petitionibus ius pignoris poſſit conſtitui.

§. 11. Pro credito, (petitione, praetenſione) omni, per ſe legitimo, valide poteſt praeſtari ſecuritas pignore aut hypotheca.

§. 12. Si creditum (petitio) in ſe eſt inualidum, ſecuritas quoque pro eo conſtituta eſt ſine effectu.

§. 13. Si tamen creditum (petitio) ab initio inualidum poſtea (ſucceſſu temporis) fit legitimum; ſecuritas pro eo conſtituta inde a conſtitutionis tempore vim plenam conſequitur.

§. 14. Quatenus ob nomina ſeu credita futura cautio poteſt exigi et praeſtari; eatenus quoque eiusmodi nominum ſeu creditorum ſecuritati pignore aut hypotheca conſtituendis poteſt proſpici. (Tit. XIV. §. 5-8. Sect. III.)

Quis pignoris ius poſſit conſtituere.

§. 15. In quantum quis de re diſponendi facultate et iure gaudet; in tantum quoque rei pignore et hypotheca valide ſecuritatem poteſt conſtituere.

Source : BIU Cujas

§. 16. Si oppignorans ius de re eo modo disponendi acquirit, facta demum oppignoratione; haec inde eo ipso suam nancisciturefficaciam.

§. 17. Si vero tempore interiecto ius ad rem vel in ea per se validum ab eo, cui de ea disponendi facultas fuit, tertio est concessum; creditor pignoraticius contra hunc tertium iure reali suo vti nequit.

§. 18. Si oppignoranti, tempore constituti pignoris, personalis defuit facultas, de re ita disponendi; ius pignoris, sublata inhabilitate valorem suum tantum consequitur agnitione, in se vim obligandi habente. (Tit. V. §. 37. 38.)

§. 19. Qui valor ad anterius temporis momentum retrotrahi quidem potest intuitu debitoris, non vero tertii, qui tempore interiecto ius in re acquisiuit.

§. 20. Quatenus rei communis oppignorationes intuitu vniuersi, aut ratarum singularum valeant, ex praeceptis tituli decimi septimi sectionis primae est diiudicandum.

§. 21. Cum re ipsa simul regulariter eius pertinentiae, accessiones et fructus habentur oppignorati.

§. 22. Qui securitatem, pignore aut hypotheca constitutam, semel accepit, huic in ea vsque ad tempus solutionis est acquiescendum. Effectus iuris pignoris,

§. 23. At meliorem tamen securitatem potest exigere, si debitore concurrente, casibus extrinsecus accidentibus, aut rei defectibus et vitiis, post demum cognitis, pretium eius ita deminuitur, vt securitatem pactam plene praestare non amplius possit.

§. 24. Rei oppignoratae dominus de ea libere disponere eatenus potest, quatenus creditoris iuribus et securitati nullum inde oritur detrimentum.

§. 25. At, si dies solutioni praefixus venit, creditori ius competit, prouocandi ad distractionem rei oppigneratae, secundum leges ordinationis processus. in primis ob rei oppignoratae distractionem.

Source : BIU Cujas

§. 26. Si expreſſe fuerit pactum, ne creditori ius ſit, rei oppignoratae venditionem poſtulandi; eiusmodi pactum ita eſt explicandum, vt creditor ſatisfactionem quaerere tantum ex fructibus et emolumentis poſſit.

§. 27. Si ex natura negotii aut ex pignoris qualitate apparet, hunc contrahentium finem propoſitum eſſe non potuiſſe; eiusmodi pactum ſecundarium eum tantum habet effectum, vt creditor ad pignus diſtrahendum prouocare non poſſit, antequam de creditoris bonis concurſus ſit motus.

§. 28. Pignus regulariter in iudicio plus licitanti vendendum.

§. 29. Pactum, quo creditori ſolutione non praeſtita pignus extraiudicialiter vendere liceat, in ſe quidem ſecundum leges valet;

§. 30. At vero, ſi eiusmodi pactum initum eſt, ſtatim in celebrando pignoris contractu, aut alias ante terminum ſolutioni praefixum; creditor extraiudicialiter vendere pignus non poteſt infra ſummam taxationis, a rei peritis, adhibito debitore, inſtitutae.

§. 31. Si debitor, elapſo die ſolutioni praefixo, diſtractionem extraiudicialem a creditore inſtitutam ſine reſeruatione permittit; hoc ſufficit.

§. 32. At in vtroque tamen caſu (§. 30. 31.) praeter debitoris conſenſum neceſſarius quoque eſt conſenſus domini rei oppignoratae, ſi debitor alius ſit, alius dominus.

§. 33. Pactum, vt ſolutione non praeſtita res pignori data creditori pro debito, aut pretio in anteceſſum determinato cedat, reſpectu partis vtriusque eſt ſine effectu.

§. 34. At vero, ſi creditor et debitor, cum dies ſolutioni praefixus venit, de pretio, quo res oppignorata illi cedatur, inter ſe conueniunt; ea conuentio inter eos vim obligandi habet.

Source : BIU Cujas

§. 35. Pactum, vt pignus, a debitore principali conſtitutum, fideiuſſori cedat, ſi a fideiuſſione non liberetur, eſt nullum.

§. 36. Iudicialis rei valide oppigneratae diſtractio ab aliis, qui in re eadem ius quoque ſunt conſecuti, auerti non poteſt, niſi creditoris pignoraticii ſatisfactione plena. De ſucceſſione pignoris creditoris aut fideiuſſoris poſterioris in locum prioris.

§. 37. Creditor pignoraticius, ea ſatisfactione plena ipſi praeſtita, obligatur ad ius pignoris cedendum cuique, cui ius reale in re competit, vti et ei, qui pro debito fideiuſſionem praeſtitit.

§. 38. Neque huic obligationi ſe poteſt ſubtrahere exceptione conuentionis, ſecundum §. 34. cum debitore factae.

§. 39. Attamen ad ſolutionem accipiendam et pignus cedendum demum obligatur elapſo termino, ſolutioni praefixo.

§. 40. At contra, neutrum horum, ne tum quidem, poteſt recuſare, ſi venditio iudicialis iam fuerit quaeſita; ſimulac ipſi ſimul quoque reſtituuntur ſumtus, illam quaerendo iam facti.

§. 41. Creditor pignoraticius poſterior, hac ſucceſſione in creditoris prioris, cui ſatisfecit, locum, nomini ſuo originario (originariae praetenſioni ſuae) praelationis ius nullum acquirere poteſt prae iis, qui quidem poſt creditorem, cui ſatisfactum, ſed ante ipſum (creditorem ſatisfacientem) ius reale in re validum ſunt conſecuti.

§. 42. In pignoris venditione iudiciali licitatio creditoris quidem admittitur, vti alia omnis; at debitoris licitatio non niſi ſolutione parata.

§. 43. Quatenus creditori venditione aut adiudicatione rei oppigneratae eſt ſatisfactum, eatenus ei eo oriuntur ſolutionis a debitore immediate praeſtitae effectus omnes. (Tit. XVI. §. 149. ſeqq.) Quatenus creditor praeter ius pignoris, ſatisfactionem quoque ex reliquis credi-

§. 44. At contra, debitor ſola pignoris conſtitutione ab obligatione ſua nondum liberatur.

Source : BIU Cujas

toris bonis petere, aut eius perſonam apprehendere poſſit.

§. 45. Quin potius creditor, ſi terminus ſolutioni praefixus venerit, debitoris quoque perſonam poteſt apprehendere, atque ex reliquis eius bonis ſatisfactionem petere.

§. 46. At debitor tamen, quatenus adhuc eſt rei oppigneratae dominus, petere poteſt, vt creditor ex re oppignerata ſatisfactionem primum quaerat.

§. 47. At vero, ſi creditor iuri pignoris velit renuntiare; ſtatim in reliqua debitoris bona, vel etiam, ex legibus ordinationis cambiorum et executionis, in eius perſonam auxilium iudicis poteſt implorare.

§. 48. Si debitor intra tempus, quo res pignoris nexu erat obligata, et termini ſolutioni praefixi, rei oppignoratae dominium in alium tranſtulit; creditor ſaluo ſuo iure pignoris contra tertium, prouocare primum poteſt ad executionem contra debitorem peragendam.

§. 49. Ius creditoris, vt ipſi primum ex pignore ſatisfiat, locum habet ſine diſcrimine, vtrum illud a debitore, an a tertio fuerit conſtitutum.

§. 50. Pro tertio tamen ſtat praeſumtio, ſe vltra pignoris vires creditori obligare noluiſſe.

§. 51. At contra ſi apparet, pignoribus ſatisdantem pro debito generatim fideiuſſionem praeſtitiſſe, et pignus in fideiuſſionis tantum ſecuritatem conſtituiſſe; eius, qui pignus dedit, obligatio quidem ex legibus de fideiuſſionibus eſt diiudicanda;

§. 52. At in eo quoque caſu creditor ex pignore ſibi nec aliter nec prius poteſt ſatisfacere, quam fideiuſſorem conueniendi ius habet.

§. 53. Obligatio creditori permittendi, vt ipſi ſtatim ex re oppignorata ſatisfiat, regulariter quidem ad quemuis rei dominum tranſit.

§. 54. At vltra pignoris vires (valorem) hic dominus tertius creditori non tenetur, niſi forte praeterea huic perſonaliter ſe obligarit.

Source : BIU Cujas

§. 55. Praeter modos generales, quibus iura et obligationes generatim poſſunt extingui, ius pignoris in ſpecie extinguitur debito, in cuius ſecuritatem pignus fuit conſtitutum, plene ſoluto aut extincto.

Quibus modis pignus ſoluatur; 1) Debito principali plene extincto.

§. 56. Si quis pro obligatione aliena pignore aut hypotheca expreſſe in certum tantum tempus ſecuritatem conſtituit; locum habent praecepta, de fideiuſſionibus, ad certum tempus adſtrictis, generatim data. (Tit. XIV. §. 316. ſeqq.)

2) Tempore, in quod conſtitutio facta, elapſo.

§. 57. Si debitor ſecuritatem oppignerando rem ſuam conſtituit; in caſu dubio praeſumitur, tempore adiecto ſolutionis tantum terminum, non vero tempus, ad quod ius reale ſubſiſtat, debuiſſe definiri.

§. 58. Si vero ex pacti ſententia patet, contrahentium animum re vera fuiſſe, vt tempore adiecto definiatur tempus, ad quod ius reale valeat; eiusmodi pactum nihilo minus, in creditoris praeiudicium, eſt ſine effectu.

§. 59. Quod ſi vero tempore interiecto dominium rei oppigneratae ad tertium poſſeſſorem tranſiit; hic cum eo, qui ab initio pro obligatione aliena ſecuritatem praeſtitit, eadem habet iura (§. 56.)

§. 60. Si ad rem oppignerandam tertii conſenſus requiritur; ab huius arbitrio dependet, interponendo conſenſu ſimul definire tempus, ad quod ſubſiſtat oppigneratio.

In ſpecie in iuribus pignorum, quae tertii conſenſu nituntur.

§. 61. Si conſenſui adiecta eſt conditio reſolutiua, aut temporis determinatio, eiusdem cum illa valoris; inde a temporis momento, quo illae exiſtunt, conſentienti idem ius competit, quod fideiuſſori, in certum tantum tempus ſe obliganti, eſt conceſſum. (Tit. XIV. §. 316. ſeqq.)

§. 62. De conſenſibus, ad feudum oppignerandum a feudi domino directo aut agnatis interpoſitis, obſeruandae ſunt determinationes ſpeciales tituli decimi octaui §. 252. ſqq.

Source : BIU Cujas

§. 63. Eo, quod tempore elapſo, aut conditione exiſtente, conſenſus vim ſuam amittit, ius pignoris, creditori competens, eatenus tantum amittitur, quatenus eius effectus conſentienti forent detrimento.

§. 64. At vero, ſi conſenſus non ſolum ad validitatem oppignorationis ſed debiti etiam ipſius fuit neceſſarius, vt adeo debiti validitas cum vi conſenſus ſimul extinguatur; ius totum reale quoque exſpirat.

§. 65. Conſenſus in oppignorationem, ſi debitum quinquaginta thaleros excedit, ſcriptis declaretur neceſſe eſt.

§. 66. Debitor ad conſenſum creditori exhibendum et tradendum eſt obligatus.

§. 67. In conſenſu ſemel interpoſito poſtea in praeiudicium creditoris mutari nihil poteſt.

3) Accipiendo ſecuritatem aliam.

§. 68. Conſtituenda aut accipienda ſecuritate alia prior nondum tollitur.

§. 69. Creditor, in cuius ſecuritatem pignus eſt conſtitutum, iuri ſuo pignoris nondum renuntiat eo, quod fideiuſſoris conſtitutionem exigit aut accipit.

§. 70. Ex pignoris iure ſublato nondum ſequitur renuntiatio nominis, in cuius ſecuritatem pignus fuit conſtitutum.

I. De pignore proprie ſic dicto.

§. 71. Pignus in ſenſu ſtrictiori conceſſa poſſeſſione poteſt conſtitui, in rebus mobilibus et immobilibus.

1) Obiectum.

§. 72. Res quoque alienae, accedente domini conſenſu, valide poſſunt pignori dari.

De pignoratione rerum alienarum.

§. 73. Res alienas, ſine domini conſenſu pignori datas, dominus a pignoris detentore repetere quidem ſeu vindicare poteſt;

§. 74. At creditori tamen tunc quoque ius reale, quod oppigneranti in re fuit, ſecuritatem praeſtat.

§. 75. Cuius autem ſecuritatis tempus et effectus vltra ius oppignerantis non extenduntur.

§. 76. Si dominus oppignerantis fit heres (ſucceſſor); ius pignoris, quod creditoris eſt, intuitu il-

Source : BIU Cujas

lius aeque ſubſiſtit, ac ſi oppigneratio ab initio cum iſtius conſenſu facta fuiſſet.

§. 77. At vero, ſi dominus iam ante hereditatis (ſucceſſionis) delationem in alios tranſtulit iura in aut ad rem, ſine conſenſu ſuo oppigneratam; pignoris detentor contra hos iure ſuo pignoris vti nequit.

§. 78. Si oppignerans fit domini heres, praeceptum §. 16. obtinet.

§. 79. Si pignoris dominus, oppignerationе facta, pro debito fideiuſſit; fideiuſſio oppignerationis ratihabitionem in ſe complectitur, ſimulac apparet, oppignerationem in ſuſcipienda fideiuſſione ipſi fuiſſe cognitam.

§. 80. Si creditor ad pignoris poſſeſſionem, ſecundum Tit. XV. §. 25. determinationem, bona fide peruenit, ad pignus domino exhibendum tantum obligatur facta ipſi reſtitutione eius, quod debitori re vera dedit.

§. 81. De impenſis in pignus factis, et cauſis aliis omnibus, contra dominum iura bonae fidei poſſeſſoris cuiusque ipſi competunt.

§. 82. At non poteſt petere a domino, vt ſoluat vſuras, ne eas quidem, quarum dies iam venerat.

§. 83. Si dominus eo modo ſolutione parata pignus reluit; eatenus in omnia iura ſuccedit creditoris contra oppignorantem.

§. 84. Contra ſatisfactionem, domino tum praeſtandam, oppignerans tueri ſe omnino non poteſt exceptione: debiti diem, ſecundum pactum principale cum creditore initum, nondum veniſſe.

§. 85. In quantum creditori, in cuius ſecuritatem pignus fuit conſtitutum, a domino pignus reluente de vſuris et ſumtibus non eſt ſatisfactum, in tantum conuenire oppignorantem poteſt; quatenus forſan non ipſe eſt obligatus, ad ſumtus ferendos litis inutilis, aduerſus dominum actae, non adhibito oppignerante.

Source : BIU Cujas

§. 86. Rem alienam, non ob obligationem iam exiſtentem ſed ob ius tantum futurum oppignoratam, pignoris detentorem quidem, in caſu quoque §. 80. domino vero reſtituere gratuito oportet;

§. 87. Tum autem ius ei competit, recedendi a negotio principali, cum debitore acto, in cuius ſecuritatem pignus eſt conſtitutum.

§. 88. Quod ſi non poſſit, aut nolit; debitor alio modo ſecuritatem praeſtare obſtringitur.

§. 89. Qui ſciens res alienas tanquam ſuas oppignorat, delictum committit, et ſecundum leges criminales de furtis ſeu ablationibus eſt puniendus.

§. 90. Eadem quoque poena afficiendus, qui a debitore ſuo ſcienter res alienas, ſine domini conſenſu, pignori ſumit.

§. 91. Qui res alienas ſine domini conſenſu pignori accipiens latam culpam aut leuem committit, intuitu reſtitutionis gratuitae malae fidei poſſeſſori eſt aequiparandus.

§. 92. Quod in primis contra eum locum habet, qui pignora, quae alius ſunt propria, a perſonis accepit ſuſpectis. (Tit. XV. §. 19.)

2) Forma. §. 93. De forma pacti principalis, in cuius ſecuritatem ius pignoris conſtituitur, generalia quidem legum praecepta obtinent;

§. 94. At vero ad concedendum ius pignoris ipſum in rebus mobilibus traditio ſola absque vlla ſpeciali forma alia ſufficit.

§. 95. Inſtrumentum pignoris accepti (recepiſſe *Empfangsſchein*), in tradendo pignore a creditore datum et a debitore acceptum, ſuccedit in locum deficientis contractus principalis ſcripti.

§. 96. At ex eo tamen inſtrumento conditiones eſſentiales pacti principalis, ore contracti, cognoſcantur neceſſe eſt.

§. 97. Si pactum principale, in cuius ſecuritatem pignus eſt conſtitutum, ob formam legalem neglectam

Source : BIU Cujas

dam eſt nullum; accipiens nullum quidem pignoris ius acquirit;

§. 98. At vero pignus dans repetere rem non poteſt, niſi reſtituat, quae pro ea re vera accepit.

§. 99. Si res immobilis debeat pignori dari; traditio naturalis ſola ad concedendum ius pignoris verum nondum ſufficit.

§. 100. Quin potius praeterea promulgatio ſeu confirmatio iudicialis, et relatio iuris pignoris conſtituti in librum hypothecarium accedat neceſſe eſt.

§. 101. Quatenus in certis rerum generibus ſolennitates legales ſpeciales de earum alienatione ſunt praeſcriptae, eatenus et iſtae in iis oppignorandis obſeruandae ſunt, in quantum pro negotii pigneraticii natura locum habere poſſunt.

§. 102. Ex eo ſolo, quod praecepta antecedentia §. 100. 101. non ſunt obſeruata, debitor ipſe deriuare ius nullum poteſt, creditorem deiiciendi de poſſeſſione ſemel conceſſa.

§. 103. Quin potius, ſi alias extat de pignoris iure conceſſo pactum validum ſcriptum, debitor creditore poſcente ſemper obligatur ad ſupplendum ſolennitates deficientes.

§. 104. Pignoris traditio regulariter ita fieri debet, vt res in corporalem creditoris detentionem re vera perueniat, et in ea maneat. 3) Perfectio negotii pigneraticii traditione.

§. 105. Si res naturali debitoris poſſeſſioni relinquitur, aut redditur, vt eam creditoris nomine poſſideat, ius pignoris nullum adeſt.

§. 106. In quibus caſibus traditione ſymbolica mera (Tit. VII. §. 61. ſeqq.) ius pignoris (ius pignoraticium) validum poſſit conſtitui, infra eſt expoſitum. (§. 271. ſeqq.)

§. 107. Et licet traditione ſymbolica ius pignoris nondum oriatur, creditor nihilo minus ea acquirit ius, iudicem rogandi, vt ipſi res definita ſym-

BIBLIOTHEQUE CUJAS PARIS

Source : BIU Cujas

bolis tradita, in cuſtodiam naturalem exhibeatur, quatenus debitor eam adhuc poſſidet.

§. 108. Quod ſimulac eſt factum, ius pignoris exiſtit (ad exiſtentiam peruenit).

§. 109. Quorum ius pignoris in rebus quibusdam definitis immediate ex legibus enaſcitur, ii ſymbolica traditione non indigent, vt iudicis auxilio contra debitorem ad naturalem rei poſſeſſionem perueniant.

§. 110. Eadem eſt ratio eorum, quibus in pacto in ſe valido res quaedam definita pignore eſt ſcripta.

§. 111. At vero et hi (§. 109. 110.) ius reale in re demum acquirunt vera poſſeſſionis apprehenſione.

§. 112. Si lege aut pacto ius pignoris generale tantum fundatur; is, cui competit, exhibitionem rerum certarum definitarum tum demum poteſt petere, ſi cautionis praeſtationem iure poteſt poſcere.

Rerum futurarum oppignoratio.

§. 113. Res futurae, quae nequeunt tradi, neque pignori poſſunt dari.

§. 114. Neque fructuum futurorum oppignoratio ſine traditione rei ipſius fructum ferentis fieri poteſt.

§. 115. Quatenus tamen ſymbolica rerum aut fructuum futurorum traditio locum habet, eatenus praeceptum §. 107. 108. obtinet.

4) Iura et obligationes pignoris detentoris.

§. 116. Iure pignoris rite conſtituto creditor acquirit ius, pignoris tamdiu in poſſeſſione et cuſtodia retinendi, donec ſatisfactum eſt obligationi principali, in cuius ſecuritatem eſt conſtitutum.

a) Poſſeſſio.

§. 117. Hinc pignoris detentori ſunt iura et officia poſſeſſoris minus pleni omnia. (Tit. VII. §. 169. ſeqq.)

b) Vindicatio.

§. 118. Dum poſſeſſione iſta ſponte ſe non abdicauit, iure gaudet, pignus ipſi ablatum a quolibet, vel a debitore ipſo, vindicandi.

§. 119. Quae tamen vindicatio contra tertium bonae fidei poſſeſſorem ſub iisdem tantum circumſtantiis et determinationibus admittitur, ſub quibus

Source : BIU Cujas

dominus ab eiusmodi poſſeſſore rem ſuam vindicare poteſt. (Tit. XV. §. 24. ſeqq.)

§. 120. Si debitor ipſe creditorem vi aut dolo, pignoris poſſeſſione priuat; delictum admittit, ob quod ſecundum praecepta legum criminalium de ablationibus puniendus.

§. 121. Pignoris detentor obligatur, rem oppignoratam boni patrisfamilias inſtar cuſtodire et in ea cuſtodienda praeſtare culpam latam aut leuem omnem. c) Cuſtodia.

§. 122. Hunc tantum culpae gradum pignoris detentor tunc quoque praeſtare obligatur, ſi oppignorans non eſt debitor ipſe, ſed tertius; niſi de alio expreſſe fuerit conuentum.

§. 123. Sine oppignorantis conſenſu pignoris detentori re vti non licet. d) Vſus.

§. 124. Quod ſi nihilo minus fecerit; non ſolum eum oportet reparare damnum omne, vel leuiſſima culpa ortum, ſed etiam reſtituere commoda ex vſu percepta, aut pro iudicis arbitrio praeſtare aequam eorum reſtitutionem.

§. 125. Si pignus obſignatum aut ciſta clauſum deponitur; contra pignoris detentorem, auſu proprio eo vſum, obtinent omnia, quae contra rerum alienarum depoſitarium in caſu ſimili ſunt praecepta. (Tit. XIV. §. 26. ſeqq.)

§. 126. Atque etiam oppignorans, quo inuito creditor pignore eſt vſus, pro iudicis arbitrio iure poteſt exigere, vel ſpecialem cautionem de non amplius abutendo praeſtandam, vel iudicialem pignoris depoſitionem creditoris ſumtibus.

§. 127. Sine oppignorantis conſenſu expreſſo pignoris detentori, rem mobilem pignori datam vlterius oppignorandi, ius non competit. e) Oppignoratio vlterior.

§. 128. Debitor, qui in ſuboppignorationem conſenſit, ſuo iure dominii et vindicandi non poteſt vti, in pignoris detentoris ſecundi praeiudicium.

Source : BIU Cujas

§. 129. Neque oppignoratione vlteriore, oppignorante conſentiente facta, ſecundus pignoris detentor, intuitu oppignorantis primi, ius aliud vllum acquirit, praeter ius, contra hunc pignoris detentori primo competens.

§. 130. Quod ſi igitur oppignorans primus pacto debeat obſtringi, quo pignus ſecundo pignoris detentori in ſummam obligatur maiorem, aut terminus ſolutionis praefinitur ipſi noxius; in has oppignorationis ſecundae conditiones expreſſe conſenſerit, neceſſe eſt.

§. 131. Si oppignoratio vlterior ſine oppignorantis primi conſenſu eſt facta; primum pignoris detentorem caſum, qui rem apud ſecundum detentorem afficit, ferre oportet omnem; niſi appareat, idem damnum quoque in primi detentoris cuſtodia rem fuiſſe paſſuram.

§. 132. Inter ſecundum pignoris detentorem et primum oppignorantem hoc in caſu eadem locum habent, quae de oppignorandis rebus alienis, ſine domini conſenſu, ſunt praecepta. (§. 73. ſeqq.)

§. 133. At vero, dum primo pignoris detentori nondum eſt ſatisfactum, ſecundo non competit ius, ſine primi pignoris detentoris conſenſu, reſtituendi pignus oppignoranti primo, licet ipſi reſtituantur, quae ipſi debentur.

§. 134. Si primus pignoris detentor conſenſum denegat; oppignorans primus petere tantum poteſt iudicialem pignoris, a detentore ſecundo redemti, depoſitionem, aut cautionem ſecundum praeceptum §. 126. praeſtandam.

§. 135. Si pignoris detentor pignus ſine oppignorantis conſenſu vlterius oppignorauit; huic ius eſt, illud iam ante elapſum terminum ſolutioni pacto praefixum redimendi, plena, primi pignoris detentoris, tanquam creditoris ſui proprii, ſatisfactione.

Source : BIU Cujas

§. 136. Ius pignoraticium in libro hypothecario intabulatum in re immobili, vti hypotheca intabulata, vel sine speciali debitoris consensu, vlterius potest oppignorari aut alienari.

§. 137. At pignoris tamen detentor oppignoranti ad eam dispositionem denuntiandam obligatur.

§. 138. Si pignoris detentor, sine oppignorantis consensu speciali, fundi possessionem et administrationem in alium transtulit; huius facta oppignoranti praestare debet, tanquam sua.

§. 139. Re frugifera pignori data pignoris detentor, deficientibus conuentionibus singularibus, iure gaudet et officio tenetur, rem administrandi et fructus atque emolumenta inde percipiendi. *f)* Administratio et vsus anticheticus.

§. 140. Fructus expensis deductis residui primum de vsuris pactis, et deinde de sortis creditae summa deducuntur.

§. 141. Hinc pignoris vtilis acceptio, nisi de alio expresse fuerit conuentum, in se continet creditoris consensum, solutiones particulares in sortem se esse accepturum, in quantum fructus annui reliqui sufficiunt.

§. 142. In administrando eiusmodi pignore detentor leuem quoque culpam praestat.

§. 143. Ad rationes administrationis ipsius reddendas oppignoranti obligatur.

§. 144. Rationes regulariter reddit in pignore restituendo.

§. 145. Si vero domus, praedium, complexus rerum vtilium, aut alias fundus, aut ius, cuius reditus non sunt mediocres, sunt oppignorata, oppignorans petere potest rationem singulis annis reddendam.

§. 146. Et vbi ratio demum in pignore restituendo redditur, nihilo minus singulis annis est absoluenda, et ita quidem, vt fructus, modo §. 140. praescripto, primum in vsuras, et deinde in sortem, anno quouis elapso, imputentur.

Source : BIU Cujas

§. 147. Quod ſi igitur fructibus et emolumentis pignoris detentori ſenſim eo modo ſit ſatisfactum; oppignoranti denuntiare ſatisfactionem, et pignus reſtituere debet.

§. 148. Quod ſi negligat, fructuum et emolumentorum poſtea perceptorum vſuras ſoluere debet ad ſummum, qui detentoris ordini permittitur, vſurarum modum.

§. 149. Si oppignoranti, pignoris reſtitutionem petenti, reſtitutionem recuſat; inde a temporis momento, quo ipſi ſatisfactum eſt, malae fidei poſſeſſor habetur.

§. 150. Caeterum obligationes pignoris detentoris rei frugiferae diiudicandae ſunt ex principiis, de adminiſtrandis bonis alienis in genere praeſcriptis. (Tit. XIV. Sect. II.)

§. 151. Pro adminiſtratione ipſa ſeparatum praemium computari nequit, niſi expreſſe fuerit pactum.

§. 152. Eo, quod res pignori eſt data, non mutantur aliorum in ea iura realia.

§. 153. Pignoris igitur detentor iis iuribus (praetenſionibus) ex re eiusque fructibus, aeque ac oppignorans, ſatisfacere debet.

§. 154. At contra, oppignoranti non competit ius, pignoris detentoris iura laedendi imponendis oneribus nouis realibus.

§. 155. Ex mero pignoris detentoris conſenſu in imponenda onera noua realia nondum ſequitur, eum, horum intuitu, iuri ſuo praelationis renuntiaſſe.

§. 156. At vero, ſi nouum onus reale conſiſtit in praeſtatione continua, ex rei fructibus ſingulis annis aut aliis certis temporibus reiteranda; pignoris detentor, qui in onus imponendum ſine reſeruatione conſenſit, praeſtare illud obligatur ex fructibus et inprimis quidem ex reditibus, ab ipſo percipiendis.

Source : BIU Cujas

§. 157. Acceſſiones et incrementa rerum mobilium oppignoratarum, ſiue natura oriantur, ſiue arte, deficiente pacto ſpeciali, ſimul ſunt oppignoratae habendae. g) Iura in acceſſionibus et incrementis.

§. 158. In quantum acceſſiones et incrementa rerum immobilium pignori datarum ſimul ſint oppignoratae habendae, ex regulis iuris hypothecarii eſt diiudicandum. (§. 443. ſeqq.)

§. 159. Adimplemento obligationis principalis rite praeſtito debitor reſtitutionem pignoris, in ſecuritatem conſtituti, iure poteſt exigere. h) Reſtitutio pignoris.

§. 160. Quatenus ante elapſum terminum ſolutioni praefixum ſolutio poteſt praeſtari, eatenus tantum pignus quoque ideo conſtitutum poteſt repeti.

§. 161. Ad refundendas impenſas ſingulares, ob pignoris ante tempus praefixum reſtitutionem erogandas, debitor obligatur.

§. 162. Si vero pignoris detentor pignus absque debitoris conſenſu vlterius oppignorauit, aut locum, quo erat cuſtodiendum, ſine iure mutauit; (Tit. XIV. §. 14-16.) impenſarum reſtituendi cauſa factarum reſuſionem exigere nequit.

§. 163. Ad pignus reſtituendum adigi creditor non poteſt, niſi obligationi principali plene ſatisfactum ſit.

§. 164. Ad quam ſatisfactionem plenam quoque pertinet vſurarum, ex obligatione principali debitarum, et impenſarum ſolutio.

§. 165. Et retraditio aut mortificatio inſtrumenti, de pignore accepto dati. (Tit. XVI. §. 125. ſeqq.)

§. 166. Atque etiam reſtitutio expenſarum, pignoris conſeruandi cauſa neceſſario aut vtiliter factarum.

§. 167. Meliorationum rerum oppignoratarum reſtitutionem detentor regulariter petere tantum eatenus poteſt, quatenus rerum alienarum depoſitarius iure exigere eam poteſt. (Tit. XIV. §. 41. 44. 45.)

Source : BIU Cujas

§. 168. Quatenus autem a pignoris detentore res simul fuit administranda, eatenus etiam, intuitu meliorationum factarum, pro administratore rerum alienarum est habendus. (Tit. XIV. Sect. II.)

§. 169. Si res vitiosa pignori fuerit data, vitiis oppignoranti notis ab hoc creditori pignoraticio non indicatis; hic damni sibi inde dati reparationem ex pignore quoque potest petere.

§. 170. Contra quam reparationem oppignorans tueri se non potest exceptione ignorantiae, quam euitare adhibendo attentionem solitam potuisset.

§. 171. Ob ea, quae debitor aut oppignorans creditori ex alio negotio debet, hic ex pignore constituto satisfactionem petere non potest.

§. 172. Pignoris retraditionem denegare creditor in iis tantum casibus potest, quibus ob ea, quae oppignorans ex alia causa debet, arrestum iure impetrare posset.

§. 173. In quibus tamen casibus oppignorans etiam exigere potest, vt pignus in iudicio deponatur.

§. 174. In quibus casibus creditor obligatus est ad accipiendas solutiones particulares, de summa tota deducendas; in iis tantum cogi quoque potest, partem rei oppignoratae restituere. (Tit. XVI. §. 57. seqq.)

§. 175. Quod vero tum demum valet, si corpora oppignorata ad vnum omnia non vniuersum constituunt, sed singuli cuiusque pretium est definitum.

§. 176. Creditor quoque ad extradendam rei oppignoratae partem eatenus tantum est obligatus, quatenus vsurae, quarum dies iam venit, omnes sunt solutae, et pignoris residuum, ex taxatione, ad debiti reliqui duplum cum vsuris per biennium adnumeratis, accedit aut illud superat.

Source : BIU Cujas

§. 177. Si creditor ſponte accipit particularem ſolutionem, de ſumma tota detrahendam; ad pignoris partem extradendam cogi nequit, niſi de alio expreſſe fuerit conuentum.

§. 178. Si vnus ex pluribus debendi correis ratam ſuam tantum ſoluit; totius pignoris reſtitutionem poſtulare nequit, licet ſolus ſit oppignorans.

§. 179. In quantum vero partis reſtitutionem poſtulare poſſit, ex praeceptis §. 174-177. eſt definiendum.

§. 180. Creditor pignus debitori tantum, aut eius heredibus (ſucceſſoribus), aut mandatario ſpeciali, reſtituere iure poteſt et obligatur.

§. 181. Res communis, a pluribus debitoribus oppignorata, vni eorum, licet ad totum debitum ſoluendum ſe offerat, exhiberi tamen non poteſt ſine reliquorum conſenſu expreſſo.

§. 182. Quod ſi igitur de legitimatione pignus repetentis dubitatur; creditorem pignoraticium pignus in iudicio deponere oportet. (Tit. XVI. Sect. III.)

§. 183. Pignus a fideiuſſore conſtitutum, non debitori principali, licet ſolutionem praeſtiterit, ſed fideiuſſori eſt reſtituendum.

§. 184. Pignoris detentor oppignoranti praeſtare debet culpam latam aut leuem, in reſtituendo pignore admiſſam.

§. 185. Si eiusmodi culpa eius, qui detentor fuit, pignus ad tertium peruenit; oppignoranti quidem contra hunc ius vindicandi eodem modo competit, quo leges domino aut poſſeſſori pleno omni illud concedunt; (Tit. XV.)

§. 186. At vero ſi pignus ab hoc tertio vel plane non, vel facta tantum refuſione et non ſine impenſis poteſt recipere; eum, qui pignoris fuit detentor, ideo eum indemnem debet praeſtare.

Source : BIU Cujas

§. 187. Creditor pignoris reſtitutionem oppignoranti exceptione, iuris melioris ſibi aut tertio competentis, in iis tantum caſibus et ſub eo modo poteſt recuſare, quibus retentio conceditur rerum alienarum depoſitario. (Tit. XIV. §. 68. ſeqq.)

§. 188. Pignus redemtum regulariter in eo ſtatu reſtituendum eſt, quo fuit traditum.

§. 189. Damna pignori culpa lata aut leui data pignoris detentor praeſtare debet omnia. (§. 121. 122.)

§. 190. In quantum oppignorans indemnitatis huius ſummam de pecunia, pro pignore data (*Pfandſchilling*) ſtatim deducere, aut aequae huius pecuniae parti arreſtum poſſit imponere, eamque in iudicio deponere, ex legum praeceptis de compenſando, arreſto imponendo, et deponendo generatim, eſt diiudicandum.

§. 191. Si cum pignoris poſſeſſione ſimul eius adminiſtratio fuit coniuncta; pignoris detentor, intuitu quoque obligationum ſuarum reſtituendi, conſiderandus eſt, tanquam adminiſtrator rerum alienarum.

§. 192. In reſtituendis pignoribus, quae incluſa aut obſignata ſunt depoſita, eadem praecepta obtinent, quae valent, ſi eiusmodi res apud aliquem ſunt depoſitae. (Tit. XIV. §. 26. ſeqq.)

§. 193. De pignoris etiam iactura, quae accidit, dum pignoris detentor rem oppigneratam poſſidet, eadem valent, quae in eum caſum praecepta ſunt, ſi res depoſita a depoſitario amittitur. (Ibid. §. 35-40.)

§. 194. Si pignus accipiens in inſtrumento, de accepto pignore dato, pignoris pretium certum expreſſit; in caſibus omnibus, quibus pretium reſtituendum eſt, pretium expreſſum contra ſe debet agnoſcere.

§. 195. Si vero ex verbis conceptis patet, pretium, in inſtrumento de accepto pignore dato expreſſum, oppignorantis aeſtumatione indicata ſola niti;

Source : BIU Cujas

pignus accipiens, ſi non eſt rei peritus, hac indicatione (pretio in inſtrumento expreſſo) non tenetur, ſed ſi caſus obuenerit, audienda eſt eius probatio vilioris pretii.

§. 196. Oppignorans in caſibus omnibus acquieſcere debet pretio, ex inſtrumenti, de pignore accepto dati, ſententia ab ipſo conſtituto; et affectionis pretium, tum demum poteſt poſtulare, ſi detentor pignoris iacturae data opera cauſam praebuit.

§. 197. Si debitor pignus tempore reluitioni praefixo non reluit, creditor iudicialem eius diſtractionem iure poteſt petere; ε) Diſtractio.

§. 198. At debitor tamen antea legitime eſt audiendus, et ad reluendum pignus, vti reus omnis, citandus.

§. 199. Quomodo in his, et in diſtractione iudiciali pignoris ipſa, auctione aut ſubhaſtatione, procedendum ſit, ordinatio proceſſus definit.

§. 200. Quamdiu iudicialis adiudicatio nondum eſt facta, oppignorans pignus adhuc poteſt reluere, at non niſi ſoluta praeſente pecunia pro iis, quae pignoris detentor petit, omnibus, non excluſis ſumtibus iudicialibus iam erogatis.

§. 201. Si plura pignoris corpora, quae ſimul ſumta vniuerſum non conſtituunt, in ſecuritatem debiti pignori ſunt data; eorum tot tantum alienare licet, quot ad ſatisfaciendum creditori requiruntur.

§. 202. Si pignoris corporum qualitas vnum eundemque venditionis iudicialis modum omnium admittit, omnia quidem ſimul ſunt venditanda;

§. 203. At in venditionis termino ipſo ea tantum ſunt adiudicanda, quae vendenda ſunt, ad efficiendam ſummam, creditoris ſatisfactioni, ſumtibus ſimul comprehenſis, ſufficientem.

Source : BIU Cujas

§. 204. Quo ordine corpora singula adiudicanda sint, a declaratione dependet oppignorantis, in alienationis termino praesentis.

§. 205. Qui si non interfit, iudex definit ordinem quo se excipiant.

§. 206. Atque hic quidem initium faciat necesse est ab illis corporibus, quorum alienatio debitori minimo esse possit detrimento.

§. 207. Si pro rerum oppignoratarum qualitate aliae subhastationis, aliae autem auctionis tantum lege sint distrahendae; summa (quantitas) nominis, creditori debiti, ex proportione ad aestumationem rerum oppignoratarum singularum determinat: vtrum ab auctione tantum incipiendum sit, an res oppignoratae omnes simul per subhastationem sint venditandae.

§. 208. In casu posteriori praecepta §. 203-206. locum habent.

§. 209. In casu priori ad subhastationem non est progrediendum, antequam cognoscatur, pretium ex auctione redactum ad satisfaciendum creditori non sufficere.

§. 210. Ex pretio rerum oppignoratarum alienatarum redacto creditori soluenda sunt omnia, quae a debitore, pignus reluente, secundum §. 163-169. iure potest exigere.

§. 211. Expensae in processum atque alienationem erogatae de pecunia exacta in anteceſſum sunt detrahendae.

§. 212. Quae his deductis et satisfactione plena, creditori praestita, adhuc sunt reliqua, debitori restituuntur.

§. 213. Partem neutram obligat pactum ante diem reluitioni praefixum initum, quo creditor ea lucretur, quae ex pignore alienato sunt reliqua, at ferre quoque debeat deminutionem, nomini (praetensioni) inde oriundam.

Source : BIU Cujas

§. 214. Res illae quoque oppignoratae, quae ad creditoris satisfactionem non fuerunt necessariae, oppignoranti, reliquis venditis et computatione facta, sunt restituendae.

§. 215. Quatenus creditori in pignore ob alia, quae debitor ipsi debet, ius retentionis competit (§. 172. 173.), eatenus hoc ius exercere etiam potest in residuo emtionis venditionis pretio, debitori alias competente, et in rebus oppignoratis, ad securitatem pecuniae, pro pignore datae, non amplius necessariis.

§. 216. Pignorum iudicialiter alienatorum euictionem creditor emtori praestare eatenus tantum obligatur, quatenus ea in alienationibus iudicialibus generatim locum inuenit. (Tit. XI. §. 344.)

§. 217. Si vero creditor pignus, vi conuentionis cum debitore factae (§. 29. seqq.), extraiudicialiter alienauit; emtori ad euictionem praestandam, vti alius venditor omnis, est obligatus.

§. 218. Si venditio extraiudicialis oppignorante adhibito est facta; oppignorans principaliter, at pignoris detentor tanquam fideiussor, emtori euictionem praestat.

§. 219. Pignoris extraiudicialiter venditi pretium residuum pignoris detentor oppignoranti statim post factam venditionem debet exsoluere.

§. 220. Si moratur, eum a die venditionis legitimas morae vsuras oportet soluere.

§. 221. Ex quibus causis oppignorans creditorem cogere potest, vt in executionis via primum pignus capiat (§. 46. sqq.), in iis ei quoque ius est, elapso termino solutioni praefixo petendi, vt pignus, vel inuito pignoris detentore, iudicialiter alienetur.

§. 222. Iura et officia pignoris detentoris, concursu de bonis oppignorantis moto, non mutantur. 4) Ius praelationis in concursu.

§. 223. Quin potius pignoris detentor tum iure praelationis fruitur, in ordinatione concursus propius determinato.

Source : BIU Cujas

5) Pacta secundaria. f. seperata.

§. 224. Iura et obligationes creditoris pignoratitii et debitoris aliter possunt determinari a partibus, pactis secundariis s. seperatis, quatenus haec legibus non sunt reprobata.

§. 225. Debitori stipulari licet, vt creditori non ex substantia, sed tantum ex pignoris fructibus satisfiat.

§. 226. Obligatio rationis, de pignoris fructibus perceptis reddendae, creditori valide potest remitti pacto, quod initum est tempore solutioni praefixo.

§. 227. At contra, iudicialis requiritur confirmatio, ad validitatem pacti anterioris, vi cuius pignore, nominis vsurarum loco, vtatur creditor, ratione nulla ponenda.

§. 228. Ante confirmationem iudicem diligenter examinare oportet, an sub hoc pacto lateat prauitas vsuraria.

§. 229. In diiudicando, quatenus eiusmodi prauitas vsuraria subsit, attendatur proportio fructuum s. prouentus ad licitas pecuniae suppeditatae vsuras, et certitudo minor aut maior fructuum et emolumentorum, vsurarum loco percipiendorum.

§. 230. Hinc ex eo solo, quod reditus secundum taxationem vsuras licitas excedunt, nondum sequitur, eiusmodi conuentionem non esse admittendam.

§. 231. Si reditus puri, secundum principia oeconomiae inuenti, excedunt vsuras licitas vltra tertiam partem; confirmationem addere non licet.

§. 232. At contra, si reditus omnes aut pars eorum praecipua dependent a casu; negotium ex regulis de pactis aleam continentibus est diiudicandum.

§. 233. Iudicialis confirmatio regulariter est a iudice rei petenda.

§. 234. Debitoris iudex personalis, vti iudex loci, quo pactum est initum, eam confirmationem eatenus tantum interponere possunt, quatenus a contrahentibus possunt proferri causae idoneae, ex

Source : BIU Cujas

quibus secundum principia antecedentia (§. 228. sqq.) diiudicare possunt, an eiusmodi pactum sit admittendum.

§. 235. Partem neutram obligat pactum, quo pignoris creditor fructus et emolumenta loco vsurarum debeat percipere, sine ratione ponenda, si in iudicio non sit confirmatum.

§. 236. Quod si igitur creditor pignus in possessionem accepit, eiusque fructus re vera percepit; nihilo minus, licet pactum sit initum, rationes ponere iure potest et debet.

§. 237. Idem obtinet, si eiusmodi negotium pignoraticium sub nomine reemtionis latet. (Tit XI. §. 321. seqq.)

§. 238. Pacto vero semel valide celebrato pars vtraque tenetur, vsque ad tempus elapsum, in contractu determinatum; et pars neutra vnilateraliter potest ab eo recedere, licet mutatis rebus circumstantibus redituum solitorum augmentum aut deminutio exstiterit.

§. 239. Si in constituendo eiusmodi pignoris vtilis iure de impensis, in conseruationem et melioratione faciendis, pacto speciali nihil fuerit conuentum: pignoris detentor earum intuitu tanquam conductor est considerandus.

§. 240. Pactum, quo debitor reparationi damnorum, a creditore pignoraticio datorum, omnium in antecessum renuntiat, debitorem non obligat;

§. 241. At pacto tamen valide potest restringi pignoris detentoris obligatio ad reparanda ea damna, quae data opera aut lata culpa sunt illata.

§. 242. Quae de iure pignoraticio, in rebus vtilibus loco vsurarum constituto, §. 227. seqq. sunt praecepta, tunc quoque valent, si pactum eo tendit, vt fors ipsa extinguatur pignoris vsu, in certum temporis spatium sine ratione ponenda concesso.

Source : BIU Cujas

6) Quibus modis ius pignoris ſoluitur.

§. 243. Praeter modos generales, quibus iura et obligationes generatim, et pignoris iura ſpeciatim tolluntur, (§. 55. ſeqq.) haec quoque praeſcriptione poſſunt extingui.

§. 244. Creditor pignoris iure excidit, ſi pignoris poſſeſſionem amiſit, neque iure ſuo pignoris vindicandi intra terminum legitimum eſt vſus.

§. 245. Quae praeſcriptio per non-vſum creditori quoque intuitu debitoris ipſius, eiusque heredum (ſucceſſorum) obſtat, cum effectu in tituli noni §. 568. 569. definito.

§. 246. At contra, quamdiu pignus, qua tale, adhuc in creditoris eſt poſſeſſione, eius ius pignoris nulla praeſcriptione poteſt amitti.

§. 247. Quamdiu ius pignoris manet, nulla debiti praeſcriptio in debitoris fauorem currere incipit.

§. 248. At contra, quod attinet ad vſurarum terminos, quorum dies iam venit, eamque debiti partem, quae ex pignore ſolui nequit, praeſcriptionis regulae ſolitae locum habent.

§. 249. Licet vero rei dominium praeſcriptione in alium tranſeat; haec tamen mutatio ad creditoris pignoraticii ius pignoris nihil valet.

§. 250. Creditor pignoraticius ipſe praeſcriptionem acquirendi pignoris dominii nunquam inchoare poteſt.

§. 251. At omnino eius heredes praeſcriptionem poſſunt inchoare, ſi reliqua praeſcriptionis requiſita iis non defunt. (Tit. VII. §. 40-42.)

§. 252. Eiusmodi praeſcriptio ab hereditatis delatae die initium capit.

§. 253. Qui poſſeſſione rei oppignoratae ſponte et ſine reſeruatione ſe abdicat, ius pignoris amittit.

§. 254. Reſeruatio quoque, qua pignus debitori, aut alii exhibetur, creditori tantum contra accipientem prodeſt, at non contra tertium.

§. 255.

Source : BIU Cujas

§. 255. Ex eo, quod creditor pignoris immobilis poſſeſſione ipſi conceſſa ſe abdicat, nondum ſequitur iuris in libro hypothecario intabulati amiſſio.

§. 256. Qui pignus ſe poſſidere debitori aut domino vindicanti doloſe negat, ſuo pignoris iure in poenam priuatur.

§. 257. In quantum pignoris immobilis interitu ius pignoris ipſum extinguatur, diiudicandum eſt ex principiis, de iurium amiſſione per interitum generatim praeſcriptis. (Tit. XVI. §. 2. 3.)

§. 258. Quatenus pignoris detentor aedificii collapſi, refectionem eius recuſando, pignoris iure priuetur, in titulo de dominio propius eſt determinatum. (Tit. VIII. §. 44. ſeqq.)

§. 259. Per pignoris mobilis interitum totalem ius creditoris pignoraticium extinguitur, et res eiusdem generis noua, loco amiſſae a debitore comparata, hoc reſpectu in prioris locum non ſuccedit.

§. 260. At creditor tamen, cuius pignus ſine ſua culpa eſt amiſſum, a debitore ſolutionem, aut ſecuritatem aliam conſtitutuendam poteſt exigere.

§. 261. Pignore mobili non in totum amiſſo, ſed tantum deminuto, aut in aliam ſpeciem mutato, pars reliqua, aut res mutata manet obligata.

§. 262. Si alienatio a creditore pignoraticio ſatisfactionis ſuae cauſa inſtituta omittitur, et pignus iterum in eius poſſeſſionem venit; ius pignoris quoque reuiuiſcit.

II. De quaeſtu pignoraticio.

§. 263. Qui pecuniam in pignora mutuo dando quaeſtum facere cupit, eum in iſto negotio ſubmittere ſe oportet curae ſpeciali magiſtratus diſciplinae publicae loci; et formam obſeruare ſpecialem, huic quaeſtui legibus praeſcriptam.

§. 264. Hinc nomen ſuum coram magiſtratu profiteri, et petere, vt nomen inferatur indici pigneratorum publicorum, et ipſi exhibeatur ſcripta quaeſtus huius exercendi conceſſio. (*Erlaubniſsſchein.*)

Source : BIU Cujas

§. 265. Mercatores chriſtiani, et Iudaei, quibus iura Chriſtianorum ſunt conceſſa, pigneratores publici nondum ſunt habendi, licet mutui aut negotii mercatorii alius occaſione pignora capiant.

§. 266. At contra, priuati alii omnes, qui intra anni ſpatium ter ſaepius, pignore capto pecuniam dederunt, pro iis habendi, qui pignoris commercio quaeſtum faciunt; atque adeo, ſi poſtea pignore capto pecuniam dare mutuam cupiant, obligati, vt nomen in indicem referendum curent.

§, 267. Idem valet de iis, qui vel ſemel tantum eiusmodi mutua dederunt; at in iis ſibi pacti ſunt vſuras maiores, pigneratoribus publicis tantum permiſſas.

§. 268. Pigneratores publici obſeruare accurate debent et huius tituli praecepta generalia, et edicti de hoc quaeſtu ſpeciatim editi praecepta, in publici ſecuritatem data, ad vſurariam prauitatem atque fraudem coërcendam.

§. 269. At contra quoque priuilegiis gaudent in hoc edicto iis conceſſis, et in proceſſu, et in modo vſurarum maiore iis permiſſo.

§. 270. Qui ſecundum §. 266. 267. obligati, vt ſe pigneratoribus publicis adſcribendos curent, adſcriptionem negligunt, ea priuilegia ſibi vindicare nequeunt; et nihilo minus praecepta ſpecialia, pigneratoribus in hoc edicto data, debent obſeruare, niſi ſentire velint effectus noxios, in omiſſionis caſum praeſcriptos.

III. Oppignoratio rerum mobilium ſine traditione naturali.

§. 271. Oppignorationes per traditionem ſymbolicam in iis tantum rebus locum obtinent, vbi aut obiecti natura traditionem corporalem propriam non admittit, aut leges a traditione expreſſe liberant partes.

1) Generatim.

§. 272. At harum quoque rerum oppignoratio ſine traditione naturali eatenus tantum cum effectibus legalibus poteſt fieri, quatenus earum poſſeſſio

Source : BIU Cujas

in creditorem pigneraticium eiusmodi ſymbolis poteſt transferri, ex quibus mutatio, intuitu poſſeſſionis facta, praeter contrahentes, aliis quoque innoteſcit.

§. 273. Hinc in eo caſu non ſolum debitoris declaratio ſcripta, ſe poſſeſſionem velle in creditorem transferre, vel in ipſo contractu pignoraticio, vel in inſtrumento ſeparato adſit, ſed etiam ſymbolica traditio accedat neceſſe eſt.

§. 274. At quoque praeter ea ab oppignerante et creditore pigneraticio eae cautiones ſunt adhibendae, ne tertius, absque culpa lata ſua, poſſit induci in opinionem, oppigneranti de re et eius poſſeſſione libere diſponendi ius adhuc competere.

§. 275. Quae cautiones ſi non ſufficiunt, creditor pigneraticius contra tertium, qui ad poſſeſſionem naturalem bona fide peruenit, iure ſuo pignoris vti nequit.

§. 276. Quibus cautionibus non ſufficientibus ſi tertius fuerit inductus, ad paciſcendum de re cum oppignerante; creditoris pignoris ius vi ſua non quidem deſtituitur, dum res tertio naturaliter nondum eſt tradita;

§. 277. Creditor autem pigneraticius eiusmodi contrahenti tenetur, ad reſarciendum omne damnum verum inde oriundum, quatenus oppignerans ipſe reparare illud nequit.

§. 278. A qua tamen obligatione eiusmodi creditor pigneraticius liberare ſe poteſt renuntiando iuri ſuo pignoris.

§. 279. Quae damni reſarciendi obligatio in totum etiam ceſſat, ſi tertius in contrahendo culpam latam commiſit.

§. 280. Pro culpa lata a tertio admiſſa eſt habendum, ſi negligentia illis non vſus fuerit mediis, quae praecepta ſequentia ipſi ſuppeditant ad explorandam accuratius oppignerationem factam.

Source : BIU Cujas

2) Speciatim, nominum actiuorum,

§. 281. Nomina actiua valide tantum possunt oppignorari per extraditionem instrumentorum, in certum detentorem confectorum.

§. 282. Quo facto si summae oppigneratae debitor oppigneranti sortis (capitalis) solutiones praestitit, at instrumento non repetito, neque solutis, de summa deducendis, in eo notatis: eo contra pignoris detentorem tueri se nequit, sed ideo oppignerantem, tanquam creditorem suum proprium, debet conuenire.

§. 283. Quod si igitur sors tantum oppignerata pignoris detentori securitatem praestare debeat; denuntiatio expressa, quae debitori fiat, consilii quidem est, at non necessitatis.

§. 284. At contra si creditori pigneraticio vsurae quoque nominis talis actiui (praetensionis actiuae) simul debent esse oppigneratae; hunc curare oportet, vt oppigneratio facta debitori ab eo, qui pignus dat, expresse denuntietur.

§. 285. Quid in oppignerandis nominibus in libro hypothecario consignatis obseruandum sit, infra definitur. (§. 511. seqq.)

§. 286. Tesserae mensae publicae, (*Banknoten*) literae pigneraticiae, (*Pfandbriefe*) et instrumenta alia, in quemuis detentorem sonantia, in se quidem naturali traditione valide possunt oppignorari;

§. 287. Si tamen eiusmodi instrumenta sunt in vsu, (cursu, *nicht aufser, Cours*); ius creditoris pigneraticii reale in iis tamdiu tantum durat, quamdiu actu sunt in eius custodia; et contra tertium possessorem ius hoc reale locum tantum habet causis existentibus, in tituli decimi quinti §. 53. descriptis.

§. 288. Si nomina actiua, de quibus instrumentum extat nullum, debeant oppignerari, debitori res denuntietur necesse est.

§. 289. Si nomina actiua sunt tantum oppignerata; creditor pigneraticius ad ea exigenda ex iis-

Source : BIU Cujas

dem tantum cauſis prouocare poteſt, ex quibus pignoris alienationem exigendi ius ei competit.

§. 290. Si nomen actiuum, quod fuit oppigneratum, non conſiſtit in parata pecunia, ſed in rebus naturalibus aut aliis; creditor, iis exigendis, in his rebus iura tantum acquirit pignoris detentoris proprie ſic dicti.

§. 291. Ex quibus ſi ſibi ſatisfacere velit; in iis alienandis obſeruanda ſunt omnia, quae de diſtrahendis pignoribus in genere ſunt praecepta.

§. 292. At vero, ſi res naturales oppigneratae et exactae in frugibus conſiſtunt, aut aliis prouentibus, quibus certum eſt conſtitutum forenſe pretium; creditori eorum imputatur pretium, ſecundum vrbis proximae pretium forenſe, tempore exactionis medium.

§. 293. Quatenus creditor ius ſuum in oppignerantem tertio poteſt cedere; eatenus quoque nomen ſibi pignori datum vlterius poteſt oppignerare.

§. 294. At vero et hic obſeruanda ſunt, quae de prima oppigneratione ſunt praeſcripta omnia.

§. 295. Secundus pignoris detentor in nomine oppignerato ius amplius aut maius acquirere nequit, quam primo erat conceſſum.

§. 296. Debitori nominis oppignerati neque ius eſt, neque obligatio, pignoris detentori ſine expreſſa oppignerantis aſſignatione, aut iudicis iuſſu, ſolutionem praeſtandi.

§. 297. Quae oppigneratio facta ſi ei fuerit denuntiata; caeterum inter eum et pignoris detentorem eadem obtinent, quae de ratione inter debitorem ceſſum et ceſſionarium ſunt praeſcripta. (Tit. XI. §. 402. ſeqq.)

§. 298. In genere debitoris iura et obligationes, etiam intuitu termini, ſolutioni praefixi, oppignorationibus, vti ceſſionibus, aggrauari non debent.

Source : BIU Cujas

3) fcapharum et naium fluminis,

§. 299. Vti res mobiles aliae, ſic ſcaphae aliaeque cymbae, nauigationi onerariae non inſeruientes, oppignerari tantum poſſunt, ſi in creditoris cuſtodiam naturaliter traduntur.

4) nauium maritimarum,

§. 300. Naues maritimae omnesque carinae aliae, ad nauigationem onerariam deſtinatae, oppignerari ſymbolica quoque traditione poſſunt.

§. 301. In locis, vbi iudicia de rebus maritimis iudicandis inueniuntur, eiusmodi oppignerationes coram his tantum valide poſſunt perfici; at vero in locis aliis coram iudicio quolibet, aut etiam coram iuſtitiae commiſſario.

§. 302. Oppignerantem in originali producere oportet literas, pactum de naui aedificanda in ſe continentes (*Beilbrief*), et literas emtionem teſtantes (*Kaufbrief*), aut certificatum, et in genere ea documenta, quibus dominium ſuum fundatur.

§. 303. In quibus documentis oppigneratio facta a iudicio aut iuſtitiae commiſſario eſt ſubnotanda.

§. 304. Creditori pignoraticio exhibetur exemplar deſcriptum (copia vidimata) horum inſtrumentorum, et regiſtraturae originalibus adſcriptae; in qua regiſtratura ſimul copiae exhibitae, fide munitae, expreſſa fiat mentio, neceſſe eſt.

§. 305. Tradendis his copiis fide munitis oppigneratio ipſa perficitur.

§. 306. Oppignerationem magiſtro nauis, nautae aut gubernatori expreſſe denuntiare, non eſt neceſſe; at petente creditore pigneraticio denuntiatio fieri debet.

§. 307. Quamdiu copia, in §. 304. deſcripta, eſt penes creditorem, et in originalibus non eſt in forma, §. 303. praeſcripta, ſubnotatum, ius pignoris eſſe ſublatum; tamdiu creditori in naui oppignerata iura competunt veri pignoris detentoris.

Source : BIU Cujas

§. 308. Cui quoque ius competit, ius tale pignoris vlterius oppignerandi obſeruato modo, de nominibus actiuis praeſcripto. (§. 281. ſeqq.)

§. 309. Ius pignoris creditoris tamen non extenditur ad aſſecurationem, de ea naui ſuſceptam.

§. 310. Qui ius pignoris in ea quoque ſibi cupit acquirere, originale inſtrumentum de aſſecuratione confectum, quod polizza vocari ſolet, ſibi exhibendum curet, et eas adhibeat cautiones neceſſe eſt, vt ab aſſecuratore reparatio nulli alii, niſi ſibi, aut iuſſu ſuo (*ſeine Ordre*) ſolui poſſit.

§. 311. Neque in vecturae mercedibus, a naui promeritis, creditor ſola nauis oppignoratione ius pignoris acquirit.

§. 312. Quin potius, qui ius tale cupit acquirere, documenta, ex quibus vecturae mercedes exigi poſſunt, ſibi exhibenda curet, et praeterea praeceptum de aſſecurationis pecunia datum (§. 310.) ſequatur, neceſſe eſt.

§. 313. Si nauis modo, in antecedentibus (§. 300. ſeqq.) dicto, creditoribus pluribus fuerit oppignerata; pignoris iura, ex iudicialis regiſtraturae die priora, praeferuntur poſterioribus.

§. 314. Bodmeria, quam nauta extraneus in terris noſtris, aut nauta noſter in portibus extraneis contrahit, his regulis non adſtringitur.

§. 315. At contra, bodmeria alia, et ea inprimis, quam nauicularius (*Rheder*) in terris noſtris ſumit, in nauis documentis, vti oppignorationes, debet notari.

§. 316. Tum ius praelationis inter pignoris detentorem et bodmeriae creditorem ex regiſtraturae die conſtituitur.

§. 317. Si bodmeriae creditor mutuum datum eo modo in originalibus nauis documentis ſubnotari non curauit, omnibus creditoribus pigneraticiis regulari-

Source : BIU Cujas

ter poſtponitur, nulla temporis, quo dedit mutuum, ratione habita. (§. 321.)

§. 318. Qui ad nauem exſtruendam aut reficiendam neceſſariam materiam exhibuit, operas fecit, aut pecunias ſuppeditauit, ei ius competit exigendi, vt, quae ſuppeditauit, in originalibus nauis documentis notentur, et ipſi adeo ius pignoris in naue concedatur.

§. 319. Quamdiu autem oppigneratio vera in forma legitima eo modo nondum eſt perfecta, ei tantum ſeruatur priuilegium, in ordinatione concurſus definitum, poſt creditores pignoraticios.

§. 320. Si vero nauis in itinere pecunia aliena eſt refecta; pecunia eo modo ſuppeditata praefertur omnibus, vel veris pignoris debitis, quatenus non compenſatur affecurationis aut haueriae ratione.

§. 321. Eodem modo etiam bodmeria, a nauta in itinere, in portu, ad quem neceſſitate fuit appulſus, contracta praefertur oppignorationibus omnibus, etiam prioribus.

§. 322. At talis etiam bodmeria cedit pecuniae, ſecundum §. 320. ad nauem reficiendam in itinere poſtea demum ſuppeditatae.

§. 323. At ius praelationis bodmeriae, a nauta in portu, ad quem neceſſitate fuit appulſus, ſumtae, (§. 321.) aut debitorum, ad nauem reficiendam contractorum (§. 320.), ad anni tempus tantum reſtringitur.

§. 324. Qui quidem annus computatur in bodmeria a die, in inſtrumento de bodmeria confecto (*Bodmereybrief*) ſolutioni praefixo, et in debitis ad nauem reficiendam contractis a die, quo nauis rediit in portum praeſtitutum.

§. 325. Pecunia pro rebus ſeruatis (*Bergegelder*), atque operis nautae aut nauticis ſoluenda (*Heuer*), at vtraque de nouiſſimo tantum itinere, praecedit oppignerationes ac debita alia omnia, nauis cauſa contracta.

Source : BIU Cujas

§. 326. Praefertur quoque haueria illa magna, quae in nouiſſimo accidit itinere, omnibus oppignerationibus et bodmeriae debitis nauiculariorum, et bodmeriae a nauta in portu, ad quem neceſſitate fuit appulſus, iam ante ſumtae, et debitis ad nauem reficiendam iam antea contractis.

§. 327. Quae in antecedentibus de oppignerationе nauium et carinarum integrarum praeſcripta ſunt, valent quoque de oppignerationе ſingularum nauis partium; quatenus in genere ex legibus hoc ius competit nauiculariorum ſocio (*Rhedereygenoſſe*), aut eorum communi diſponenti.

§. 328. In caſibus omnibus, vbi ius pignoris ad vnam tantum nauis partem, aut ad partes ſingulas plures extenditur; conauicularii, ſolutione praeſtita, iure poſſunt exigere a creditore pignoris ceſſionem.

§. 329. In quibusdam quoque mercium ſpecie- 5) mer-
bus, quae commercii ſunt obiectum, oppigneratio pot- cium.
eſt fieri per traditionem ſymbolicam.

§. 330. Quod tamen de iis tantum valet mercibus, quae pro ſua natura, aut modo aſſeruationis ſuae in emporiis conſueto, aut, quia in cuſtodia oppignerantis ipſius non ſunt, vel plane non, vel non niſi magnis incommodis atque ſumtibus, creditori pigneraticio realiter poſſunt tradi.

§. 331. Quod ius oppignerationis ſymbolicae etiam conceditur mercatoribus tantum illis, qui mercium huiusmodi ſpecierum exercent mercaturam.

§. 332. Et fabricatoribus illis, qui mercium ſuo nomine fabricatarum quantitates minores aut maiores aliis vendunt.

§. 333. Poſſeſſoribus quoque praediorum nobilium et praefecturarum regiarum conductoribus, qui frumenta aut alios praediorum prouentus in foris (ſ. ciuitatibus forenſibus) cumulant, aut deponunt.

Source : BIU Cujas

§. 334. At vero, quod attinet ad perſonas priuatas alias, vna tantum vel altera vice eiusmodi merces ementes vel vendentes, valet regula: oppignerationem fieri poſſe nullam ſine traditione reali.

§. 335. Cuius regulae exceptiones leges prouinciales conſtituunt, ſecundum commercii modum prouinciae cuiusque proprium.

§. 336. Quomodo in oppigneratione mercium ſymbolica praecepto generali §. 274. ſatisfieri debeat, pro rebus circumſtantibus et pro obiecti conditione, partium quidem pactis, et controuerſia orta, prudentis iudicis arbitrio praecipue relinquitur;

§. 337. Sed, in diiudicando, quatenus partium cautelae ſint pro ſufficientibus habendae, vel minus, iudex ad regulas ſequentes in primis reſpiciat, neceſſe eſt.

§. 338. Si perſonae priuatae oppignerari debeant merces, aedificio aut loco quodam incluſae, ad quas tertio aditus non patet, aut de quibus diſponere tertio eſt interdictum; traditio ſymbolica per clauium traditionem in manus creditoris fiat pigneraticii.

§. 339. Creditor vero pigneraticius claues ita cuſtodiat, vt oppignorans ad liberam diſpoſitionem iis potiri haud poſſit.

§. 340. Si mercis qualitas durante oppignorationis tempore, culturam expoſcit; curare eum oportet, vt ea cultura peragatur praeſente ſiue ſemet ipſo, ſiue mandatario, ab ipſo conſtituto.

§. 341. Si huiusmodi mercium pars tantum oppignoratur; haec a parte reliqua, debitori ad liberam diſpoſitionem relicta, eſt ſeparanda, atque cuſtodienda in loco clauſo, cuius claues creditori pigneracitio traduntur.

§. 342. Contrahentes, ſi eam ſeparationem facere vel non poſſunt, vel nolunt; claues inſpectori communi debent tradere, eumque de oppignoratione facta certiorem reddere.

Source : BIU Cujas

§. 343. Si contrahentes neque de eo conuenire poſſunt, locus, vbi omnis copia cuſtoditur, duplicibus ſeris, a ſe diuerſis, eſt claudendus, et clauium altera creditori pignoraticio tradenda.

§. 344. De quibus cautionibus (§. 341-343.) ſi partes conuenire non poſſunt, oppigneratio ipſa locum non habet.

§. 345. Si merces cuſtodiuntur in granario vel horreo mercatorum plurium communi; oppignorantem creditori oppignoraticio exhibere oportet teſtimonium ſcriptum, a domino granarii aut eius inſpectore conſtituto confectum, in quo eſt agnitum, mercem oppigneratam nomine oppignerantis eo loco eſſe re vera depoſitam.

§. 346. Quod teſtimonium in duplo eſt dandum, eiusque exemplar vtrumque annotatione breui de oppignoratione facta, tam a creditore pignoraticio quam a debitore ſubſcribendum, et alterum exemplar granarii domino aut inſpectori tradendum.

§. 347. Creditoris pignoraticii eſt de eo curare, vt ea traditio fiat, et granarii domino vel clauium detentori iniungatur: ne oppigneranti, neque tertio harum mercium quidquam exhibeat, niſi productum fuerit teſtimonium de rebus acceptis ſcriptum (recepiſſe, *Empfangſchein*), in creditoris manibus relictum, in quo deſcripta ſunt, quae exhibeantur producenti.

§. 348. Quod iinunctum granarii dominus aut clauium detentor ſub poena propriae ſatisfactionis diligenter debet obſeruare, et ad illud obſeruandum ſcripto ſe obligare.

§. 349. Si merces publice cuſtodiuntur aedificiis, mercibus et imponendis et deponendis ſeruientibus (*Packhöfen*), horreis, aut receptaculis; debitor teſtimonium ſcriptum, de depoſitione facta, creditori debet tradere

Source : BIU Cujas

§. 350. Qui de eo debet curare, vt oppignoratio facta denuntietur praefecto, cui cura demandata est eorum locorum, quibus merces afferuantur.

§. 351. Qui denuntiationem sibi factam in libris suis eo loco, quo facta mercium depositio ipsa consignata est, annotare debet, et confessionem exhibere, affirmatione adiecta; se merces nemini, inscio creditore pignoraticio, esse traditurum.

§. 352. An ea confessio in testimonio, quo traditio continetur (*Ablieferungsschein*), ipso (§. 348.) sit subnotanda, an separatim exhibenda, ex constitutione dependet eorum institutorum publicorum, quibus merces custodiuntur.

§. 353. Si testimonium datur separatum, hoc, vti testimonium, quo traditio continetur, creditori est exhibendum.

§. 354. Vbi ex loci mercaturae constitutionibus, merces quaedam, tertio neque ad mensuram, neque ad pondus, neque alio modo corporaliter tradi possunt, nisi adhibitis certis personis, auctoritate publica ad hoc negotium constitutis; oppignorantem oportet, praeter determinationes, in §. 348. sqq. praescriptas, his personis oppignorationem factam denuntiare, iisque significare, vt merces, creditore pignoraticio inscio, tertio addici non possint.

§. 355. De qua denuntiatione et significatione facta praefecti (officiales) dare debent testimonium scriptum, creditori tradendum.

§. 356. Merces ligneae, quae sunt in loco iis reponendis, tradi pigneratori possunt, nota eiusdem lignis, ad quae aditus patet, imposita.

§. 357. Ad quam tamen notam impositam adhuc accedat necesse est denuntiatio, et praeceptum expressum, lignorum custodibus aut inspectoribus datum, ne vlli tradant ea ligna, creditore pignoraticio inscio.

§. 358. Merces, quae parantur et transportantur, ligneae oppignorantur exhibendis contractibus, quos

Source : BIU Cujas

de iis oppignorans tenet, aut documentis aliis, quibus earum fundatur dominium.

§. 359. At oppignoratio etiam lignorum curam habentibus (*Regimentern*), aut ratiariis, nautis et gubernatoribus denuntianda eſt, adiecto praecepto, ne vlli tradant ligna, quae parantur aut tranſportantur, creditore pignoraticio inſcio.

§. 360. Eodem modo oppignerari quoque poſſunt merces, quae in officina albicaria (*Bleiche*), in officina infectoria (*Farbe*), aut a tonſore pannario (*Tuchſcherer*) praeparantur, tradendo teſtimonia, de mercibus acceptis, a detentoribus exhibita, et denuntiatione his detentoribus facta.

§. 361. In caſibus §. 354-360. definitis denuntiatio et praeceptum perſonis ibi denominatis a iudice aut iuſtitiae commiſſario inſinuanda, et de inſinuatione facta protocollum ſolenne eſt conficiendum.

§. 362. Cuius protocolli exemplar originale creditori pignoraticio eſt exhibendum, at iis perſonis, quibus praeceptum eſt inſinuatum, exemplar deſcriptum (copia) relinquendum.

§. 363. In quibus caſibus oppignoratio tertio denuntiatur, (§. 342.) in iis omnibus hic ſimul expreſſe de eo eſt interrogandus; an, quantum ſciat, merx plane nondum ſit pignori data, aut in quantum alii creditori iam ſit oppignorata.

§. 364. Eius declaratio teſtimonio, ab eo dando, aut protocollo, de denuntiatione confecto, eſt adiungenda.

§. 365. Mercium aliarumque rerum, in quibus menſae foeneraticiae publicae (*Bank*) ius pignoris eſt conſtitutum, pretium reſiduum oppignorari poteſt creditori priuato.

§. 366. Quarum mercium aliarumque rerum traditio tum perficitur tradendo literas acceptum teſtantes (*Empfangſchein*), a menſa foeneraticia publica oppignoranti datas, ſine quarum retrotraditione aut

Source : BIU Cujas

mortificatione iudiciali ex menſae foeneratitiae publicae legibus, merces huic oppignoratae ab oppignorationis nexu nunquam liberantur.

6) intuitu mercium importandarum,

§. 367. Merces importandae, quae adhuc mari terraue transportantur, creditori valide tantum oppignorari poſſunt extradendis literis recognitionis (*Connoiſſements*) et facturae (*Factur*) ſimul.

§. 368. Caeterum creditoris eſt curare, vt ex literarum commercio debitoris cum transmittente abſente, aut alio modo ſatis certus fiat, merces debitoris nomine et periculo fuiſſe transmiſſas, aut earum pretium transmittenti ſolutum, aut alio modo compenſatum.

§. 369. Si recognitionis literae (*Connoiſſement*) creditori tradi nequeunt; quia ad procurandam aſſecurationem ſunt transmiſſae; oppigneratio valide quidem fieri poteſt facturae ſolius traditione;

§. 370. At extraneo mutuarum literarum vſu iuncto (*Correſpondenten*), in cuius manibus eſt recognitio (*Connoiſſement*), oppignoratio facta denuntianda eſt curſu primo publico.

§. 371. Creditor pigneraticius, denuntiationem idoneam negligens, ſi interea contractum eſt aliud mutuum, cuius ſecuritati mercibus iſtis, ipſi iam pignoratis, eſt proſpectum, iure ſuo contra eiusmodi creditorem pignoraticium tertium vti non poteſt.

§. 372. In mercibus importandis, eo modo valide oppignoratis, creditoris ius pignoris manet, licet debitoris bona ad concurſum redierint, antequam merces re vera ad locum deſtinatum peruenerunt.

§. 373. Si vero, qui merces procurauit, ante quam ad locum deſtinatum fuerint aduectae, eo modo de iis nondum diſpoſuit; leges ordinationis concurſus valent.

7) intuitu mercium exportandarum,

§. 374. Merces exportandae ſ. transmiſſae oppignerari quoque poſſunt traditione literarum impoſitionem teſtantium (*Ladungsſcheine*), quae ſunt in

Source : BIU Cujas

transmittentis manibus, et documentorum aliorum de transmiſſione facta.

§. 375. Quo etiam in caſu creditoris pignoraticii eſt curare, vt literarum commercio aut alio modo certus fiat de transmiſſione, debitoris nomine facta.

§. 376. Atque etiam ſub poena iuris pignoraticii amittendi curare debet, vt oppignoratio ſecundo minimum, poſt factam oppignerationem, curſus publici die denuntietur commiſſionario, aut mercium conſulenti (*Spediteur*), ad quem merces ſunt miſſae (directae).

§. 377. Nautis et aurigis ius non competit oppignorandi merces, quibus nauem et currum onerarunt.

§. 378. Hinc cum nauta aut auriga de eiusmodi mercibus contractum initurus in primis ſatis certus eſſe debet atteſtato iudicii aut aliorum loci, ex quo merces exportantur, praefectorum (officialium), ad eiusmodi negotia expedienda conſtitutorum, merces a nauta aut auriga nomine proprio eſſe impoſitas, aut ipſi a domino ius, de iis diſponendi, eſſe conceſſum.

§. 379. At iuris tamen mercatorii praecepta valent in iis caſibus, vbi nauta, in itinere in mercibus naui impoſitis nomine eorum, qui merces naui imponendas dederunt, mutuum aut bodmeriam iure poteſt contrahere.

§. 380. In mercium ſpeciebus, in §. 323. ſeqq. deſcriptis, menſae feneratitiae publicae (*Bank*) oppignerandis, ſymbolica traditio quoque requiritur. 8) ſi menſae feneratitiae publicae merces oppignorantur.

§. 381. Praeterea omnes eiusmodi oppignerationes referendae ſunt in libros pignoraticios, conſcribendos a iuratis cuique menſae feneratitiae publicae ſcrinio (*Banko - Comtoir*) praefectis.

§. 382. Menſae feneratitiae publicae ſcrinia quemlibet, qui domini conſenſu, aut alio modo probare poteſt intereſſe ex re licitum, docere oportet: an

Source : BIU Cujas

certa mercium ſpecies, de qua percontans negotium eſt peracturus, menſae feneratitiae publicae in totum aut ex parte ſit oppignorata.

§. 383. Si merces ſunt in prouincia alia, in qua earum dominus non habitat; ſecuritas eiusmodi contrahentis exigit, vt ea de re vtriusque prouinciae menſas feneraticias quaerat.

§. 384. Ex quo ſequitur, cautiones reliquas, ſecundum §. 366. ſeqq. in publici ſecuritatem contra dolum adhibendas, in rebus menſae feneraticiae publicae oppignoratis non eſſe neceſſarias.

§. 385. Tunc tantum, ſi merces importandae aut exportandae menſae feneraticiae publicae oppignerari debent, ab hac quoque obſeruanda ſunt praecepta, aliis pigneratoribus priuatis in §. 366. ſeqq. data.

§. 386. Caeterum menſae feneraticiae publicae relinquitur, quibus cautionibus et rationibus in caſu quouis cum oppignerante vti velit, ad impediendum, quo minus merces ipſi oppigneratae tertio bonae fidei poſſeſſori corporaliter tradantur.

§. 387. Quae cautiones ſi non ſufficiunt; praeceptum §. 275. ſeqq. quoque contra menſam feneraticiam locum habet.

§. 388. Mercator, clandeſtina mercium ſymbolice oppigneratarum venditione et naturali traditione, tertio facta, creditorem pigneraticium fraudans, tanquam falſarius ſecundum legum criminalium praecepta puniatur, et ſententia, contra eum lata, in loco, quo mercatores conueniunt (*an der Börſe*), ad praemonendum publicum affigatur.

§. 389. Iisdem poenis afficiatur, qui pactis de mercibus, celato pignoris iure in iis conſtituto, celebrandis damnum et detrimentum infert vel creditori pignoraticio, vel tertio contrahenti.

§. 390.

Source : BIU Cujas

§. 390. Hypothecae iura acquiri tantum poſſunt in fundis et iis iuribus, quae leges rebus immobilibus aequiparant. (Tit. II. §, 8. 9.) IV. Iura hypothecae, 1) Eorum obiecta.

§. 391. Atque etiam illud ius in iis tantum fundis et iuribus poteſt acquiri, quae in libris hypothecariis publicis ſunt conſignata.

§. 392. Immobilia in regione (diſtrictu) quadam ſita omnia, quae poſſunt ſeparatim poſſideri, alienari, aut obligationibus realibus onerari, in librum diſtrictus hypothecarium referantur neceſſe eſt.

§. 393. Cuique fundo in libro hypothecario certus numerus et folium proprium debet aſſignari.

§. 394. Pertinentiis et iuribus, ad certos fundos principales relatis, quae non niſi cum his ſimul poſſidentur aut exercentur, non aſſignatur ſeparatum folium.

§. 395. Iura contra, quae per ſe ſola poſſunt ſubſiſtere, et absque fundi poſſeſſione etiam exerceri, in libri hypothecarii indices (*Tabellen*) ſeparatos debent referri.

§. 396. Qua ratione libri hypothecarii ſint componendi, et fundorum atque iurium in eos relatio fieri debeat, in ordinatione hypothecaria eſt praeſcriptum.

§, 397. Ius conſcribendi libri hypothecarii et in illum referendi regulariter tantum competit iudici rei ſitae.

§. 398. Exceptiones definiunt leges prouinciales.

§. 399. De titulo, quo fundari poteſt ius, petendi conceſſionem iuris hypothecarii veri, in primis valent praecepta generalia §. 2-5. data. 2) Titulus ad acquirendum ius hypothecarium.

§. 400. Licet lege generale tantum pignoris ius ſit fundatum; attamen illi, cui ius competit, petere licet eius intabulationem in obligati immobilibus.

§. 401. At contra, ius pignoris legale, ad certa tantum obiecta reſtrictum, in aliis immobilibus ſine ſpeciali debitoris conſenſu non poteſt intabulari.

Source : BIU Cujas

§. 402. Pactum, quo bona omnia, aut certa debitoris immobilia denominata, creditori sunt oppignorata, huic nondum dat facultatem, ius suum iudicialiter in librum hypothecarium referendi.

§. 403. Quin potius ad eam intabulationem requiritur debitoris consensus specialis et expressus.

§. 404. In casibus omnibus ius principale, cuius securitati hypotheca debet prospici, ei, cui ius est, contra eum competere debet, qui tanquam plenus rei possessor in libro hypothecario est consignatus.

§. 405. Quod si igitur tempore, quo intabulatio petitur, debitor in libro hypothecario rei dominus non est notatus; neque pro creditore locum habet hypothecae validae concessio.

§. 406. At vero, si post hypothecae constitutionem subsecutam debitor rei dominus in librum hypothecarium re vera intabulatur, locum obtinet praeceptum generale §. 16. 17.

§. 407. Hypothecarum ante, quam possessionis titulus est expeditus, consignatarum altera sequitur alteram pro ordine temporis, quo facta est consignatio.

§. 408. Quod si vero, cum possessionis titulus pro debitore deinde intabularetur, simul intabulatum est ius reale pro eo, qui tempore consignationis hypothecarum illarum rei dominus in libro hypothecario erat notatus, ius prius antecedit posteriora.

§. 409. Iudex hypothecae iura contra eum intabulans, qui nondum dominus in libro hypothecario est notatus, praestat damnum ex eiusmodi illegitima intabulatione ortum omne.

§. 410. Hypotheca omnis, ex fundamento tituli in se legitimi contra possessorem consignatum constituta, vim retinet suam, licet deinde appareat, hunc possessorem verum dominum non fuisse. (Tit. X. §. 7-11.)

Source : BIU Cujas

§. 411. Per intabulationem tantum, in libris hypothecariis publicis factam, ius hypothecae ipsum acquiritur. 3) Modus acquirendi per intabulationem.

§. 412. Quamdiu itaque ius pignoris, lege aut legitima voluntatis declaratione constitutum, nondum est consignatum; tamdiu illud iuris realis qualitatem non induit.

§. 413. At ius pignoris legale, nondum consignatum, id tamen efficit, vt ille, cui hoc ius competit, omissis gradibus executionis intermediis, statim ad solutionem impetrandam capere possit immobilia, quae in debitoris adhuc sunt bonis.

§. 414. Eosdem effectus habet ius pignoris voluntatis declaratione constitutum, licet nondum intabulatum, si in voluntatis declaratione certi fundi sunt denominati, qui executionis tempore adhuc in debitoris sunt bonis.

§. 415. Iuris hypothecarii validitas in et per se dependet a validitate nominis, s. praetensionis, in cuius securitatem est constitutum.

§. 416. Quamdiu igitur, qui debitor dicitur, nomini ipsi contradicit; tamdiu hypothecae consignatio in nominis securitatem locum non inuenit.

§. 417. At creditor tamen contra noxios huius contradictionis effectus tueri se potest, intabulatione protestationis contra oppignorationes omnes sequentes. De protestationibus contra intabulationes, praeiudicium inferentes.

§. 418. At eiusmodi protestatio accipienda non est, nisi ab eo, qui documentis non suspectis aut ratione alia quodam modo firmauit eiusmodi praetensionem, qua per se fundatur legitimus iuris hypothecae acquirendi titulus.

§. 419. Speciatim protestationis eiusmodi consignatio potest admitti, si nominis ipsius consignationi obstat defectus solennitatis adhuc supplendae, quae ad firmandam tantum actus veritatem et certitudinem requiritur.

Source : BIU Cujas

§. 420. Si vero defectus eſt requiſiti, ad actus aut nominis eſſentiam et validitatem ex legibus neceſſarii; neque proteſtationis conſignatio locum habet.

§. 421. Proteſtatione rite conſignata creditor ius acquirit, nominis (praetenſionis) ipſius, contradictione ſublata, aut formalitate ſuppleta, loco, quo proteſtatio eſt notata, quouis tempore intabulandi.

De exceptionibus, quae contra nomina intabulata admittuntur.

§. 422. Eo ſolo, quod nomen in libro hypothecario eſt conſignatum, debitor nondum priuatur exceptionibus nominis validitati alias opponendis.

§. 423. At vero, quatenus tertius in tali nomine, poſt conſignationem iam factam, ius acquiſiuit pacto oneroſo, debitor contra hunc tertium vti non poteſt exceptionibus, huic antea non indicatis.

§. 424. Quod ſi igitur debitor exceptiones contra nomen (praetenſionem) conſignatum etiam aduerſus tertium conſeruare cupit; in libro hypothecario eas annotandas curet neceſſe eſt.

§. 425. Quae notatio, ſi libro hypothecario inſerta fuerit intra hebdomadas quatuor, a tempore factae conſignationis ſummae ipſius, conſeruat debitoris iura etiam contra illum, qui iam antea de eo nomine cum creditore tractauerat.

§. 426. Hinc qui in ſumma intabulata ceſſione, oppigneratione, aut alia ex cauſa, ſecuritate plena ius vult acquirere, primas hebdomadas quatuor poſt intabulationem factam expectet, et deinde exploratum habeat neceſſe eſt, tempore interiecto nullas exceptiones aut proteſtationes contra illam in libro hypothecario eſſe notatas.

4) Forma intabulationum.

§. 427. Forma intabulationum, quibus hypotheca poteſt acquiri, in ordinatione hypothecaria eſt praeſcripta.

5) Euictio, a iudice legitimo, librum hypo-

§. 428. Vitia contra legitimam hanc formam commiſſa inſtantias, ad habendum librum hypothecarium conſtitutas, oportet euincere.

Source : BIU Cujas

§. 429. At contra, inſtantiae iſtae non praeſtant vitia aut defectus nominis ipſius, in cuius ſecuritatem hypotheca eſt conſtituta. thecarium habente, praeſtanda.

§. 430. Si vero cauſa, ob quam ex intabulatione ius hypothecae nullum potuit acquiri, eſt in vitio manifeſto inſtrumenti, cui deeſt requiſitum ex legibus neceſſarium; ii, qui librum habent hypothecarium, tenentur illi, qui eorum iuris ſcientiae confiſus intabulatione vitioſa acquieuit.

§. 431. Ad ſufficientiam ſecuritatis, hypotheca creditori conſtitutae, euincendam librum hypothecarium habentes non obligantur.

§. 432. At vero reſpondere debent, ſi inſtrumentum, de conſignatione hypothecaria ab iis datum (*Hypothekenſchein*), non concordat cum iis, quae in libro hypothecario fuerunt contenta, dati inſtrumenti tempore.

§. 433. Priusquam iudex ob vitium a ſe commiſſum conueniri poteſt, in primis ille tenetur, qui cum creditoris damno ſine iure foret locupletatus.

§. 434. Neque minus is, qui dolo ſuo iudicis actui vitioſo cauſam praebuit.

§. 435. Ex quibus cauſis vi legum creditor, non excuſſo debitore principali, ſtatim fideiuſſorem poteſt conuenire, ex iisdem tantum, in caſibus §. 428. 430. 432. iudicem ſtatim iure conuenire poteſt is, qui intabulatione vitioſa damnum ſentit. (Tit. XIV. §. 297. ſeqq.)

§. 436. Intabulatione rite facta creditor ius acquirit, ob nomen (praetenſionem) ſuum elapſo termino, ſolutioni praefixo, rem oppignoratam apprehendendi. 6) Effectus iuris hypothecarii.

§. 437. Hinc creditoris pignoraticii iura et officia, ex poſſeſſione oriunda, creditori hypothecario non competunt.

Source : BIU Cujas

§. 438. Debitor igitur in re, quae creditori hypothecam praeſtat, alii quoque ius hypothecarium valide poteſt concedere.

§. 439. Vel pactum ipſum, ne in eadem re alii hypotheca conſtituatur, eſt ſine effectu legali. (§. 24.)

§. 440. In quantum creditor hypothecarius conſeruandae ſubſtantiae oppignoratae, quam dominus ipſe conſeruare non poteſt, curam gerere obligetur, definiendum eſt ex praeceptis generalibus Tit. octaui §. 44. ſeqq. et cuiusque loci legibus, a politia datis.

§. 441. At contra creditori, cuius ſecuritatem laedit rei poſſeſſor ſubſtantiam haud mediocriter deteriorando, quoque ius eſt, ſatisfactionem iam ante terminum praeſtitutum petendi.

§. 442. Quo iure ſi vti nolit, aut ſi natura nominis (praetenſionis), in cuius ſecuritatem hypotheca eſt conſtituta, huius iuris vſum non permittit; creditor prouocare poteſt, vt debitori a iudice praeſcribantur limites in diſpoſitionibus noxiis.

Ius reale creditoris hypothecarii quousque extendatur.

§. 443. Ius creditoris hypothecarii reale extenditur ad fundum vniuerſum, et omnes eius pertinentias, tempore conſignationis exiſtentes.

§. 444. Quod habendum ſit pro pertinentia ſimul oppignorata rei aut iuris oppignerati, exorta lite diiudicandum eſt ex ſecundi tituli §. 42. ſeqq. praeceptis.

§. 445. Quatenus vero pertinentiae mobiles, tempore interiecto ab intabulatione vſque ad executionis iudicialis actum, a re principali ſunt ſeparatae, eatenus obligatio, quae iſtis inhaeſit, realis ad tertium poſſeſſorem non ſimul tranſit.

§. 446. At contra, pertinentiae mobiles aliae, hoc tempore intermedio adiectae, creditoris hypothecarii iuri reali ſubiiciuntur, quatenus executionis tempore re vera adhuc extant.

§. 447. Praedii oppignorati pertinentiae immobiles, quae non ſimul debent oppignerari, in

Source : BIU Cujas

transſcribendo et intabulando expreſſe excipiantur, neceſſe eſt.

§. 448. In praediis et fundis, quibus numerus ſeparatus in libro hypothecario eſt datus, et in quibus intabulatio non eſt facta, creditor ius reale non acquirit; licet eiusdem ſint debitoris, et in transſcribendo expreſſe ſimul fuerint hypothecae conſtituti.

§. 449. Quod ſi igitur in inſtrumento praedia et fundi plures pro hypotheca ſunt ſcripti; creditor intabulationem quaerens expreſſe debet notare, in quibus intabulationem petat, et iudex aut inſtantia, librum hypothecarium habens, eum ad eam indicationem certam et definitam expreſſe poteſt prouocare.

§. 450. Quae inſtantia, ſi deinde intabulationem, in ſe admittendam, non inſtituit in fundis denominatis omnibus creditori reſpondet de damno omni inde oriundo.

§. 451. At creditor tamen quoque obligatur, vt vitium commiſſum, ſi illud ex recognitionis inſtrumento de intabulatione facta apparet, ſine mora indicet inſtantiae, quae illud emendet, quatenus tunc emendari adhuc poteſt.

§. 452. Quae denuntiatio ſi intra hebdomadas ſex ab inſtrumenti recognitionis traditi tempore non fuerit facta; ſibimet ipſi imputet damnum ex intabulationibus creditorum aliorum poſterioribus ſibi oriundum.

§. 453. Si intabulatio in praediis diuerſis pluribus temporibus diuerſis ſit facta; creditor in quolibet ius hypothecarium tantum acquirit inde a tempore conſignationis in hoc praedio factae.

§. 454. Ad pertinentias immobiles, poſt factam intabulationem, ex bonis alienis praedio principali demum adiectas, ius creditoris reale non extenditur.

§. 455. In quibus ſi poſtea noua eſt facta intabulatio nominis, veteri praedio inhaerentis; creditor

Source : BIU Cujas

ab hoc tantum tempore acquirit ius hypothecarium in his pertinentiis.

§. 456. Si pro pertinentia acquisita noua, alia iuri creditoris reali subiecta a substantia est separata; creditori pertinentia nouiter acquisita loco separatae obligatur.

§. 457. At iuri suo in pertinentia, recenter acquisita, renuntians ius suum reale quoque potest persequi contra pertinentiae cessae possessorem.

§. 458. Si in regulandis finibus (limitibus) litigiosis, aut in communionum separationibus, praediorum immobilium pertinentiae cum aliis sunt commutatae; praecepta §. 456. 457. locum non inueniunt.

§. 459. Quin potius, intuitu quoque creditorum hypothecariorum, pertinentiae nouae succedunt in locum priorum.

§. 460. Si in finibus regulandis, aut communionum separationibus, praedii pertinentiae cessae sunt pro satisfactione, in pecunia numerata semel praestanda; iudicia negotium dirigentia eam conuentionem denuntiare debent creditoribus hypothecariis, qui iura sua obseruent.

§. 461. Quibus deinde licet postulare, vt debitor istam satisfactionem, in pecunia numerata ipsi definitam, impendat vel in restituendam securitatem cessione deminutam, vel in soluendas sortium summas, quae primae fuerunt intabulatae, quatenus iis sufficit.

§. 462. Si debitor neutrum efficere possit aut nolit; creditoribus hypothecariis ius est, repetendi pecunias suas collocatas vel ante terminum, solutioni praefixum.

§. 463. Quo tamen iure vti debent intra hebdomadas sex, a notificationis ipsis insinuatae tempore.

§. 464. Quod si faciunt, ius hypothecarium in pertinentia cessa vsque ad rei decisionem ipsis seruatur integrum.

Source : BIU Cujas

§. 465. Quem autem terminum legalem ſi negligunt, ius eorum hypothecarium in pertinentia ſeparata extinguitur.

§. 466. Si pertinentiae nouiter adiectae modo legitimo ſeparatim ſunt oppignoratae (§. 454. ſqq.); facta alienatione, emtionis venditionis pretium inter creditores diuerſos diſtribuendum eſt pro ratione (proportione) taxationis cuiusque pertinentiae.

§. 467. Ius creditoris hypothecarii, intuitu totius nominis (praetenſionis) extenditur et ad totum corpus, in quo intabulando eſt conſtitutum, et ad ſingulas eius partes.

§. 468. Hinc, ſi fundi plures ſecuritatem ipſi praeſtant, aut ſi fundus intabulatione oppignoratus iure hereditario aut alio modo fuit diuiſus, ob nomen (praetenſionem) totum, fundum quemlibet, aut partem eius ſeparatam quamlibet, poteſt capere.

§. 469. Mutationibus in rei oppignoratae ſubſtantia ius creditoris hypothecarii non mutatur.

§. 470. Ius creditoris conſignati hypothecarium extenditur ſimul ad incrementa et acceſſiones, ſiue ex natura ſiue ex hominis induſtria proueniant, quatenus poſteriores non ſunt pertinentiae, ex bonis alienis rei adiectae.

§. 471. Hypotheca in fundo conſtituta regulariter quoque complectitur omnia, quae ſunt in eo, aedificia, vel poſt factam intabulationem nouiter exſtructa.

§. 472. Si cui vero tranſcripta eſt hypotheca in ſuperficie tantum ſola, in qua a tertio, praeter dominum ſuperficiei, aedificia ſunt exſtructa; haec non quidem, in aedificantis praeiudicium, ſimul ſunt oppignerata habenda;

§. 473. At aedificiorum tamen dominus creditoribus, quorum ſecuritati ſuperficie eſt proſpectum, ſoluere obſtringitur ſummum ſuperficiei pretium, taxatione conſtitutum.

Source : BIU Cujas

§. 474. Qui creditores igitur eatenus quoque aedificium capere poſſunt; quin etiam concurſus aut liquidationis proceſſu exorto praeferuntur creditoribus, poſt ipſos in hoc aedificio intabulatis.

§. 475. Fructus et emolumenta rei oppignoratae creditori hypothecario ſecuritatem eatenus praeſtant, quatenus executionis tempore a ſubſtantia non ſeparati adſunt.

§. 476. Quamdiu igitur creditor hypothecarius fructus et emolumenta a ſubſtantia ſeparatos, aut conductionis pretium et habitationis mercedem, quae in eorum locum ſuccedunt, nondum iudicialiter detinet, tamdiu dominus de iis valide poteſt diſponere.

§. 477. At contra, pacta et actus alii, quibus debitor de fructibus et emolumentis futuris in anteceſſum diſponit, eatenus ſunt inualidi, quatenus praeiudicio forent creditoribus tum iam intabulatis.

§. 478. Qui cum poſſeſſore de fructibus et emolumentis futuris tractans tueri ſe cupit, contra contradictiones creditorum hypothecariorum, in poſterum intabulandorum; negotium ipſum in libro hypothecario notandum curet neceſſe eſt.

§. 479. Quod ſi non fuerit factum, iure ſuo in fructibus et emolumentis futuris, in praeiudicium creditorum vel poſt demum conſignatorum, non poteſt vti.

§. 480. Hinc conductor, qui conductionis pretium vltra ſpatium trimeſtre praedii poſſeſſori praenumerando ſoluit, hanc ſolutionem opponere non poteſt creditoribus tunc iam intabulatis, qui in praenumerationem non conſenſerunt.

§. 481. Contra creditores poſt intabulandos tunc demum hac ſolutione praenumerata tueri ſe poteſt, ſi eam in libro hypothecario notandam curauit.

Quid ex hypotheca creditori debeatur.

§. 482. Ius rem hypotheca oneratam capiendi creditori competit et intuitu ſortis, et intuitu vſurarum ſortis pactarum.

Source : BIU Cujas

§. 483. At contra, ius creditoris reale non extenditur ad meras morae vſuras.

§. 484. De actionis ob nomen inſtituendae, et nominis exactionis ſumtibus, creditor ius reale nullum habet; niſi ipſi in inſtrumento principali expreſſe fuerit reſeruatum, et ea reſeruatio in libro hypothecario ſimul annotata.

§. 485. Si quis ſuo fundo cautionem praeſtitit muneris ſui proprii, ex fundo praeſtantur quoque ſumtus in defectus eruendos erogati.

§. 486. Quae vero cautio ſi ad quantum certum eſt adſtricta; intuitu ſumtuum eatenus tantum ius reale enaſcitur, quatenus ex hoc quanto iis ſimul poteſt ſatisfieri.

§. 487. Si de ſumtibus reſeruatio expreſſa ſeparata eſt facta, et ſimul intabulata, praeceptum §. 484. locum obtinet.

§. 488. Fundus hypotheca tranſcriptus conſtitutionis hypothecae ipſius ſumtus, in caſibus omnibus, tum tantum praeſtat, ſi expreſſe de iis pignore ſimul eſt conſtitutus, atque id quidem in libro hypothecario ſimul notatum.

§. 489. At debitor tamen ſemper eſt perſonaliter obligatus ad ſumtus conſtitutionis hypothecae et intabulationis ſoluendos, niſi de alio expreſſe fuerit conuentum.

7) Modi, quibus ius hypothecarium exercetur,

§. 490. Creditori ius ſuum hypothecae ſequeſtratione, immiſſione et ſubhaſtatione perſequi licet.

§. 491. Quae autem in eo ſint obſeruanda, ordo iudicialis (ordinatio proceſſualis) praecipit.

in ſpecie contra tertium poſſeſſorem,

§. 492. Creditor hypothecarius iure ſuo in re oppignerata vti quoque poteſt contra tertium rei poſſeſſorem.

§. 493. Contra creditorem in libro hypothecario conſignatum tueri ſe nemo poteſt exceptione, ſe eſſe bonae fidei poſſeſſorem, et ius alterius ignotum ſibi fuiſſe.

Source : BIU Cujas

§. 494. Creditori quoque, licet res ſit in poſſeſſoris tertii manibus, nihilo minus libera eſt electio: vtrum ſtatim rem ipſam velit perſequi, an primum contra debitoris perſonam agere.

§. 495. Ac, licet debitorem conueniat, nihilo minus ei ius in re feruatur integrum, quamdiu ipſi a creditore non plane eſt ſatisfactum.

8) Ordo et iura praelationis nominum configuratorum.

§. 496. Solo creditoris hypothecarii conſenſu in rem alienandam, aut tertio vlterius oppignerandam, ius eius in nihilo mutatur.

§. 497. Si igitur declaratione creditoris ſumma poſtea intabulata nomini ſuo praeferri debeat; hoc ius praelationis ſcriptum concedatur, et in libro hypothecario notetur, neceſſe eſt.

§. 498. Qua notatione omiſſa creditoris declaratio ipſi quidem eiusque heredibus obſtat, non vero tertio nominis poſſeſſori.

§. 499. Quae obſeruanda ſint, ſi femina nomini (praetenſioni) alterius ius praelationis prae ſuo concedit, in titulo de fideiuſſionibus eſt definitum. (Tit. XIV. §. 230.)

§. 500. In et per ſe igitur, ſi res eadem, pluribus hypotheca transſcripta, ad omnium ſatisfactionem haud ſufficit, ius praelationis vnice definitur ex ordine, quo facta eſt intabulatio.

§. 501. Quae iudex obſeruare debeat, ſi ſummae plures vno eodemque tempore ad intabulandum denuntiantur, et qua ratione earum ordo tum ſit definiendus, in ordinatione hypothecaria ſunt praecepta.

§. 502. In quibus praeſcriptis obſeruandis ſi iudex errorem admiſerit; nihilo minus ſubſiſtit ordo, in libro hypothecario ſemel expreſſus.

§. 503. At contra, qui eo iudicis errore damnum accepit, a iudice, at non niſi ſub determinationibus, in §. 451. 452. expreſſis, indemnitatem poteſt exigere.

Source : BIU Cujas

§. 504. Si res eadem, pluribus hypothecis onerata, ad satisfaciendum omnibus non sufficit, vsurae restantes biennes tantum aequalia habent iura cum sorte s. summa principali.

§. 505. Vsurae restantes antiquiores postponendae sunt sortium debitis reliquis omnibus, vel mere personalibus.

§. 506. In quantum, exorto concursus aut liquidationis processu, hypothecarum consignatarum vsurae currentes ex rei oppignoratae fructibus et emolumentis solui debeant, concursus ordo definit.

§. 507. Ibidem quoque est praescriptum, in quantum in eo casu copiae extantes (quotae paratae) creditoribus intabulatis, aut omnibus concursus creditoribus cedunt.

§. 508. Ex iisdem praeceptis definiendum est, si plures creditores executionis via sola copias extantes (quotas paratas) capere velint, quatenus creditorum intabulatorum praelationis ius ad eas extendatur.

§. 509. Expensae, exorto concursus aut liquidationis processu, in alienandum fundum oppigneratum erogatae, ante deducendae sunt de emtionis venditionis pretio exacto.

§. 510. At contra, in concursu creditor quoque hypothecarius ipse ferre debet expensas in nomen concreditoribus probandum (praetensionem erga concreditores euincendam) erogatas.

§. 511. Quatenus creditor de nomine suo intabulato ipse potest disponere, eatenus ei quoque competit ius, hypothecam pro credito constitutam alii cedendi et oppignorandi. 9) De cessionibus et oppignorationibus.

§. 512. Quid in cedendis nominibus consignatis iuris sit, in titulo vndecimo est praescriptum. (Tit. XI. Sect. III.)

§. 513. Cessionis recte factae relatio in librum hypothecarium ad negotii validitatem non est necessaria.

Source : BIU Cujas

§. 514. Quod si vero cessionarius intabulationem quaerere neglexit, eum in praeiudicium sui agnoscere oportet effectus noxios inde oriundos, in casibus ordinatione hypothecaria propius determinatis.

§. 515. In oppignorandis hypothecis consignatis in primis locum habent praecepta generalia de oppignorandis nominibus actiuis generatim. (§. 280. sqq.)

§. 516. Praeterea de eiusmodi oppignorationum intabulatione valent omnia, quae in antecedentibus de cessionibus sunt praecepta. (§. 513. 514.)

§. 517. Sumtus oppignerationis, eiusque intabulationis, deficientibus singularibus conuentionibus ferre oppignorans debet.

§. 518. Sumtus cessionis eiusque intabulationis, nisi singulare quid pacto fuerit constitutum, a cedente et cessionario partibus aequalibus sunt ferendi.

§. 519. At vero, si debitor ob factam renuntiationem alium creditorem quaesiuit; debitor, nisi aliud est pactum, cessionis et intabulationis sumtus soluere debet.

10) De hypothecis delendis.

§. 520. In quantum creditum, pro quo hypotheca est constituta, extinguitur; in tantum in regula quidem ius creditoris reale quoque exspirat;

§. 521. Hinc debitori quoque ius competit, prouocandi ad summam extinctam in libro hypothecario, secundum ordinationis hypothecariae praescriptum, delendam;

§. 522. Quod vero si neglexerit, tertii tractatus quos hic cum creditore intabulato bona fide, libro hypothecario confisus, obseruatis solennibus legalibus egit, non potest impugnare, in huius tertii praeiudicium.

§. 523. Quod si igitur debitor, cui creditor consensum ad summam consignatam delendam denegat, contra eiusmodi creditoris dispositiones omnes tueri se cupit; vsque ad rei decisionem causas, ex qui-

Source : BIU Cujas

bus creditoris dispositionibus contradicit, in libro hypothecario notandas curet, necesse est.

§. 524. Deletione recte facta ius creditoris reale tollitur; licet nomen ipsum, pro quo hypotheca fuit constituta, nondum sit extinctum.

§. 525. Hinc solus creditoris consensus in deletionem nondum sufficit, ad probandum, debitum esse extinctum.

§. 526. Si summa quaedam intabulata fuerit sine iure deleta; creditor quidem inde nondum amittit ius suum reale, ex intabulatione acquisitum;

§. 527. At vero eo vti non potest in praeiudicium eorum, qui post deletionem factam nomina sua demum intabulanda curarunt.

§. 528. At contra, qui deletionis tempore iam erant intabulati, nullum inde possunt percipere commodum.

§. 529. At omnino ea deletio iis prodest, qui nomen antea iam intabulatum, nomen deletum sequens, facta deletione demum sibi cedendum aut oppignorandum, et cessionem aut oppignorationem in libro hypothecario notandam curarunt.

§. 530. Creditoribus plane non intabulatis contra detentorem nominis, quod fuit intabulatum, non prodest huius nominis deletio, sine iure facta.

§. 531. De damnis veris ex deletione, sine iure facta, oriundis omnibus creditori hypothecario reseruatur regressus ad eum, cuius culpa deletio est facta.

§. 532. Deletionis sumtus, deficientibus singularibus conuentionibus, ferre obligatur, qui debitor fuit, aut si tunc res in tertii possessoris est manibus, hic tertius, saluo iure a debitore eos repetendi.

§. 533. Si possessor tertius debitum hypothecarium expresse simul suscepit; deletionis sumtus, ab eo, qui debitor fuit, non potest repetere, nisi aliud fuerit pactum.

Source : BIU Cujas

§. 534. Quamdiu nomen in libro hypothecario intabulatum nondum eſt deletum; tamdiu eius praeſcriptio currere non incipit.

§. 535. At ea tamen in hypothecis quoque locum habent, quae de praeſcriptione intuitu pignorum praecepta ſunt. (§. 246. 247. 248.)

Sectio Secunda.

De iure retentionis.

§. 536. Ius retentionis conſiſtit in rei alienae detentoris iure, eam tamdiu ob debitum contrarium (praetenſionem contrariam) detinendi, donec ſatisfactio ipſi fuerit praeſtita.

§. 537. Quod ius igitur praeſupponit, eum, qui vti eo velit, bona fide ad rei poſſeſſionem peruenisſe; et pro tituli qualitate ad poſſeſſionem iterum relinquendam in et per ſe fore obligatum.

§. 538. Rei poſſeſſor malae fidei ius retentionis ſibi arrogare nunquam poteſt.

§. 539. Praetenſio (nomen), ob quam retentionis ius exerceri debet, intuitu rei ipſius, aut ex negotio, quo ea in poſſeſſoris manus peruenit, exorta ſit neceſſe eſt.

§. 540. Nominis (praetenſionis) dies, ſolutioni praefixus, eodem tempore incidat neceſſe eſt, quo res erat reſtituenda.

§. 541. In tantum minimum debet eſſe rationibus firmatum, in quantum ex legibus ad imponendum arreſtum requiritur.

§. 542. Si requiſita adſunt, (§. 539. 540. 541.) expoſita, ſortis (ſummae capitalis) quoque detentor ob debitum contrarium, quod rei dominus ipſi debet, retentionis ius vel tum poteſt exercere, ſi ipſi alias ius compenſandi non competeret. (Tit. XVI. Sect. VI.)

§. 543.

Source : BIU Cujas

§. 543. Ob debita, quae ad rem aut negotium non referuntur, retentionis ius in regula locum non habet. (Tit. XIV. §. 79. Tit. XX. §. 172. 173.)

§. 544. Cuius regulae exceptiones expreſſis legis praeceptis fundatae ſint neceſſe eſt.

§. 545. Cui retentionis ius competit, is contra debitorem ſuum, rem repetentem, in rei poſſeſſione tuendus eſt, donec ſatisfactio ipſi fuerit praeſtita.

§. 546. Contra tertium, qui iure poſtulare in ſe poteſt, vt poſſeſſio relinquatur, in regula ius retentionis exerceri nequit.

§. 547. At vero, ſi detentoris nomen (praetenſio) oritur ex vtili in rem verſione; ius retentionis detentori competit contra quemcunque, qui cum rei poſſeſſione ſimul commodum, ex hac verſione enatum, eſſet percepturus.

§. 548. Quo tamen in caſu commodum, verſione promotum, adhuc re vera exiſtat neceſſe eſt.

§. 549. Quod ius quoque exerceri tantum poteſt proportione commodi, re vera adhuc extantis, ad ſummam verſam.

§. 550. Quod ſi igitur plura ſunt in rem verſa, quam commodum adhuc extans aeſtumatur; huius commodi ſumma tantum definit ſummam, ad quam detentori retentionis ius contra tertium competit.

§. 551. Quamdiu vero de ſumma eius, quod ex principiis antecedentibus (§. 548. 549.) detentori debetur, inter eum et tertium adhuc diſceptatur: tamdiu detentor iure retentionis in totam verſionis factae ſummam poteſt vti.

§. 552. In caſibus omnibus ius retentionis, ſiue contra debitorem, ſiue contra tertium exerceatur, eatenus tantum extenditur, quatenus requiritur ad ſatisfaciendum debito detentori ſoluendo.

§. 553. Quod ſi igitur rei pretium nominis ſummam excedit; detentor aequam (proportionatam) tantum rei partem retinere poteſt.

Source : BIU Cujas

§. 554. Si res eſt indiuidua; repetenti prouocare licet, vt res deponatur in iudicio cum partis ſuccumbentis periculo et ſumtibus.

§. 555. Repetenti, qui pro nominis (praetenſi) ſumma idoneam praeſtare poteſt cautionem, ius competit agendi, vt reſtituatur res tota indiuidua.

§. 556. In genere in caſibus omnibus, vbi de nomine, ob quod retentionis ius exerceri debeat, adhuc contenditur, detentor obligatur, ad rem reſtituendam repetenti, idoneam cautionem praeſtanti.

§. 557. At ſi de nomine ſatis conſtat; rei detentor adigi tantum poteſt ad reſtituendam rem indiuiduam, ſatisfactione re vera praeſtita.

§. 558. Quamdiu detentor vi iuris retentionis in rei eſt poſſeſſione, tamdiu in ea cuſtodienda, vtenda et adminiſtranda obſtrictus eſt pignoris detentoris obligationibus omnibus.

§. 559. Re, in qua alicui retentionis ius competit, reſtituta hoc ius extinguitur.

§. 560. Quod ius neque conſeruatur proteſtatione, in re debitori aut tertio reſtituenda facta.

§. 561. Detentori autem vi aut dolo de poſſeſſione deiecto ius manet integrum; et hic agere poteſt contra deiicientem, vt ipſi poſſeſſio iterum concedatur.

§. 562. Si iudicium rem a detentore poſcit; huic ius ſuum reſeruatur, dum ea, aut eius pretium, in iudicio eſt depoſitum.

§. 563. Si vero res a iudicio eum in finem poſcitur, vt alteri tradatur poſſidenda; detentor ius retentionis proteſtatione tantum poteſt tueri.

§. 564. Quae proteſtatio iudicio ipſi debet offerri minimum intra dies octo, a tempore exhibitionis factae.

§. 565. Ea proteſtatione is, cui ius competit, ſibi conſeruat ius agendi, vt ipſi rei poſſeſſio iterum concedatur, aut res in iudicio deponatur.

Source : BIU Cujas

§. 566. Concurſu de debitoris bonis moto, retentionis ius ceſſat; et is, cui ius retentionis competiit, reliquis creditoribus eo non praefertur.

§. 567. De retentionis iure, feudi aut fidecommiſſi poſſeſſoris viduis et heredibus allodialibus competente, neceſſaria ſuo loco ſunt praeſcripta. (Tit. XVIII. §. 600. 601. Part. II. Tit. IV. Sect. III.)

Sectio Tertia.

De iure protimiſeos, retractus et reemtionis.

§. 568. Ius protimiſeos eſt ius, rem a domino (proprietario) tertio venditam emtione ſibi habendi (prehendendi), ſub iisdem, quas tertius obtulit, emtionis venditionis perfectae conditionibus, aut conditionibus certis, in anteceſſum determinatis. Definitio.

§. 569. Ius protimiſeos, pacto aut voluntatis vltimae diſpoſitione conſtitutum, in regula eſt tantum ius perſonale, quo praeſens tantum dominus eiusque heredes obligantur. Ius protimiſeos perſonale et reale.

§. 570. Ius protimiſeos iuris realis qualitatem, ſi res ſint immobiles, demum conſequitur conſignatione in libro hypothecario facta.

§. 571. Ad quam conſignationem, ſi ius ſemel recte eſt conſtitutum, ſpecialis domini (proprietarii) conſenſus non requiritur.

§. 572. In rebus mobilibus ius protimiſeos, in qualitate iuris realis, plane non poteſt conſtitui pacto aut vltimae voluntatis diſpoſitione.

§. 573. At contra, ius protimiſeos, immediate ex lege ortum, quemcunque poſſeſſorem obligat, vel ſine intabulatione.

§. 574. At vero, ſi cauſa, ex qua res immobilis huic iuri eſt ſubiecta, eo nititur, quod rei adhaeret qualitas feudalis, emphyteutica, aut eius generis

BIU SCHEQUE PARIS CUJAS

Source : BIU Cujas

alia; haec qualitas saltem in libro hypothecario notata sit necesse est.

Casus, vbi iuris huius exercitium locum habet, vel minus.

§. 575. Ius protimiseos regulariter exerceri tantum potest in emtionibus venditionibus veris, at non in aliis alienationis speciebus.

§. 576. Attamen datio in solutum, et iuris vtendi ad dominium pertinentis alienatio omnis, pro parata pecunia facta, hoc respectu venditioni verae est aequiparanda.

§. 577. Si dubium est, vtrum alienatio pro emtione venditione, an permutatione, donatione, aut alio eiusmodi negotio sit habenda; in casu dubio praesumtio stat contra emtionem venditionem.

§. 578. Si emtio venditio inita est sub ea conditione principali, quam adimplere praeter emtorem praesentem nemo potest; iuri protimiseos non locus.

§. 579. Conditiones secundariae (separatae), quae pecunia possunt aestumari, non excludunt eum, cui ius protimiseos competit, si praeter emtionis venditionis pretium pactum ad eam aestumationem praestandam se offert.

§. 580. Ad conditiones secundarias, quae, tanquam pacta consideratae, obligationem eas adimplendi plane nullam producunt, in praeiudicium eius, cui ius protimiseos competit, plane non attenditur. (Tit. V. §. 51. 70-73.)

§. 581. Conditio, venditorem alendi, pro ea est habenda, qua ius protimiseos excluditur.

§. 582. At vero, si alimenta determinata sunt ad naturalium summas aut quantitates certas, nulla eius, qui alendus est, obligationum aut rationum personalium ratione habita; iure protimiseos gaudens iure suo vti potest, si easdem praestationes in se suscipit.

§. 583. Alia quoque alimenta, indeterminate promissa, ius protimiseos non excludunt, si venditor

Source : BIU Cujas

expreſſe declarat, ſe quoque velle ea alimenta accipere ab eo, qui ius habet protimiſeos.

§. 584. Ius protimiſeos locum non habet, ſi poſſeſſor rem heredi legali proximo iam inter viuos emtione venditione cedit.

§. 585. Quibus caſibus exceptis, venditoris praetextus affectionis in emtorem ſingularis eum, cui ius protimiſeos competit, impedire non poteſt, quo minus iure ſuo vtatur.

§. 586. In caſibus antecedentibus (§. 578. 581. 584.) ius eius, qui iure protimiſeos gaudet, quatenus ipſi illud immediate ex lege, aut tanquam ius reale competit, in caſu tantum praeſente quieſcit; et exerceri rurſus poteſt in venditione proxima, in qua horum impedimentorum nullum exiſtit.

Rationes plurium inter ſe, quibus ius protimiſeos competit.

§. 587. Si plures, quibus ius protimiſeos competit, ad illud exercendum ſe offerunt; reliquis praefertur is, cuius ius immediate ex lege oritur.

§. 588. Si omnium ius protimiſeos immediate oritur ex lege; condominus praefertur conſanguineo, hic domino directo, et dominus directus reliquis, quibus ius eſt ex lege, omnibus.

§. 589. Si omnium ius protimiſeos ex voluntatis declarationibus oritur; is, cui merum ius perſonale competit, cedit illi, qui ius protimiſeos intabulandum curauit.

§. 590. Inter plures intabulatos hic quoque decidit tempus prius, quo intabulatio quaeſita eſt.

§. 591. Quo ordine ius protimiſeos, quatenus ius eſt familiae, a pluribus familiae membris, ad hoc ius vocatis, exerceatur, ſuo loco eſt definitum. (Part. II. Tit. IV. Sect. IV.)

§. 592. Si ex praeceptis antecedentibus (§. 587-591.) decidi non poteſt, quis comparentium plurium, eo iure gaudentium, reliquis ſit praeferendus;

Source : BIU Cujas

a venditoris electione pendet, cui eorum ius protimiſeos in primis velit concedere.

§. 593. De quo ſi venditor ſe declarare non poteſt, aut non vult; ſors dirimit.

Quatenus hoc ius aliis cedi poſſit, aut

§. 594. Ius protimiſeos cedi non poteſt aliis, quibus pro ſuis perſonis hoc ius non competit.

§. 595. Si adeſt ſuſpicio, veri ſpecie non carens, eum, cui ius protimiſeos competit, iure ſuo ſub ſuo nomine vti tantum velle in fauorem alius, eo iure non gaudentis; emtori licet, petere inquiſitionem et deciſionem iudicialem, et ad probandam eiusmodi ſimulationem iurisiurandi delatione quoque vti.

ad heredes tranſeat.

§. 596. Ius protimiſeos, ex voluntatis declarationibus oriundum, ad heredes tantum tranſit ſub iisdem circumſtantiis et cauſis, quibus in iure reemtionis eſt praeceptum. (Tit. XI. §. 314-318.)

Renuntiatio iuris protimiſeos.

§. 597. Qui iuri ſuo protimiſeos ſemel ſine reſeruatione renuntiauit, eo in poſterum vti non amplius poteſt.

§. 598. At vero, ſi renuntiatio verbis tantum indeterminatis eſt facta, neque deletum ius protimiſeos in libro hypothecario conſignatum; hoc ius illi, cui competit, nihilo minus in caſus reſeruatur futuros.

§. 599. Si ius protimiſeos ad certum tempus alicui fuerit conceſſum; temporis determinatio tantum adiecta praeſumitur in fauorem poſſeſſoris rei, iuri protimiſeos obnoxiae.

§. 600. Ius protimiſeos igitur extinguitur, ſi is, cui illud competebat, eo intra terminum praefinitum vti non potuit, aut noluit.

§. 601. Si vero apparet, temporis determinationem fuiſſe adiectam in fauorem eius, qui iure gaudet protimiſeos, poſſeſſori ius non eſt, illius ius irritum reddendi, citius facta venditione, cuius conditiones implere non poteſt, aut non vult.

Source : BIU Cujas

§. 602. Qui ius protimiſeos ſibi competens exercere cupit, adimplere debet conditiones, quas emtor primus obtulit, omnes. Obligationes eius, qui iure protimiſeos gaudet.

§. 603. Quod etiam praecipue valet de iis, quae de emtionis venditionis pretio ſoluendo, aut de eius ſecuritate praeſtanda et vſuris conſtituta ſunt.

§. 604. At contra, emtori primo ius non competit, declaratione ſemel facta, emtionis venditionis pretium, in pacto re vera contracto conſtitutum, augendi in iure protimiſeos gaudentis praeiudicium.

§. 605. Si pretium certum, quo vſus iuris protimiſeos locum habere debeat, pacto aut vltimis voluntatis declarationibus in anteceſſum fuerit definitum; in eo ab vtraque parte ſtandum.

§. 606. An et quid hoc in caſu iure protimiſeos gaudens, praeter pretium in anteceſſum definitum, pro meliorationibus factis refundere obligetur; diiudicandum eſt ex regulis de reemtione praeſcriptis. (Tit. XI. §. 303. 304. 305.)

§. 607. Si res iure protimiſeos onerata, ſimul cum re alia, vno eodemque pretio non ſeparato eſt vendita; iure protimiſeos gaudens rem vtramque coniunctim debet redimere, vel de iure protimiſeos decedere.

§. 608. Venditor rei iure protimiſeos oneratae obligatur ei, cui ius competit, emtionem venditionem initam denuntiare, et exhibere punctationis exemplar fide deſcriptum. Obligati obligationes.

§. 609. Iure protimiſeos gaudens, ſub iuris ſui iactura, declarationem de vtendo ſuo iure debet interponere, ſi res ſint mobiles, intra eum terminum, quem leges in pactis ad acceptandam delationem factam definiunt. (Tit. V. §. 94-101.)

§. 610. Si fundi ſint et iura, neceſſe eſt, vt haec declaratio fiat intra menſes duos inde ab eo die, quo emtionis venditionis initae eiusque conditionum denuntiatio iure protimiſeos gaudenti eſt exhibita. Denuntiatio.

Source : BIU Cujas

§. 611. In casibus omnibus, vbi ius protimiseos iuris realis qualitatem habet, denuntiatio a iudice aut notario fiat necesse est.

§. 612. Intuitu iure protimiseos gaudentium, quorum domicilium est ignotum, edictum (patentum) publicum vicem denuntiationis specialis sustinet.

§. 613. Quod tamen edictum sub iis tantum circumstantiis et modis potest concedi, sub quibus citatio edictalis rei absentis secundum ordinem iudicialem admittitur.

§. 614. Edictum (patentum) solito iudicii loco est affigendum, nouellis etiam publicis atque ephemeridibus prouincialibus, si res sint mobiles, semel, at si immobiles, trina vice inserendum.

§. 615. Si res in iudicio venditur, terminus licitationis praefixus ei, cui ius protimiseos competit, modo §. 611-614. expositio speciatim denuntietur necesse est.

§. 616. Quo in casu iure protimiseos gaudens, sub iuris sui iactura, in licitationis termino ipso, declarare debet, an rem licitatione, quae est oblata, summa velit accipere.

§. 617. Qui iure protimiseos personali tantum gaudens ius suum iudici non denuntiauit, conqueri nequit, si ad venditionem iudicialem speciatim non fuerit citatus.

§. 618. Quamdiu is, cui ius protimiseos competit, de iure suo vtendo se nondum declarauit, tamdiu venditor et emtor primus consensu mutuo ab emtione venditione possunt recedere.

§. 619. At eum tamen, qui iure protimiseos gaudet, indemnem debent praestare, si tempore interiecto forsan ab eo ad exercendum ius suum quaedam fuerint prospecta.

§. 620. At contra venditor et primus emtor, denuntiatione semel facta, in contractus conditionibus

Source : BIU Cujas

mutare nihil poſſunt in eius, cui ius competit, praeiudicium.

§. 621. In eo tantum caſu, ſi venditor emtori primo de certa emtionis venditionis pretii parte ſine ſecuritate ſpeciali fidem habuit, venditor ab eo, qui vult iure protimiſeos vti, de hac parte cautionem idoneam poteſt exigere.

§. 622. Idem valet de aliis contractus conditionibus, quarum adimplemento ſecuritate ſpeciali non eſt proſpectum, ob fiduciam perſonalem emtori habitam.

§. 623. Facta ſemel eius, cui ius competit, declaratione, ſe velle iure ſuo protimiſeos vti, emtor primus ab obligatione ſua liberatur.

§. 624. Quod ſi igitur iure protimiſeos gaudens conditiones adimplere nequit, et emtor primus emtione non vult ſtare; ille venditori praeſtat damnum omne inde oriundum.

§. 625. At vero, ſi emtor primus emtione ſtare velit; iure protimiſeos gaudens iure ſuo contra emtorem primum vti non amplius poteſt, licet tempore inierieto in eum ſtatum peruenerit, quo adimplere conditiones poſſit.

§. 626. Iure protimiſeos mere perſonali gaudens rem ſe inſcio venditam, emtori iam traditam, repetere ab hoc nequit. Iura eius, qui iure protimiſeos gaudet, ſi res tertio iam fuerit tradita intuitu iuris protimiſeos perſonalis,

§. 627. At omnino indemnitatem poſtulare a venditore poteſt.

§. 628. Si apparet, venditorem data opera et animo, ius protimiſeos iure gaudentis laedendi, huic venditionem non denuntiaſſe; huic non damnum ſolum datum, ſed lucrum etiam ceſſans praeſtat.

§. 629. Heredes eius, qui ius protimiſeos perſonale conceſſerat, ob venditionem, ab ipſis perfectam, non denuntiatam iure protimiſeos gaudenti eatenus

Source : BIU Cujas

tantum praeſtant indemnitatem, quatenus conuinci poſſunt, notitiam habuiſſe iuris ab hereditatem relinquente ipſi conceſſi.

§. 630. Si emtor poteſt conuinci, eum ante traditionem factam haud ignoraſſe, alteri ius protimiſeos perſonale competere; in huius praeiudicium traditionem factam opponere nequit.

intuitu iuris retrahendi realis.

§. 631. Iure protimiſeos legali aut reali gaudenti ius eſt, rem absque denuntiatione ſolenni, aut ante terminum legitimum elapſum, alii emtori traditam ab hoc iudicialiter reuocandi.

§. 632. Si iure protimiſeos gaudens hoc iure contra emtorem et poſſeſſorem vti velit; huic omne id, quod venditori emtionis venditionis pretio ſoluit, ſimulac ipſi res traditur, integrum debet reſtituere.

§ 633. At contra, emtionis venditionis ſumtus, et quae alias (vltra pretium) ob poſſeſſionis mutationem laudemio aut ſumtibus aliis fuerunt ſoluenda, retrahens refundere non tenetur.

§. 634. At contra tenetur ad reſarciendum ſumtus, ab emtore erogatos in promulgandam fundi venditionem, et conſequendam ſententiam, qua praetendentes praecludantur reales.

§. 635. Si praedium pretio maiori iam fuerit vlterius venditum, antequam alter iure retrahendi fuit vſus; retrahens nihilo minus primum tantum emtionis venditionis pretium ſoluere obligatur.

§. 636. At vero, ſi pretium, quo poſſeſſor praeſens praedium emit, priori eſt vilius, hoc quoque retrahenti prodeſt.

§. 637. De emtionis venditionis pretio, de quo venditor forſan fidem habuit, retrahens in venditoris primi iura et obligationes ſuccedit, at ſub determinatione tamen §. 621. 622. expoſita.

§. 638. Remiſſio aut renuntiatio, a venditore in emtoris primi fauorem facta, retrahenti non prodeſt.

Source : BIU Cujas

§. 639. Si emtor et poſſeſſor, qui poteſt conuinci, et exiſtentiam iuris protimiſeos et perſonam eius, cui illud competit, ipſi innotuiſſe, curam non habuit, vt iure protimiſeos gaudens ad vtendum iure ſuo legitime prouocaretur; talis emtor ratione retrahentis aequiparandus eſt poſſeſſori iniuſtificato intuitu meliorationum ac deteriorationum, quae rei ſubſtantiae acciderunt, dum eam poſſedit. (Tit. VII. §. 239. 240.)

§. 640. Emtor vero, cui generatim tantum ex libro hypothecario aut aliunde innotuit, rem iure protimiſeos eſſe oneratam, at cui nihil aliud poteſt imputari, niſi omiſſa citatio legitima protimiſeos iure gaudentium, pro bonae fidei poſſeſſore habetur, et fructuum atque emolumentorum, et meliorationum factarum intuitu.

§. 641. At intuitu deteriorationum talis quoque poſſeſſor culpam leuem debet praeſtare.

§. 642. A temporis momento, quo retrahens declarationem de iure ſuo vtendo poſſeſſori iudicialiter inſinuandam curauit, talis quoque poſſeſſor (§. 640.), ratione ſubſtantiae, malae fidei poſſeſſoris obligationibus obſtringitur omnibus.

§. 643. De fructibus autem et emolumentis, intuitu fundorum, ſeruantur ei iura, quibus eo vſque eſt gauiſus, integra vſque ad finem anni eius oeconomici, quo denuntiatio eſt facta.

§. 644. Ad exercendum ius retractus, in antecedentibus deſcriptum, poſſeſſor eo iure gaudentem prouocare quocunque tempore poteſt. Iactura iuris retractus.

§. 645. De qua iure gaudentis prouocatione et obligatione, ſe de eo declarandi, valent omnia, quae de denuntiatione prima emtionis venditionis initae ſupra §. 608. ſeqq. ſunt praecepta.

§. 646. Qua prouocatione non facta, ius retrahendi tantum extinguitur legitima praeſcriptione per non-vſum.

Source : BIU Cujas

§. 647. Quae praefcriptio intuitu fundorum et iurium, in libro hypothecario confignatorum, femper et fine difcrimine cafuum currere incipit ab eo die, quo prima emtio venditio in libro hypothecario fuit notata.

§. 648. Ius protimifeos et retractus ipfum, in libro hypothecario confignatum, per non-vfum nunquam poteft extingui.

§. 649. Quae intuitu iuris protimifeos et retractus in bonis auitis (familiae) iuris fint, in parte fecunda funt praecepta. (Part. II. Tit. IV. Sect. IV.)

Ius protimifeos ex vicinitate.

§. 650. In bonis, quae olim coniunctim fuerunt poffeffa, et ex fola vicinitate et fitu, fecundum iura communia, ius protimifeos f. retractus locum non habet.

§. 651. Si tamen fundus quidam, ad totum praedium pertinens, fundis praedii alius eo modo eft inclufus, aut fic confufus, vt ex hoc fitu inter vtrosque poffeffores facile difcordiae et lites (proceffus) poffint oriri; alius praedii poffeffori, fi eiusmodi fundus feparatus venditur, ius protimifeos concedatur.

§. 652. Eiusmodi fundi poffeffor igitur eft obligatus, vt praedii alius poffeffori eum offerat emendum.

§. 653. Qui fi de pretio nequeunt conuenire, poffeffori quidem licet, fundum et tertio concedere;

§. 654. At vero, fi ftatuat, pretium accipere primum poftulato vilius, mutatum hoc confilium praedii vicini poffeffori debet denuntiare, antequam fundus tertio traditur.

§. 655. Si contra praecepta antecedentia fundus, vicino nefcio, tertio re vera fuerit traditus, ille hunc fundum intra fex menfes poft traditionem poteft retrahere a nouo poffeffore, reftituto pretio foluto.

§. 656. Quo tamen in cafu poffeffor contra retrahentem bonae fidei poffefforis iuribus gaudet omnibus.

§. 657. Quid intuitu reemtionis iuris fit, fuo loco eft definitum. (Tit. XI. §. 296. feqq.)

Source : BIU Cujas

TITVLVS VICESIMVS PRIMVS.

De iure vtendi, vel vtilitatem percipiendi ex rebus alienis.

§. 1. Ius re aliena vtendi, aut fructus et emolumenta ex ea percipiendi, constitui potest voluntatis declarationibus, immediate ex legibus, aut etiam praescriptione.

§. 2. Quatenus is, cui ius competit, in vera est possessione rei alienae, qua vti aut ex qua vtilitatem percipere potest, eatenus ius eius qualitatem iuris realis induit.

§. 3. Obligatio igitur, iuris realis exercitium ipsi permittendi, simul transit ad quemcunque nouum rei oneratae possessorem, ius suum deriuantem ab eo, qui ius vtendi aut vtilitatem ex ea re percipiendi constituit.

§. 4. In fundis et seruitutibus iuris relatio in librum hypothecarium producit corporalis possessionis rei effectus.

§. 5. Iura vtendi, neque cum possessione rei coniuncta, neque in libro hypothecario consignata, in regula tantum tamdiu possunt exerceri, quamdiu

Source : BIU Cujas

res onerata eſt in manibus illius, qui iure gaudenti perſonaliter fuit obligatus, aut eius heredum (ſucceſſorum). (Tit. XIX. §. 5. 6.)

§. 6. At vero, qui res ſuſcipit, quibus vtendi ius ex legibus immediate alteri competit, ad eum obligatio erga vtentem ſimul tranſit; ſimulac ſuſcipienti notum fuit, aut absque culpa lata aut leui ſua propria ignotum eſſe non potuit, praeſenti domino cum eo, cui ius competit, eam intercedere rationem perſonalem, ex qua vi legum vtendi ius exoritur.

§. 7. Vtendi iura ex praeſcriptione oriunda acquiri tantum poſſunt, per praeſcriptionem ex poſſeſſione, et tunc ſemper induunt iuris realis qualitatem.

§. 8. In vtendi et vtilitatem percipiendi iuribus, pactis acquiſitis, in caſu dubio praeſumitur, dominum (proprietarium) praeter ea, quae negotii naturam ſequuntur, de iure ſuo noluiſſe plura cedere, quam in pacto perſpicue ſunt expreſſa.

§. 9. Atque etiam in caſu dubio ſtatuendum eſt, dominum ius vtendi aut vtilitates percipiendi non niſi pro ſatisfactione aequa conceſſiſſe.

§. 10. Quod ſi igitur ius vtendi per pactum onerosum eſt conſtitutum; in caſu dubio attendendum eſt, vt vtens percipiat vtilitates, quae aequa proportione conueniant cum iis, quae pro iſtis dedit, aut praeſtitit.

§. 11. Cui rei vſus, aut vtilitates ex ea percipiendae competunt, ferre debet impenſas et onera, ſine quibus non poteſt percipere commoda atque vtilitates inde percipiendas.

§. 12. Rem, dum ea vtitur, in eo ſtatu, quo eam accepit, obſtringitur conſeruare, et iure ſuo finito, in eodem ſtatu reſtituere.

Source : BIU Cujas

§. 13. Deteriorationes pro rerum natura et ordine ex vſu ſolito oriundas is non praeſtat, cui ius competit.

§. 14. Neque praeſtat rei deteriorationem et interitum eum, qui absque culpa ſua accidit.

§. 15. Quem culpae gradum is, cui ius competit, praeſtare debeat, diiudicandum eſt ex pacti natura, ex quo ius eius enaſcitur, et ex praeceptis, ideo in titulo de pactis datis. (Tit. V.)

§. 16. In vtendi iuribus, ex vltimae voluntatis diſpoſitionibus, aut immediate ex legibus ortis, is, cui ius competit, in regula culpam leuem praeſtat.

§. 17. Cui rerum vniuerſitatis vſus eſt conceſſus, corpora, quae natura ſua aut caſu deceſſerunt, (quae per naturam aut caſum defectum paſſa) ſupplere debet ex vniuerſitatis rerum fructibus ipſis, in quantum fieri poteſt.

§. 18. In quantum ea aliunde, quam ex vniuerſitatis rerum fructibus ſuppleri debeant, pro diuerſis iuris vtendi et rerum, quarum vſus eſt conceſſus, ſpeciebus, in legibus ſpeciatim eſt definitum.

§. 19. Cautionem, non expreſſe pactam, dominus (proprietarius) in regula iure exigere nequit a iure vtendi gaudente.

§. 20. Simulac autem abuſus aut malae adminiſtrationis metus non ſine veri ſpecie exoritur, is, cui ius competit, a iudice poteſt compelli, vt domino de laeſione imminente aut ſubſtantiae deterioratione cautionem idoneam praeſtet.

§. 21. Si ei, cui ius competit, ex vitioſa rei qualitate damnum eſt ortum; dominus damnum eatenus praeſtat, quatenus in pacto contrahendo, aut alias, commiſit culpam, ſecundum leges ei imputandam. (Tit. V. §. 277-284.)

Source : BIU Cujas

Sectio Prima.

De vſufructu.

Definitio. §. 22. Ius vtendi plenum, aut ius, ex re aliena inſtar boni patrisfamilias, ſine limitatione vlla, omnem vtilitatem percipiendi, aut ea vtendi, vocatur vſusfructus.

Iura vſufructuarii. §. 23. Vſufructuarius quidem in regula, aeque ac dominus vtilis ius habet, fructus atque emolumenta omnes, et ſolitos et inſolitos, ex re percipiendi;

§. 24. Ius eius quoque extenditur ad acceſſiones et incrementa omnes, vel eas quoque, quae vſufructu eius durante demum ſunt ortae;

§. 25. At vero ipſi non licet, domino (proprietario) haud conſentiente, ne ſingulas quidem ſubſtantiae partes transmutare in formam aliam, a priori prorſus diuerſam. (Tit. XVIII. §. 9. 10.)

§. 26. Quod ſi nihilo minus fecerit; res vſufructu finito, petente domino (proprietario), vſufructuarii ſumtibus in priſtinum ſtatum eſt reſtituenda.

§. 27. Quod ſi fieri nequit, vſufructuarius domino praeſtat damnum, ex ea mutatione, proprio auſu facta, ortum omne.

§. 28. Atque etiam, durante adhuc vſufructu, domino (proprietario) competit ius, vſufructuarium adigendi, vt rem proprio auſu mutatam in priſtinum ſtatum reducat.

§. 29. Fructus et emolumenta, ſub vſusfructus initio a re iam ſeparata, et vſuras, reditus, aliasque praeſtationes, quarum dies tunc temporis iam venerat, aut quibus iam ante erat ſatisfaciendum, vſufructuarius, qua talis, petere nequit.

§. 30. Fructus et emolumenta, quae absque ſubſtantiae deterioratione percipi nequeunt, regulariter ad vſumfructum non pertinent.

§. 31.

Source : BIU Cujas

§. 31. At vero ad eum referuntur, ſi iſtae deteriorationes, adminiſtratione ſolita, per rerum naturam et ordinem, intra certum tempus ſponte reſtituuntur.

§. 32. Hinc ligna ſiluae rite diuiſae et adminiſtratae eatenus ad vſumfructum pertinent, quatenus lignorum caedes (caeſurae) in vſusfructus tempus incidunt.

§. 33. Arbores per ventum fractae, eatenus tantum ad eum pertinent, quatenus ordinario foreſti vſui ſunt imputandae.

§. 34. Praeter ea dominus (proprietarius) pecuniam ex arboribus, per ventum fractis, vel impendere debet in praedii meliorationem, vſufructuario etiam vtilem, vel ei vſuras eius concedere durante eius vſufructu.

§. 35. Arbores ſingulas, in agris, pratis aut paſcuis (*Angern*) natas, ſibi appropriare, in regula vſufructuario non licet.

§. 36. At petere tamen poteſt earum caedem, quatenus ea ex principiis oeconomicis neceſſaria eſt, aut vtilis, et pretii inde exacti vſum, ſecundum propiorem §. 34. determinationem.

§. 37. Intuitu prouentuum ſubterraneorum, regalibus adnumeratorum, vſufructuario non competit, niſi vſus redituum lucri (ex metallis *Ausbeute*), qui cedunt domino pro rata.

§. 38. At contra, dominus (proprietarius) quoque praeſtat pecuniam, ad opus continuandum neceſſario ſuppeditandam, quatenus praeſtari nequit ex reditibus ſubterraneis, durante vſufructu perceptis.

§. 39. Alii prouentus ſubterranei, regalibus non adnumerati, ad vſufructuarii ius regulariter pertinent.

§. 40. In genere vſufructuarius prouentibus, ad vſumfructum in ſe non pertinentibus, nihilo minus eatenus poteſt vti, quatenus ad rem conſeruandam requiritur.

Source : BIU Cujas

§. 41. Thesauri inuenti ad vsufructuarium, qua talem, ne intuitu vsurarum aut fructuum quidem pertinent.

§. 42. Cui in bonis omnibus aut hereditate ius vtendi fruendi est constitutum, is quoque vtitur fruitur omni summa redituum vitalitiorum, ad bona omnia aut hereditatem pertinentium.

§. 43. Atque etiam rei augmentis aut meliorationibus, a tertio in domini (proprietarii) fauorem factis, vsufructuarius iure vtitur.

§. 44. At vero, si beneficium praestans aliud expresse declarauit, hac declaratione standum.

§. 45. Exercitium iurium honorificorum, fundo inhaerentium, in regula domino (proprietario) competit.

§. 46. At vero, si cum iuribus hisce honorificis coniuncta sunt onera; dominus (proprietarius) vel ea etiam debet ferre; vel si id nolit, horum iurium vsum concedere vsufructuario, pro oneribus ferendis.

Obligationes vsufructuarii intuitu aedificiorum,

§. 47. Aedes ad ius vtendi fruendi pertinentes vsufructuarius in eo statu, quo eas accepit, sartas et tectas conseruare obligatur.

§. 48. Quatenus in adeundo vsufructu non curauit conficiendam descriptionem certam et probatam status, quo eo tempore fuerunt aedes, hae ipsi praesumuntur sartae et tectae traditae.

§. 49. Expensarum in meras, licet magnas refectiones, quas vsufructuarius re vera curauit, factarum refusionem eatenus tantum potest petere, quatenus dominus (proprietarius) ad eas restituendas valido pacto se obligauit.

§. 50. Ad aedes, quae pereunt casu, sine vsufructuarii culpa lata aut leui accidente, hic suis sumtibus reficiendas non tenetur.

§. 51. Neque peti ab eo potest, vt refectiones magnas (*Hauptreparaturen*), tali casu exortas, sumtibus suis curet.

Source : BIU Cujas

§. 52. Pro magnis refectionibus habendae ſunt, ſi ſumtus in eas impendendi, incluſa materia, quae pecunia eſt aeſtumata, quartam partem excedunt fructuum et emolumentorum eius anni, quo caſus accidit.

§. 53. Si vſufructuarius aedium refectionem non vult ſuſcipere; non poteſt impedire, quo minus domini (proprietarii) ſumtibus et ratione deſtruantur.

§. 54. In quantum dominus (proprietarius) ad tales aedes reficiendas aut deſtruendas teneatur, ex praeceptis tituli octaui §. 37. ſeqq. et ex legibus politiae cuiusque loci eſt diiudicandum.

§. 55. Vſufructuarius, qui aedes absque ſua culpa collapſas, aut magna refectione indigentes, in ſuum vſum reficere cupit, refectionis impenſas ſuppeditare debet.

§. 56. Quarum expenſarum reſtitutionem ſi vſufructu finito ſibi velit eſſe ſecuram; domini (proprietarii) conſenſum in aedificationem ſuſcipiendam, aut refectionem magnam curandam, impetret neceſſe eſt.

§. 57. Dominus (proprietarius) in reaedificandas et reficiendas eas tantum aedes conſentire obligatur, quae ad habitationem et vſum oeconomicum ſunt neceſſariae.

§. 58. Atque etiam obligatur tantum ad conſentiendum in reſtituendas aedes in eum ſtatum et conditionem, quibus antea fuerunt.

§. 59. Si dominus (proprietarius) conſenſum denegat, aut de ſumma expenſarum faciendarum cum vſufructuario conuenire nequit; iudicem oportet ſecundum ſententiam et arbitrium rei peritorum iuratorum de re cognoſcere.

§. 60. Materiam, quae ſumi ex praedio ipſo poteſt, atque ſeruitia, quae ad ordinarium oeconomiae exercitium non requiruntur, vſufructuarius, etiam in talibus aedificationibus et refectionibus, ſine vlla refuſione debet praeſtare.

Source : BIU Cujas

§. 61. Aedes, quae tempore, quo vſumfructum adiret, iam aedificabantur, at nondum erant perfectae, vſufructuarius iure poteſt ſuis expenſis continuandas et perficiendas curare ad formam delineatam et approbatam.

§. 62. Finito vſufructu, repetere poteſt expenſas, ad aeſtumationem factam erogatas.

§. 63. Si aedificium inceptum ornatui tantum aut voluptati erat deſtinatum; domino (proprietario) aedificationi perficiendae expreſſe contradicente, vſufructuarius petere non poteſt refuſionem expenſarum, in aedificationem perficiendam, domino contradicente, nihilo minus factarum.

§. 64. Si ex aedium deſcriptione in adeundo vſufructu confecta (§. 48.) patet, eas iam tum fuiſſe ruinoſas: vſufructuarius, niſi ius ſpeciale ex pacto aut vltimae voluntatis diſpoſitione ipſi competat, dominum (proprietarium) ad aedes has reficiendas adigere iure quidem non poteſt;

§. 65. At poteſt ſuis expenſis eas reficere, et expenſarum reſtitutionem deinde, finito vſufructu, petere ſub determinatione §. 56-60. expoſita.

§. 66. Quo in caſu vſufructuario ius quoque competit, petendi reſtitutionem refectionum modicarum ſumtuum, quatenus in numerata pecunia conſiſtunt.

§. 67. Vſufructuarius, qui eam aedium deſcriptionem in adeundo vſufructu conficiendam non curauit, ſi deinde aedes collabantur, aut magnae refectiones ſint neceſſariae, non audiatur exceptione, cauſam latere in ſtatu malo, quo aedes ſunt ſuſceptae.

intuitu reliquarum pertinentiarum,

§. 68. Iisdem obligationibus, quibus vſufructuarius ad aedes ſartas tectasque conſeruandas obſtringitur, in reliquis quoque pertinentiis et titulis debet ſatisfacere.

§. 69. Hinc in grege, qui ſecundum inuentarium adeſſe debet, ex foetu ſupplendo; in ſubſti-

Source : BIU Cujas

tuendis in locum demortuarum arboribus aliis; in conſeruandis inſtrumentis ad oeconomiam exercendam neceſſariis; et in reliquis omnibus boni patrisfamilias officia obſeruet neceſſe eſt.

§. 70. Debitorum rei inhaerentium vſuras vſufructuarius pendere obligatur. intuitu vſurarum pro debitis rei inhaerentibus ſoluendarum,

§. 71. Si vſusfructus in tota hereditate, vt rerum et iurium vniuerſitate, eſt conſtitutus; vſufructuarius quoque debitorum defuncti perſonalium vſuras debet pendere.

§. 72. At vſufructu conceſſo, dominus (proprietarius) nouis debitis perſonalibus aut realibus vſufructuarii ius et commodorum perceptionem laedere nequit.

§. 73. Qui vero ius ſuum, re immobili vtendi fruendi, non intabulandum curauit; creditores ſerius intabulatos, libro hypothecario fidem habentes, impedire non poteſt, quo minus vſuras ſuas ex rei fructibus et emolumentis capiant.

§. 74. At vero reparationem a domino (proprietario) poteſt petere lucri inde ceſſantis.

§. 75. Sortium repetitarum exſolutionis vſufructuarium eatenus curam gerere oportet, quatenus ad vſuras earum pendendas eſt obligatus. intuitu ſortium exſoluendarum,

§. 76. Sed exſoluendis his ſortibus nomina actiua, ad vniuerſitatem bonorum pertinentia, (praetenſiones actiuas ad complexum bonorum pertinentes), poteſt impendere, vel etiam rei ſubſtantiam ipſam oppignorare.

§. 77. Ad eas tamen diſpoſitiones (§. 75. 76.) dominus (proprietarius) adhibeatur et conſentiat in regula neceſſe eſt.

§. 78. Qui ſi conſenſum ſine cauſa denegat, et vſufructuario creatur periculum, ne creditoribus vrgentibus in poſſeſſione et vſufructu laedatur; huic ius competit agendi, vt iudex hunc conſenſum ſuppleat.

Source : BIU Cujas

§. 79. Si vſufructuarius ſortium ſolutiones ex propriis praeſtitit; vel ſine ceſſione in locum ſuccedit creditoris, cui ſatisfecit.

intuitu praeſtationum perſonalium,

§. 80. Praeſtationes perſonales, de re in vſumfructum conceſſa tertio praeſtandae, ad fructus et emolumenta ratione nulla relatae, domino (proprietario) incumbunt.

§. 81. At vero, in caſu dubio praeſumitur, eas quoque praeſtationes ad ius vtendi fruendi referri, atque adeo ab vſufructuario eſſe praeſtandas.

intuitu cauſarum (proceſſuum),

§. 82. Ad cauſas (proceſſus), quae ad rei ſubſtantiam, eius pertinentias et iura pertinent, agendas et ſumtus ſubminiſtrandos vſufructuarius tenetur.

§. 83. Dominum (proprietarium) autem ad eas adhibeat neceſſe eſt; neque eo neglecto de iuribus domini quidquam cedere ipſi licet.

§. 84. Sumtus ante ſuppeditatos, ſi vſusfructus gratis ipſi fuerit conſtitutus, finito demum vſufructu poteſt repetere; at praeter ea principia generalia de euictionibus praeſtandis hic quoque locum obtinent. (Tit. XI. §. 136. ſeqq.)

§. 85. In cauſam, quae ad domini (proprietarii) ſolius iura ita pertinet, vt vſufructuarii nihil omnino interſit; hic neque deſcendere, neque eius ſumtus ſubminiſtrare obligatur.

§. 86. At vero, ſi hereditas tota in vſumfructum ipſi fuerit conceſſa; cauſarum ſumtus ante ſuppeditare debet, eorumque refuſionem demum poteſt repetere, ſi hereditatem poſtea reſtituit.

intuitu onerum et tributorum aliorum.

§. 87. Onera quoque et tributa ordinaria et extraordinaria omnia, rei impoſita, vſufructuarium ferre oportet.

§. 88. At vero ſi poteſt probare, onera et tributa extraordinaria exceſſiſſe reditus et fructus durante vſufructu perceptos omnes, deductis inde oneribus ordinariis praeſtitis; ius ei competit, ea, quae fructus excedunt, a domino (proprietario) repetendi.

Source : BIU Cujas

§. 89. At vſufructuario in ratione, hoc in caſu ponenda, imputantur ii quoque fructus, quos percipere tanquam bonus paterfamilias potuiſſet, et ob culpam leuem propriam non percepit.

§. 90. Vſufructuarius absque domini (proprietarii) conſenſu onera permanentia rei imponere nequit.

§. 91. Quamdiu vſusfructus durat, tamdiu nemo poteſt inchoare in domini (proprietarii) praeiudicium praeſcriptionem, qua iura in re debent acquiri. Praeſcriptio intuitu vſusfructus.

§. 92. Neque ius, connexum cum re, in vtendum fruendum conceſſa, extingui poteſt in domini (proprietarii) praeiudicium, praeſcriptione per non-vſum, contra vſufructuarium inchoata.

§. 93. At praeſcriptione, in praeiudicium domini (proprietarii), ante vſumfructum conſtitutum iam inchoata, anni vſusfructus legitimo tempori adnumerantur.

§. 94. Domini (proprietarii) ius in re, in vtendum fruendum conceſſa, per ſolum non-vſum non extinguitur.

§. 95. At vero, ſi vſufructuarius factis publicis ſignificauit voluntatem ſuam, rem inſtar domini (proprietarii) poſſidendi, et dominus (proprietarius) hac ſignificatione, quae ipſi innotuit, per tempus praeſcriptionis legitimum acquieuit; vſufructuarius acquiſiuit dominium per praeſcriptionem.

§. 96. Quae tamen praeſcriptio contra dominum (proprietarium) currere non incipit, dum eius ius in libro hypothecario eſt conſignatum.

§. 97. Neque is, cui primo vſusfructus eſt conceſſus, hanc praeſcriptionem contra dominum (proprietarium) vnquam inchoare poteſt; ſed ea locum tantum habet in fauorem ſucceſſoris eius, quatenus eſt in bona fide. (Tit. VII. §. 40-42.)

§. 98. Seruitutes et iura alia rei, in vſumfructum conceſſae, per vſufructuarium in domini (proprietarii) fauorem poſſunt acquiri.

Source : BIU Cujas

Iura et obligationes domini (proprietarii) durante vſufructu.

§. 99. Domino (proprietario) durante vſufructu, nihil agere licet, quo alterius ius vtendi vllo modo limitatur aut laeditur.

§. 100. Domino (proprietario) tamen eſt liberum, eas rei mutationes facere, quae absque vſufructuarii praeiudicio poſſunt fieri.

Sortium (ſummarum capitalium) vſusfructus.

§. 101. Vſufructuario non eſt ius, ſortes (ſummas capitales) in vſumfructum conceſſas, domino (proprietario) haud conſentiente, exigendi (colligendi), aut alio modo de iis diſponendi.

§. 102. Quod ſi nihilo minus faciat, ſuo periculo agit, et praeſtare debet iacturam et deminutionem omnem, ſorti poſtea accidentem.

§. 103. Et eiusmodi diſpoſitio, ab vſufructuario proprio auſu facta, domino (proprietario) tribuit ius, cautionis praeſtationem exigendi.

§. 104. In quantum dominus (proprietarius) ea, quae debitor vſufructuario ſoluit, agnoſcere contra ſe debeat, ex principiis de ſolutionibus generatim eſt diiudicandum. (Tit. XVI. Sect. II.)

§. 105. At vero ſi vſufructuarius ſortis mutationem proprio auſu nullam fecit, eius iacturam et deminutionem tantum praeſtat, culpa ſua lata aut leui datam.

§. 106. Si eiusmodi ſortes ob renuntiationem factam aut aliam ob cauſam debent colligi, dominus (proprietarius) de iis vlterius collocandis vſufructuarium debet conſulere.

§. 107. Diiudicatio ſecuritatis, pro qua eiusmodi ſors (ſumma capitalis) nouiter elocari debeat, in primis a domino (proprietario) dependet.

§. 108. At vero, ſi vſufructuarius ſortis ſecuritatis idoneam cautionem praeſtare poteſt et vult; elocandi modus ab eo oblatus eſt praeferendus.

§. 109. Si dominus ipſe ſortem ſibi habere velit, vſufructuarius ad conſentiendum tantum eſt obligatus, praeſtita idonea cautione, et vſurarum pen-

Source : BIU Cujas

ſione, quae ratione eiusmodi ſecuritatis in prouincia eſt vſitata.

§. 110. Caeterum vſufructuarius omnis ſuo iure vtendi per alios quidem quoque poteſt vti, at ius ipſum aliis non poteſt cedere.

§. 111. Finito vſufructu, res cum rebus omnibus, ad eam pertinentibus, eſt reſtituenda. Reſtitutio rei in vſumfructum conceſſae.

§. 112. Si in concedendo vſufructu rerum, ad inuentarium pertinentium, conſignatio eſt confecta, ea in re reſtituenda pro norma ſumitur vnica.

§. 113. Et vſufructuarius et dominus ius habet petendi, vt in re tradenda eiusmodi conficiatur inuentarium, in quo rerum extantium qualitas aut pretium ſimul indicata ſint neceſſe eſt.

§. 114. In caſu dubio expenſarum, in conficiendum inuentarium erogandarum, ab vtraque parte dimidia pars eſt ferenda.

§. 115. Quod ſi autem alicui totius rei familiaris vſusfructus eſt conceſſus, vſufructuarius inuentarii ſumtus fert ſolus.

§. 116. Si in vſufructu, vltima voluntate conſtituto, teſtator prohibuit, ne tale inuentarium conficiatur; vſufructuarius nihilo minus conſignationem priuatam conficiat, et in iudicio, obſignatam ſi libuerit, deponat neceſſe eſt.

§. 117. Si teſtator quoque prohibuit, quo minus priuata conſignatio conficiatur: vſufructuarius rem, qualis eſt, accipit; quam deinde debet reſtituere cum pertinentiis omnibus, ad oeconomiam ſolitam ordinariam neceſſariis.

§. 118. At ei tamen reſeruatur probatio, has quoque pertinentias ex toto aut ex parte rei non adfuiſſe.

§. 119. Quo caſu excepto (§. 117.) vſufructuarius, ſi rem accepit absque inuentario, praeſumitur

Source : BIU Cujas

accepisse omnia, quae ad plenum rei vsum sunt necessaria.

§. 120. Quae corpora proprie ad hunc plenum rei vsum sint necessaria, ex arbitrio rei peritorum iuratorum, si opus fuerit, definiendum est.

§. 121. Ab obligationibus, res ad inuentarium pertinentes restituendi, vsufructuarius neque casu aduerso liberatur, qui iis rebus accidit.

§. 122. Si tempore restitutionis inueniuntur corpora et partes plures, quam secundum inuentarium sunt traditae, aut pro rerum peritorum sententia ad plenum rei vsum necessariae; eae habentur vsufructuarii decedentis res propriae.

§. 123. De rerum restituendarum qualitate, quae ex inuentario non patet, valet praesumtio, res mediae qualitatis et bonitatis vsufructuario esse traditas, atque adeo ab hoc restituendas.

Meliorationes.

§. 124. Meliorationum rei in vsumfructum concessae restitutionem vsufructuarius aut eius heredes eatenus tantum possunt petere, quatenus factae sunt domini (proprietarii) ratihabitione scripta expressa.

§. 125. Si, quorum interest, de summa restituenda ante non conuenerunt; de meliorationum impensis iusta ponenda est ratio.

§. 126. In qua vsufructuarius computare quoque potest materiam ex re ipsa sumtam, qua alias in suum commodum alio modo vti potuisset.

§. 127. Vsufructuarius restitutionem nullam potest petere operarum et seruitiorum, a praedii subditis et personis ad seruitutem adstrictis praestitorum, quatenus oeconomiae more solito exercendae non detrimento fuerunt; neque petere operarum suarum propriarum restitutionem.

§. 128. Ex quibus causis et modis feudi possessor prouocare potest, vt a iudice suppleatur agnatorum consensus, in meliorationem faciendam denegatus; ex iisdem vsufructuarius quaerere quoque potest sup-

Source : BIU Cujas

plendum conſenſum, a domino (proprietario) denegatum. (Tit. XVIII. §. 238. ſeqq.)

§. 129. In quibus caſibus feudi poſſeſſori feudum debitis licet onerare ob apparatus permanentes, principis auctoritate faciendos, quibus praedium non redditur melius; in iisdem vſufructuarius finito vſufructu ius habet repetendi a domino impenſas, in eiusmodi apparatus rite factas. (Ibidem.)

§. 130. Quibus caſibus exceptis vſufructuarius eiusque heredes recipere ſibi tantum poſſunt meliorationes, ſine domini conſenſu factas, ſi de earum ſatisfactione conuentio nulla locum habet.

§. 131. Quae tamen receptio eatenus tantum poteſt admitti, quatenus res in priſtinum reſtituitur ſtatum, quo fuit ante meliorationem.

§. 132. Deteriorationes rei, quae in vſumfructum fuit conceſſa, vſufructuarius aut eius heredes domino eatenus reſarcire debent, quatenus culpa lata aut leui ſunt exortae. Deteriorationes.

§. 133. Pertinentias, ab vſufructuario ſine domini conſenſu alienatas, hic vel a poſſeſſore tertio ſecundum principia, in titulo decimo quinto praeſcripta, poteſt vindicare; vel de earum pretio contra vſufructuarium aut eius hereditatem (bona derelicta) agere.

§. 134. Vſufructuarius quoque fert impenſas, quae ſecundum rei peritorum arbitrium ſunt neceſſariae ad reſtituendas et reficiendas aedes, ſua culpa collapſas, quatenus ad eas conſeruandas ſecundum principia §. 47. ſeqq. fuit obligatus.

§. 135. Quidquid de aedibus eſt praeceptum, valet quoque de aggeribus, lacubus, foſſis, pontibus, molis, aquarum ductibus, viis, ſepimentis, et ſeptionibus.

§. 136. At contra dominus (proprietarius) nullam poteſt reſtitutionem petere deteriorationum ali-

Source : BIU Cujas

arum, quae ex cultura neglecta aut administratione alia non oeconomica exortae perhibentur.

§. 137. At vero, quae in feudo praescripta sunt de resarcienda redituum deminutione, ex silua et aliis eius generis titulis deuastandis in annos plures orta, eadem quoque valent de praediis in vsumfructum generatim conceſſis. (Tit. XVIII. §. 564. seqq.)

§. 138. Idem valet de restitutione, a possessoris feudalis defuncti heredibus ideo praestanda, quod praedii fructus et reditus in annos plures magnopere sunt deminuti inundationibus et arenae agitatae accumulationibus, ex omissa aggerum et aliorum operum in aqua exstructorum conseruatione oeconomica ortis. (Ibidem §. 572. seqq.)

§. 139. Per se patet, intuitu vsusfructus praedii allodialis liberi non locum habere ea, quae locis allegatis praescripta sunt de iure agnatorum intuitu restitutionis quanti eruti.

§ 140. Si vsufructuarius, per vsusfructus tempus rem administratione et vsu non oeconomicis deteriorem reddit; domino (proprietario) ius competit, eiusmodi facta in iudicio accusandi; atque agendi et ad restituendas substantiae deteriorationes forte iam ortas, et ad iustam limitationem iuris disponendi vsufructuarii.

§. 141. Si, quae iudex de his disposuit, sunt sine effectu; domino ius competit, sequestrationem iudicialem poscendi.

§. 142. Quae tamen sequestratio sic est instituenda (temperanda), vt vsufructuario rei vsus concedatur, quatenus consistere cum domini (proprietarii) securitate potest.

Separatio intuitu fructuum.

§. 143. Intuitu fructuum tempore vsusfructus finiti adhuc extantium, in definiendo, quatenus vsufructuario aut domino cedant, eadem valent principia, quae inter dominum et bonae fidei possessorem. (Tit. VII. §. 189. seqq.)

Source : BIU Cujas

§. 144. Hinc quoque in praediis, et fundis vtilibus (frugiferis) aliis, priorum annorum fructus vſufructuario ſunt cedendi; at fructus anni oeconomici vltimi, quo vſusfructus deſiit, inter vſufructuarium et dominum diuidendi.

§. 145. Ad priorum annorum fructus et emolumenta referuntur quoque ligna in iis caeſa et vendita, licet nondum fuerint abducta. priorum annorum,

§. 146. Ligna annis anterioribus caeſa, nondum quidem vendita, at iam ad locum deponendis lignis transportandi cauſa (*Ablage*) abducta, vſufructuario aut eius heredibus cedunt.

§. 147. Ligna denique prioribus annis quidem caeſa, ſed neque vendita, neque abducta, domini (proprietarii) ſunt.

§. 148. Qui tamen vſufructuario aut eius heredibus refundere obligatur mercedem, ligna caedentibus aut aliis operariis pecunia numerata ſolutam.

§. 149. Quidquid de lignis eſt praeceptum, valet quoque de lapidibus murariis (*Mauerſteinen*), et lateribus (*Ziegelſteinen*), de calce cocta, et aliis prouentibus ad vſumfructum pertinentibus, quos vſufructuarius annis anterioribus curauit apparandos et vſui accommodandos.

§. 150. De vltimi anni fructibus attendendum eſt, an fundus, qui in vſumfructum fuit conceſſus, praedium ſit ruſticum (villanum), an minus. anni vltimi,

§. 151. Si praedium ſit ruſticum (*Landgut*); adminiſtrandum eſt vsque ad anni oeconomici finem, vſufructuarii et domini (proprietarii) ratione communi. intuitu praediorum ruſticorum.

§. 152. Si, quorum intereſt, de conſtituendo adminiſtratore communi conuenire nequeunt: adminiſtratio vſufructuario aut eius heredibus relinquitur; quibus dominus (proprietarius) ſuis ſumtibus tantum adiungere poteſt aliquem, qui iis ſit a rationibus (*Rechnungsführer.*)

Source : BIU Cujas

§. 153. Et hic quidem praedii prouentus, ad vſumfructum pertinentes omnes, inde ab anni oeconomici initio, in accepta ſunt referendi.

§. 154. At vero, ad accepta parata non referendum eſt pretium naturalium, ab vſufructuario iam conſumtorum, aut per adminiſtrationis tempus in ſui ipſius et familiae alimenta more oeconomico adhuc impendendorum.

§. 155. Ad expenſas in primis pertinent tributa ordinaria et extraordinaria currente anno oeconomico ſoluenda omnia.

§. 156. Atque etiam vſurae, ſecundum principia antecedentia ex vſufructu pendendae.

§. 157. Expenſae denique omnes, ad oeconomiam ordine et more ſolito curandam et continuandam neceſſariae.

§. 158. Huc quoque referuntur ſumtus adminiſtratoris communis, ſecundum §. 152. conſtituti.

§. 159. In meliorationes extraordinarias, niſi partes vtraeque conſentiant, ex huius anni oeconomici reditibus impendi nihil debet.

§. 160. At vero, dominus (proprietarius) poteſt petere, vt meliorationes iam inchoatae continuentur, at ſuis tantum ſumtibus.

§. 161. Finito anno oeconomico relinqui debet pabulum, quod vſque ad meſſem proximam, et ea frumenti copia, quae vſque ad idem tempus requiritur ad alendum famulitium et operarios, et ad praeſtanda demenſa oeconomica (*Wirthſchaftsdeputaten*).

§. 162. Frumentum ad coquendum vinum aduſtum relinquere vſufructuarius aut eius heredes plane non obligantur, et frumentum ad coquendam cereuiſiam eatenus tantum, quatenus coquitur cereuiſia, ad meſſem aut alium oeconomiae vſum neceſſaria.

§. 163, Quarum copiarum vſufructuarius aut eius heredes, deficiente pacto ſingulari, neque ſa-

Source : BIU Cujas

tisfactionem poſſunt petere, neque quidquam in ratione communi in accepta numerata referre.

§. 164. Quin potius, ſi copia non adſit ſufficiens, ea quae deſunt, eatenus domino (proprietario) debent reſarcire, ſecundum pretium reſtitutionis tempore forenſe; quatenus apparet, iſtum defectum ortum fuiſſe ex naturalium iſtorum venditione, in anno oeconomico facta.

§. 165. De acceptis et expenſis, quae cadunt in tempus ante vſumfructum finitum, vſufructuarii declarationibus, aut rationibus et annotationibus relictis, vel absque iurata adfirmatione, tamdiu fides habenda, donec probatum eſt contrarium.

§. 166. Reditus puri, expenſis omnibus deductis reſidui, inter dominum (proprietarium) et vſufructuarium, aut eius heredes diuiduntur, pro ratione temporis, ante et poſt finitum vſumfructum praeterlapſi.

§. 167. Eadem quoque ratione damnum ſentiunt, ſi expenſa accepta exceſſerunt.

§. 168. Si praedium vſusfructus finiti tempore eſt locatum; pura pretii conductionis ſumma, deductis expenſis §. 155-158. deſcriptis reſidua, eadem ratione eſt diuidenda.

§. 169. Si praedium in vſumfructum conceſſum in ſe quidem eſt vrbanum, at cum eo tamen agricultura ſimul et res pecuaria coniuncta; locum habent praecepta de praedio ruſtico ſupra data, intuitu fructuum et emolumentorum omnium, vltimo anno oeconomico percipiendorum.

§. 170. Fundorum, quibuscum oeconomia ruſtica nulla eſt coniuncta, itemque iurium et ſortium, foenori datarum, fructus omnes et emolumenta atque onera omnia vſque ad finem trimeſtris, quo vſusfructus deſiit, computando adſcribuntur vſufructuarii bonis, aut hereditati (bonis derelictis). intuitu aliorum fundorum, iurium et ſortium.

§. 171. In quo reſpectu annus computatur a primo die Iunii.

Source : BIU Cujas

§. 172. Caeterum vſufructuarius omnis, qui ceſſante ſuo iure in reſtituenda re morae iniuſtae ſe reum reddit, ab hoc temporis momento prorſus et ſimpliciter malae fidei poſſeſſor habetur.

§. 173. Si res fungibiles in vſumfructum fuerunt conceſſae; praeſumitur, totidem res eiusdem qualitatis et bonitatis tantum eſſe reſtituendas. (Tit. II. §. 120. 121.)

§. 174. Quod ſi vero patet, ex conſtituentis voluntate easdem res eſſe reſtituendas; dominus (proprietarius) iis contentus eſſe debet, quae earum, et quales, tunc temporis, poſt vſum oeconomicum, adhuc vere extant.

§. 175. In quo caſu vſufructuarius detrimentum, his rebus vſu illatum, eatenus tantum praeſtare obligatur, quatenus ipſius data opera aut lata culpa eius cauſa fuit.

Quibus modis vſusfructus ceſſat.

§. 176. Vſusfructus omnis vſufructuarii morte ceſſat, et in regula ad eius heredes non tranſit.

§. 177. Ac licet vſusfructus in certum tempus et vſque ad certum euentum eſſet conceſſus, citiori tamen vſufructuarii morte finitur.

§. 178. Si vſufructuarii heredes ad vſumfructum expreſſe fuerint ſimul vocati; in caſu dubio nihilo minus intelligendi tantum ſunt heredes gradus primi.

§. 179. Vſusfructus ciuitati (communi), corporationi, aut alii perſonae morali conceſſus eo vſque durat, quoad iſta perſona moralis adhuc exſtitit.

§. 180. At contra, eiusmodi perſonae morales eiusmodi vſumfructum permanentem acquirere tantum poſſunt intuitu rerum earum, ad quarum dominium acquirendum ex legibus ſunt capaces.

§. 181. Vſufructuario quolibet tempore licet, iuri ſuo in dominum renuntiare.

§. 182. At vero, ſi vſusfructus ex pacto oneroſo eſt conſtitutus; de eius renuntiatione vnilaterali locum habent regulae de receſſu a pactis generales.

§. 183.

Source : BIU Cujas

§ 183. Neque vſufructuarius, ſi vſusfructus ex legibus immediate eſt exortus, iuri ſuo renuntiando liberare ſe poteſt ab officiis, in quorum compenſationem ipſi vſusfructus fuit aſſignatus.

§. 184. Caeterum de tollendo et amittendo vſufructu per praeſcriptionem, rei interitum, et conſolidationem locum habent eadem, quae aliorum iurium intuitu generatim ſunt praeſcripta.

§. 185. Si cui rei vſusfructus pro ſua tantum neceſſitate eſt conceſſus; praecepta tituli decimi noni §. 22. 24-28. locum habent.

§. 186. In eiusmodi quoque iure vtendi onera et tributa realia, de re ſoluenda, de fructibus deducenda ſunt, antequam is, cui ius competit, ex iis poteſt capere, quae ipſi ſunt neceſſaria.

Sectio Secunda.

De locatione conductione perpetua (Erbpacht).

§. 187. Pactum, quo quis ius plenum re aliena vtendi pro cenſu proportionato praeſtando in perpetuum ſibi ac ſuis heredibus acquirit, vocatur contractus locationis conductionis perpetuae (hereditariae. *Erbpacht-Contract.*) Definitio.

§. 188. Locationis conductionis hereditariae ius in regula eſt perpetuum, et ad omnes tranſit heredes poſſeſſoris ſine diſcrimine.

§. 189. Neque negotii eſſentia mutatur, licet pactum in certos tantum gradus aut generationes fuerit contractum.

§. 190. In diiudicanda proportione redituum fundi locati conducti, ad cenſum de fundo praeſtandum, reſpiciendum eſt ad contractus initi tempus, et eiusdem temporis res circumſtantes. Cenſus locationis conductionis perpetuae.

§. 191. Ex eo itaque, quod talis proportio tempore praeſenti non amplius exiſtit, nondum ſequitur,

Source : BIU Cujas

negotium non esse pro locatione conductione perpetua habendum.

§. 192. Si dubitatur: vtrum in possessorem hereditarium translatum fuerit ius locationis conductionis hereditarium verum, an ius tantum vtendi hereditarium, at limitatum; posterius praesumitur.

§. 193. Locationis conductionis perpetuae census in regula est immutabilis, neque potest augeri.

§. 194. Quod si vero fuerit constitutum, elapso certo temporis spatio nouam fructuum taxationem esse conficiendam, ex qua census in tempus futurum definiendus sit; negotium ex hac causa sola locationis conductionis perpetuae qualitatem nondum exuit.

Pretium s. arrha pro iure perpetuo seu hereditario impetrando.

§. 195. Si patet, sub negotii initium arrham pro iure perpetuo seu hereditario impetrando (*Erbstandsgeld*) esse solutam; ea soluta praesumitur pro iure hereditario, quod factum est irreuocabile conductoris perpetui proprium.

§. 196. Hinc, nisi expresse fuerit conuentum, conductor perpetuus vsuras pretii, pro impetrando iure soluti, de censu pendendo detrahere nequit.

§. 197. Neque pretio, pro impetrando iure hereditario soluto, liberatur ab obligatione cautionis praestandae in iis casibus, quibus ad cautionem praestandam alias secundum leges est obligatus.

§. 198. Si vero apparet, pretium pro iure impetrando non nisi loco cautionis locatori praestandae esse solutum, vsurae eius conductori perpetuo prosunt.

Iura et obligationes conductoris perpetui.

§. 199. Conductori perpetuo, intuitu rei conductae omnia iura sunt et officia, quae secundum sectionem antecedentem vsufructuario sunt attributa et iniuncta.

§. 200. At ea tamen vsufructuarii iura et officia, quae ad rei restitutionem, domino (proprietario) finito vsufructu praestandam, referuntur, non obtinent respectu conductoris perpetui, cuius ius est perpetuum.

Source : BIU Cujas

§. 201. Conductionis perpetuae ius est plena conductoris proprietas; et de eo libere potest disponere, quatenus contractus sententia limitibus non fuerit circumscriptus.

§. 202. At vero, in alienationibus inter viuos consensus locatoris perpetui in regula aeque est necessarius, ac intuitu praediorum emphyteuticorum consensus domini emphyteutici. (Tit. XVIII. §. 608 703.)

§. 203. At contra conductor perpetuus nouus non obligatur ad soluendum laudemium, in contractu originario non pactum.

Iura locatoris perpetui, si conductor in censu soluendo moram admisit,

§. 204. Si conductor perpetuus anno secundo ineunte anni peracti censum nondum soluit, locatori ius competit, in suam securitatem, fundi sequestrationem petendi.

si conductor rem male administrat,

§. 205. Ius, venditionem iudicialem iuris locationis conductionis perpetuae petendi, locatori tum tantum competit, si conductor perpetuus rei locatae conductae administrationem tam male negligit, vt locatori periculum sit, ne censum pro tempore praeterito iam praestandum atque futurum ex ea non amplius possit accipere.

si rei qualitatem denegat.

§. 206. Idem obtinet, si conductor perpetuus fuam census praestandi obligationem contra notitiam et scientiam meliorem mala fide denegat.

Deminutio census.

§. 207. Si res locationis conductionis perpetuae casu ineuitabili passa fuerit eiusmodi redituum deminutionem permanentem, vt census definitus inde praestari non amplius possit; census minor ad reditus rei puros veros est constituendus.

§. 208. In quibus reditibus puris computandis alimenta, conductori perpetuo eiusque familiae necessaria, expensis oeconomiae causa factis eatenus tantum sunt adscribenda, et de fructibus atque emolumentis deducenda, quatenus conductor et familia in praedio administrando operas praestant.

Source : BIU Cujas

§. 209. Cenſus deminutio tamdiu tantum durat, quamdiu praedium nondum reſtitui potuit in ſtatum, cenſui priſtino praeſtando idoneum.

§. 210. Ob ſolos caſus aduerſos et calamitates, ad praedii locati conducti fructus et emolumenta pertinentes, deficiente expreſſa conuentione, conductor perpetuus non poteſt petere cenſus deminutionem, ſed indulgentiam tantum iisdem cauſis exiſtentibus, quibus emphyteutae licet. (Tit. XVIII. §. 759. 760.)

Cenſus remiſſio.

§. 211. Si caſus ineuitabilis conductorem perpetuum absque omni ſua culpa, omni priuauit facultate, iure ſuo per annum vnum aut plures, neque per ſe ipſum neque per alios vtendi; pro hoc tempore cenſus ab eo exigi nequit.

Iura locatoris perpetui, ſi conductor perpetuus praedium amplius adminiſtrare nequit, ſi conductor perpetuus praedium derelinquit.

§. 212. Si conductor perpetuus locationem conductionem continuare non poteſt; locatori ius competit, iudicialem locationis conductionis perpetuae iuris venditionem petendi.

§. 213. Idem obtinet, ſi conductor perpetuus ob debita contracta praedium derelinquit, non procurans ea, quae ad oeconomiae adminiſtrationem continuandam ſunt neceſſaria.

§. 214. Ex pretio emtionis venditionis exacto locator perpetuus iure ſibi poteſt ſatisfacere de cenſu reſiduo, aut de damnis et ſumtibus eius, qui conductor perpetuus fuit, culpa ortis.

§. 215. Quae adhuc ſunt reliqua ei cedunt, qui conductor fuit perpetuus, eius heredibus (ſucceſſoribus), aut creditoribus.

De reſtitutione pecuniae, quae pro obtinenda locatione conductione perpetua eſt ſoluta.

§. 216. Ad reſtituendam pecuniam, pro impetranda locatione conductione perpetua ſub initium contractus ſolutam, locator non obligatur, ſi contractus absque ſua culpa diſſoluitur.

§. 217. At contra, neque a conductore perpetuo nouo exigere poteſt, in conductoris priſtini, eius heredum aut creditorum praeiudicium, pecuniam, pro

Source : BIU Cujas

obtinenda locatione conductione perpetua de nouo soluendam.

§. 218. Si pecunia, pro obtinenda locatione conductione perpetua originarie soluta, loco cautionis tantum est praestita; contractu dissoluto debet restitui.

§. 219. At locatori tamen ius competit, cum ea compensandi non solum censum resiuum, sed etiam reliqua, quae potest ex negotio ab eo petere, qui fuit conductor perpetuus.

§. 220. Ius compensandi in primis obtinet intuitu damni reparationis, quam locator perpetuus ideo potest petere, quod propter reditus culpa eius, qui adhuc possessor fuit, deminutos locationis conductionis perpetuae fundus conductori perpetuo nouo censu, huc vsque soluto minori, concedendus est.

§. 221. Reliqua quoque conductoris perpetui bona locatori ob ea, quae ex negotio ei debentur, obligata sunt. Iura locatoris perpetui in reliquis conductoris perpetui bonis.

§. 222. Qua censum residuum iure gaudet praelationis, in ordinatione concursus propius determinato.

§. 223. Ad alias vero petitiones quod attinet, in reliquis eius, qui eo vsque conductor perpetuus fuit, bonis iure praelationis legali speciali non fruitur.

§. 224. In quibus casibus praedia et hereditates relictae, tanquam res nullius, vel ob noxam admissam rei publicae cedunt, in iisdem apertum locationis conductionis perpetuae ius, nomine fisci, conductori perpetuo idoneo alii sub iisdem conditionibus est concedendum. De iuribus locationis conductionis perpetuae vacantibus.

§. 225. Conductor perpetuus ius suum vtendi, ex pacto ipsi competens, domino (proprietario) non adhibito, in iudicio persequi contra quemcunque potest. Iura conductoris perpetui in processibus.

§. 226. At in casus, ad substantiam, pertinentias et iura praedii pertinentibus, praecepta obtinent de vsufructu. §. 82. seqq.

Source : BIU Cujas

Sectio Tertia.

De iure rebus alienis vtendi limitato.

§. 227. Limitationes iuris vtendi definiuntur partim ex negotii natura, partim pactis aut vltimae voluntatis disposition ibus.

§. 228. Si dubitatur, vtrum alicui vsusfructus, an limitatum tantum ius vtendi sit concessum, posterius praesumitur.

I. Pactum commodati.

§. 229. Si cui res ad vsum solum gratis sub ea lege conceditur, vt res accepta in specie restituatur; commodati pactum adest.

§. 230. Ad cuius pacti essentiam pertinet, vt restitutionis tempus definitum sit vel in se, vel per modum aut finem vsus concessi.

Precarium.

§. 231. Si neque modus et finis vsus, neque tempus, ad quod durare vsus debeat, definitum est; is, cui vsus est concessus, merus detentor habendus.

§. 232. Rem igitur, quocunque tempore concedenti eam repetere libuerit, restituere obligatur.

§. 233. Idem obtinet, si res immobilis aut ius est obiectum contractus, qui non est in scripturam redactus.

Ius reuocandi s. repetendi, quod commodanti competit.

§. 234. At commodati pacto vero et valido existente, res in regula demum potest repeti tempore elapso aut vsu finito.

§. 235. Commodanti tamen ius competit, rem quoque citius repetendi, si ipse ea indiget ob mutationem, quae rebus suis accidit, quam praeuidere tempore, quo commodatum dedit, non poterat.

§. 236. Damnum, quod commodatarius vsu citius carens tunc sentit, commodans praestare non obligatur.

§. 237. Simulac commodatarius ausu proprio rem ipsi commodatam alteri vtendam concedit, aut

Source : BIU Cujas

rem ad alium, in quem non eſt conceſſa, finem adhibet; commodans rem iure reuocare poteſt.

§. 238. Merus commodatarius acceſſiones, emolumenta, et fructus rei commodatae ſibi arrogare nequit. Iura et obligationes commodatarii,

§. 239. Si rei aut vſus conceſſi qualitas ea eſt, vt commodatarius fructus quoque et emolumenta percipiat; aut ſi ipſi haec fructuum et emolumentorum perceptio expreſſe eſt conceſſa; negotium, licet commodati pactum fuerit nominatum, non tamen poteſt ex huius pacti regulis diiudicari.

§. 240. Quin potius locum habent, regulae de vſufructu aut de locationibus conductionibus, prout fructuum perceptio conceſſa illimitata fuit, aut limitata.

§. 241. Durante vſu commodatarius ferre debet impenſas ordinarias, in rei conſeruationem faciendas.

§. 242. Si durante hoc poſſeſſionis tempore caſus et circumſtantiae acciderint, quae impenſas in rei conſeruationem immodicas deſiderant, commodatarius quidem ius habet, commodanti rem denuntiandi, et re reſtituta eius conſeruandae curam ei committendi;

§. 243. Quod ſi vero non poſſit aut nolit, aut ſi commodans non ſit in loco tam propinquo, vt rei conſeruandae curam iuſto tempore poſſit ſuſcipere; commodatarius ad eam conſeruandam eſt obligatus.

§. 244. At vero impenſas in rei conſeruationem factas a commodatario poteſt repetere, ſecundum praecepta legalia de negotiorum ſine mandato expreſſo geſtione. (Tit. XIII. Sect. II.)

§. 245. Commodatario ius competit, reſtituendi rem commodatam omni tempore, etiam ante elapſum terminum pacto praefixum, et ante vſum finitum; niſi clare patet, temporis determinationem vnice in commodantis fauorem eſſe adiectam. in primis quoad reſtitutionem rei commodatae,

Source : BIU Cujas

§. 246. Res semper restituenda est in eo statu, quo tradita.

§. 247. Contra restitutionem debitam commodatarius iis tantum exceptionibus se potest tueri, quae depositario competunt. (Tit. XIV. Sect. I.)

quoad gradum culpae, ab ipso praestandae,

§. 248. Si res, durante sua possessione, est deteriorata, aut plane amissa, culpam omnem, vel leuissimam, praestat.

§. 249. At vero, si commodans ex negotio commodum sentit vllum, aut si cognosci potest, ipsum negotii fuisse auctorem, et commodatarium ad ineundum negotium prouocasse; commodatarius leuem tantum culpam praestat.

§. 250. Exorto periculo, cui commodatarii res propria simul est subiecta, hic obligatur, ad rem commodatam in primis seruandam, et si rem suam praeferat, ad damnum aut iacturam rei commodatae resarciendam.

quoad casum.

§. 251. Quin et damnum casuale commodatarius praestat, si usu proprio re in alium finem, praeter definitum vtitur, aut rei commodatae vsum alteri concedit; aut in rei restitutione cunctatur; quatenus scilicet casus rei non accidisset, si circumstantiae istae non extitissent.

§. 252. Quibus casibus exceptis, casum, qui absque omni commodatarii culpa accidit, commodantem quidem sentire oportet;

§. 253. At vero a commodatario in eiusmodi casu, sine mora denuntiando, eadem sunt obseruanda, quae in casu simili depositario sunt praescripta. (Tit. XIV. Sect. I. §. 34. seqq.)

§. 254. Si res amissa, de qua satisfecit commodatarius, temporis successu denuo inuenitur; commodanti est electio: vtrum rem velit recuperare, refuso pretio accepto, an pretium sibi habere, re commodatario concessa.

Source : BIU Cujas

§. 255. At neque fructuum, tempore interiecto ex re non perceptorum, neque vtilitatis, ex pecunia a commodante perceptae, peti potest satisfactio.

§. 256. Sumtus inuentionis rei fert, qui rem ipsam retinet.

§. 257. Commodans ex sua parte commodatario latam tantum culpam praestare obligatur. Officia commodantis.

§. 258. Si pro rei commodatae vsu pretium definitum est pactum, negotium vocatur pactum locati conducti (*Miethungsvertrag.*) II. De pacto locati conducti.

§. 259. Res, quae alicui pro certa mercede non solum ad vsum, sed etiam ad fructuum perceptionem est concessa, vocatur *verpachtet.* (locata cum fructibus.)

§. 260. Si res frugifera cum alia, ex qua vsu tantum substantiae vtilitas potest percipi, simul et in eodem contractu est concessa; rei principalis qualitas decidit in definiendo: an negotium diiudicandum sit ex regulis contractus locationis conductionis §i 258. aut 259. (*Mieth- oder Pacht-Contracts*).

§. 261. In casu dubio intuitu fundorum vrbanorum locati conducti contractus §i 258. (*Miethvertrag*), intuitu rusticorum (villanorum) vero locatio conductio §i 259. (*Pacht*) statuitur.

§. 262. Si, quod pro vsu aut fructuum perceptione rei locatae conductae soluitur, in pecunia numerata consistit, vocatur merces locationis conductionis (*Mieth- oder Pachtzins.*) Locationis conductionis merces.

§. 263. De qua mercede valet, quidquid de emtionis venditionis pretio praescriptum est. (Tit. XI. §. 46. seqq.)

§. 264. Si pro mercede soluitur quantitas fructuum in se definita; eo nihil mutatur in negotii natura.

§. 265. At vero, si loco mercedis pacta est fructuum pars certa, proportione tantum ad totum definita, (pars quota); eiusmodi negotium in caeteris qui-

Source : BIU Cujas

dem ex regulis contractus locationis conductionis §i 259. (*Pachtcontracts*) est diiudicandum;

§. 266. De fructibus autem inter conductorem §i 259. (*Pächter*) et locatorem diuidendis, regulae pacti societatis obtinent. (Tit. XVII. Sect. III.)

Forma. §. 267. Quatenus in locationis conductionis §i 258 et 259. negotiis pactum requiratur scriptum, definiendum est ex pacta mercedis locationis conductionis summa.

§. 268. Licet contractus anno diutius consistere debeat; summa tamen mercedis vnius anni normam tantum subministrat determinandi, quatenus contractu scripto sit opus.

§. 269. Pactum in casibus, vbi contractus scriptus requiritur, ore tantum celebratum, at traditione iam perfectum, per annum tantum valet.

Iura et officia conductoris §i 258 et 259. §. 270. Locationis conductionis §i 258 aut 259. contractu conductor nihil acquirit, praeter vsum rei vulgarem et solitum, aut vtilitatum perceptionem solitam.

§. 271. Fructus insolitos aut eos, qui salua substantia percipi nequeunt, conductor §i 259. eatenus tantum potest percipere, quatenus ipsi expresse sunt concessi.

§. 272. Res ad modum §i 258. vti §i 259. locata conductori §i 258 aut 259. tradenda est in statu idoneo.

§. 273. Quod si non fuerit factum; conductor vtriusque §i 258. 259. potest in iudicio conuenire locatorem, vt rem praestet idoneam, et damnum resarciat, ex rei qualitate contractui aduersa ortum; aut potest rei acceptationem recusare, et a pacto plane recedere.

§. 274. Si rem in eum statum restituit, vt facta sit idonea; in repetendis impensis, in rem factis necessariis et vtilibus, iuribus gaudet negotia aliena sine mandato gerentis. (Tit. XIV. §. 114. 115.)

Source : BIU Cujas

§. 275. At vero, ſi conductor §i 259., probe ſciens, praedium collapſum aut deſertum per auerſionem conduxit, nihil ſibi ad illud reficiendum pactus, a locatore eam refectionem poſtulare nequit.

§. 276. Atque etiam ob impenſas, ab ipſo in refectionem factas, neque de mercede quid poteſt detrahere, neque aliam vllam reſtitutionem petere; niſi haec in contractu expreſſe ſint pacta.

§. 277. Commoditates ſingulares aut fructus, antea non ſolitos, locator in ſenſu §i 258 et 259. eatenus tantum praeſtare obligatur, quatenus ſe expreſſe obligauit.

§. 278. Si rei, conductori §i 258 et 259. locatae, ſunt damna illata, conductor ad culpam quoque leuem praeſtandam obligatur. Gradus culpae.

§. 279. In eo tantum caſu, ſi rem conductam ad alium finem, non conceſſum adhibet, leuiſſimam quoque praeſtare debet culpam.

§. 280. De meliorationibus factis reſarciendis aut recipiendis, in regula, eadem obtinent, quae de vſufructu ſunt praecepta (§. 124. ſeqq.) Meliorationes.

§. 281. At vero conductor §i 258 aut 259. locatorem in caſu nullo poteſt cogere, vt in meliorationes faciendas conſentiat.

§. 282. At contra, ſi principis iuſſu apparanda quaedam ſint et inſtituenda in praedio locato, non ad augendos praedii reditus, ſed potius in rei publicae vtilitatem, conductori §i 259. ius competit, a locatore repetendi impenſas, in iſta rite factas.

§. 283. Si conductor §i 259. a locatione conductione, absque ſua culpa, ante tempus, pacto definitum, debet recedere; conductor ſatisfactionem aequam (proportionatam) poteſt petere meliorationum, vel ſine ſpeciali locatoris conſenſu factarum, relictionis tempore adhuc vere extantium.

§. 284. Si ſcilicet conductor §i 259. poteſt docere, ſe in temporis, contractu definiti, triente primo meliorationes procuraſſe, quarum fructus demum annis poſte-

Source : BIU Cujas

rioribus poſſunt percipi (ſe exferere); expenſae in annos, per quos locatio conductio, vi contractus, elapſo primo triente, ſubſiſtere adhuc debuiſſet, ſunt diſtribuendae, et earum rata, annis adhuc reliquis imputanda, conductori eſt reſtituenda.

§. 285. Quod ſi igitur e. g. conductor §i 259. qui in annos nouem conduxit, annis tribus primis mille thalerorum eiusmodi meliorationibus impendit, a locatione conductione, elapſo ſexto anno, recedere debeat; hic quingentos thaleros impenſarum, in meliorationes factarum, iure poteſt repetere.

§. 286. Quo in caſu expenſarum in meliorationes factarum ſumma ex praeceptis tituli ſeptimi §. 209. eſt definienda.

Expenſae in conſeruationem factae.

§. 287. Intuitu impenſarum, a conductore §i 258. aut 259. ad damnum rei ſubſtantiae imminens auertendum rite factarum, conductor negotiorum geſtoris gaudet iuribus. (Tit. XIII. §. 234 237.)

Onera et tributa.

§. 288. In conductionibus §i 258. (*Miethungen*) conductor non obligatur ferre onera et tributa rei, non expreſſe in ſe ſuſcepta.

§. 289. In ſpecie collocationum militarium (*der Einquartierung*) onera in regula non ſunt a conductore §i 258., ſed a locatore ferenda.

§. 290. His oneribus, quorum reſtitutionem conductor §i 258., ſi ea praeſtitit, a locatore ex hoc praecepto poteſt petere, ii tantum alimentorum ſumtus continentur, quos milites collocati ex conſtitutionibus generalibus aut ſpecialibus poſtulare iure poſſunt.

§. 291. In locationibus conductionibus §i 258. locator, deficiente ſingulari conuentione, obligatur ad conſeruandam rem per tempus, contractu definitum, in ſtatu idoneo, atque adeo ad curandas refectiones neceſſarias, ex vſu licito, aut caſu exortas.

§. 292. In locationibus conductionibus §i 259., (*Pachtungen*) per auerſionem initis, conductor fert

Source : BIU Cujas

omnia rei onera et tributa, quorum praeſtatio locatori non expreſſe eſt reſeruata.

§. 293. At vero et in hoc caſu locator §i 259., ſine reſeruatione ſingulari, praeſtat debitorum hypothecariorum vſuras, et vſuras quoque, et praeſtationes perpetuas, ex pactis aut vltimae voluntatis diſpoſitionibus rei inhaerentes.

§. 294. Si conductor §i 259. ad aeſtimationem conduxit, praeſumitur, eum tantum in ſe ſuſcepiſſe onera et tributa, in aeſtimatione de reditibus deducta.

§. 295. In caſibus omnibus conductor §i 259. ea ferre debet tributa, quae praeſtanda ſunt ex fructibus ſolis, intuitu eorum vſus aut alienationis; praedii ſubſtantiae et locatoris perſonae, locationis conductionis mercedem accipientis, ratione nulla habita.

§. 296. In quantum cura de re conſeruanda idonea, conductori aut locatori §i 259. incumbat, infra propius definietur. (§. 433. ſeqq.)

Determinationes de ſoluenda et remittenda locationis conductionis mercede.

§. 297. Locationis conductionis merces, niſi aliud fuerit pactum, tertio quoque menſe a conductore §i 258 et 259. ſoluenda.

§. 298. Si conductor §i 258 aut 259. duorum terminorum mercedem non ſoluit, locatori ius competit, renuntiandi parti alteri contractum, adhuc ante elapſum tempus pactum.

§. 299. Si aedificii conductor (§i 258.) vi ſuperiori aut caſu, qui in ipſius perſona non accidit, ad tempus, menſe vno longius, eius vſu in totum aut ex parte fuit priuatus; a locatore poteſt aequam mercedis remiſſionem petere.

§. 300. Quod quidem in primis valet, ſi conductor, in iis caſibus, vbi militum collocatorum onera ad conductorem non pertinent (§. 289.) domicilium conductum per menſem vnum, aut tempus longius, militibus collocatis totum, aut partem eius, cedere debuit.

§. 301. Si iuris cuiusdam conductor §i 259. (*Pächter*), eiusmodi caſu §. 299. definito, exercitio ſ. vſu

Source : BIU Cujas

fui iuris vtendi per menſes tres, aut tempus longius, plane eſt priuatus; iure poſtulare poteſt, vt locator de mercede, pro ratione temporis, aliquid remittat.

§. 302. Idem valet de conductore (§i 259. *Pächter*) rei alius vtilis, quae praedium ruſticum non eſt.

§. 303. At vero remiſſio peti non poteſt, ſi pro rei aut iuris locati natura, eo temporis interuallo, quo conductor fuit impeditus, quo minus ius ſuum vtendi exerceat, vel ſine iſto impedimento fructus nulli fuiſſent percipiendi.

§. 304. Si per impedimentum exortum conductori §i 259. non quidem perceptio fructuum verorum fuit erepta, ſed ereptum tempus neceſſarium ad paranda ea, quae ad percipiendos fructus futuros requiruntur; remiſſionem poteſt petere, pro rata damni, quod ſe inde ſentire poteſt probare.

§. 305. Locator §i 259. pro temporis proportione, aut in caſu legis (§. 304.) remiſſionem recuſans, prouocare poteſt ad ponendam rationem fructuum per anni integri tempus perceptorum.

§. 306. Qua vero ratione a conductore poſita, locator de mercede tantumdem remittere obligatur, in quantum ex ratione reddita merces ſoluenda ſuperat fructus, per annum integrum re vera perceptos.

§. 307. Si praedii ruſtici conductor (§i 259.) tali caſu, §. 299. deſcripto, per annum vnum aut plures iure ſuo vtendi plane non potuit vti; ab eo pro hoc tempore nulla poteſt merces exigi.

§. 308. In quibus caſibus praeter ea eiusmodi conductor §i 259. remiſſionem exigere poſſit, infra definitur. (§. 478. ſeqq.)

De fublocationibus.

§. 309. Rei conductori §i 258. (*Miether*) ius non eſt, vſum rei ipſi conceſſum alteri ſublocandi, ſine locatoris conſenſu.

§. 310. In ſpecie aedium conductori, ſine locatoris conſenſu, alios pro pecunia recipere non licet.

Source : BIU Cujas

§. 311. Locatori ius consensum denegandi competit, si subconductor recipiendus quaestum facit inhonestum, aut aedibus vel domicilio noxium.

§. 312. Si locator eam consensus denegandi causam probare nequit; conductori §i 258. (*Miether*) renuntiare conductionem licet, quamuis tempus contractu definitum nondum sit elapsum.

§. 313. Neque conductor §i 259. (*Pächter*) ius habet, absque locatoris consensu, subconductores (*Unterpächter*) constituendi.

§. 314. In locatione conductione tantum, plures oeconomiae rubricas aut villas complectente, conductor §i 259. rubricas singulas aut villas, vel sine expresso locatoris consensu, potest sublocare (subarrendare.)

§. 315. Si conductor §i 258 aut 259. subconductorem proprio ausu et sine iure constituit; locatori quouis tempore ius est agendi, vt subconductor deiiciatur.

§. 316. Quod vero si non fiat, aut si locator in subconductorem constituendum consenserit; conductor §i 258 aut 259. principalis nihilo minus nunc, vt ante, praestat non solum totam mercedem, sed etiam damna, a subconductore data omnia.

§. 317. At locator tamen propter haec damna immediate quoque conuenire potest subconductorem.

§. 318. At contra, in mercedem, ad quam soluendam hic conductori §i 258 aut 259. principali se obligauit, sine expressa conuentione, nullum ius consequitur; sed propter ea, quae conductor principalis ipsi debet, mercedem eam non potest apprehendere, nisi via arresti impositionis ordinaria.

§. 319. Eadem praecepta (§. 316-18.) quoque obtinent in casu §. 314., si partes (rubricae) aut villae singulae fuerint sublocatae, cum locatoris §i 259. consensu speciali, aut sine eo.

§. 320. Neque tamen, licet locator §i 258 aut 259. intuitu rei integrae, subconductorem constituen-

Source : BIU Cujas

dum expreſſe conceſſerit, inde iam ſequitur, eum ab obligationibus ſuis liberaſſe conductorem §i 258 aut 259. principalem.

§. 321. Caeterum in caſibus omnibus ius ſubconductoris extinguitur extincto conductoris §i 258 aut 259. principalis iure.

§. 322. At vero, ſi locator expreſſe acceſſerit ad pactum ab his in tempus longius contractum; elapſo conductoris §i 258 aut 259. principalis tempore, ſubconductor, intuitu locatoris, in locum ſuccedit conductoris principalis.

§. 323. Iura et officia inter conductorem §i 258 aut 259. principalem et ſubconductorem vnice diiudicantur ex contractu ſpeciali inter eos ſubſiſtente; qui ex contractu principali eatenus tantum explicari poteſt aut ſuppleri, quatenus contrahentes expreſſe ad illum reſpexerunt.

Quibus modis locatio conductio finitur.

§. 324. Locationis conductionis (§i 258. 259.) tempore pacto definito, locatio conductio finitur elapſo tempore definito; renuntiatione ſingulari non neceſſaria.

1) Elapſo tempore contractu definito.

§. 325. Hinc, licet tempore finito conductor (§i 258 aut 259.) in poſſeſſione adhuc maneat, ex poſſeſſione continuata nondum tamen ſequitur contractus prorogatio; quoad locator conſenſum ſuum in contractum continuandum non declarauit expreſſe, aut factis, quae conſenſum tacitum ſecundum leges poſſunt fundare. (Tit. IV. §. 58. ſeqq.)

Prorogatio tacita.

§. 326. Eiusmodi conſenſui tacito eſt aequiparandum, ſi locator, cui conductor §i 259. animum conductionis continuandae expreſſe declarauit, intra dies quatuordecim, a declarationis inſinuatae tempore, contradictionem non ſignificauit.

§. 327. Si locator §i 258 aut 259. mercedem vlteriorem accipit; tacitus locatoris conſenſus in contractum prorogandum praeſumitur.

§. 328. Prorogatio tacite ſubſecuta in regula in annum facta intelligitur.

§. 329.

Source : BIU Cujas

§. 329. At vero, ſi in contractu in plures annos celebrato, merces in plures hos annos ſimul ſumtos fuerit definita; prorogatio tacita extenditur ad tempus totum, contractu primo definitum.

§. 330. Si praediorum ruſticorum ager in campos certos eſt diuiſus; conductio (§i 259.) tacite continuata in id tempus prorogata cenſetur, quod requiritur, quo conductor ſecundum ſolitam agri colendi rationem percipere poſſit omnium camporum fructus.

§. 331. Quod praeceptum quoque obtinet in agris vrbanis, ſic diuiſis, vt per certum tempus ſint otioſi.

§. 332. Si ſecundum determinationes antecedentes (§. 325 - 327.) locatio conductio (§i 259.), licet poſſeſſio continuetur, non eſt habenda prorogata; conductor a die conductionis finitae obſtringitur rerum alienarum adminiſtratoris obligationibus; et a die contradictionis locatoris, ipſi inſinuatae, malae fidei poſſeſſoris obligationibus et oneribus.

§. 333. Quod praeceptum (§. 332.) locum quoque habet contra conductorem (§i 258. *Miether*), qui tempore contractus elapſo, ſine prorogatione valida, manet in rei locatae poſſeſſione.

§. 334. Si locatore poſcente, dum currit trimeſtre, poſſeſſionem debet relinquere; pro tempore interiecto, inde ab initio ſpatii trimeſtris, merces ab eo exigi nequit.

§. 335. At quoad, elapſo contractus tempore, per ſpatia trimeſtria integra poſſeſſionem continuauit, pro his ſpatiis trimeſtribus praeſtat mercedem, contractu definitam.

§. 336. Quae ſupra §. 324. et ſqq. praecepta ſunt de caſu, ſi tempus certum contractu eſt definitum, tum quoque valent, ſi conductionis (§i 258. 259.) tempus ad certum euentum, aut caſum fuit definitum.

§. 337. At vero, ſi temporis momentum, quo caſus aut euentus incideret, fuit incertum; conductori (§i 258 aut 259.), caſu aut euentu exiſtente,

Source : BIU Cujas

concedendum adhuc est tempus possessionis relinquendae aequum (proportionatum).

§. 338. Quod tempus, in casu dubio, determinandum est ex legitimis renuntiationis terminis.

§. 339. Locatio conductio (§i. 258 aut 259.) vsque ad domini maiorennitatem contracta, continuanda est vsque ad finem annorum legitimorum, licet dominus veniam aetatis iam ante obtinuerit.

2) Antecedente renuntiatione.

§. 340. Si tempus, ad quod locatio conductio (§i 258. 259.) subsistere debeat, in contractu plane non est definitum; is, qui a contractu recedere cupit, alteri iusto tempore denuntiare propositum debet.

§. 341. At vero, si tempus quidem in contractu non fuerit determinatum, at mercedis tamen summa ad certum temporis spatium, e. g. in menses singulos aut annos etc. definita; locator (§i 258. 259.) renuntiatione (auisatione) conductorem (§i 258. 259.) currente eo temporis spatio, e. g. currente mense vel anno, possessione priuare non potest.

§. 342. Si terminus, quo renuntiatio (auisatio) fieri debeat, neque in contractu ipso, neque legibus prouincialibus specialibus aut statutis est definitus; renuntiatio, in conductione (§i 259.) rerum immobilium et iurium, sex menses fiat necesse est ante tempus, quo res locata est relinquenda.

§. 343. Si praedia sint rustica et agraria, renuntiatio fiat necesse est sex menses ante elapsum annum oeconomicum.

§. 344. In locationibus conductionibus rerum immobilium (in sensu §. 258. *Miethungen*), et conductionibus rerum mobilium (in sensu §. 259. arrendis, *Pachtungen*) renuntiatio debet fieri in diebus tribus primis eius spatii trimestris, quo elapso relinqui debet possessio.

§. 345. In rerum mobilium conductionibus (in sensu §. 258. *Miethungen*), nisi casus §. 341. incidat, renuntiatiatio horarum viginti et quatuor sufficit.

Source : BIU Cujas

§. 346. Si ex rebus circumſtantibus et animo conductoris §i 258. (*Miethers*) clare patet, hunc rei conductae mobilis vel immobilis vſum eo vſque tantum voluiſſe ſuſcipere, donec fuerit conſecutus finem ſatis determinatum; rem ſtatim, ſimulac finem eſt conſecutus, poteſt reſtituere ſine vlla renuntiatione.

§. 347. Ad praeſtandam mercedem tum tantum obligatur pro ratione temporis, quo re vere eſt vſus.

§. 348. Renuntiationem literis facere ſcriptis, neceſſe non eſt; ſed ſufficit, ſi alio modo poteſt probari, renuntiationem eſſe factam, et in notitiam parti aduerſae veniſſe.

§. 349. Si alter renuntiationi recte factae non contradicit intra dies octo, poſtquam ipſi innotuit; ſtatuitur, renuntiationem ipſi placuiſſe, neque contra eam locum habet exceptio alia vlla.

§. 350. Intra tempus quoque contractu definitum conductori (§i 258 et 259.) renuntiatio debet placere, ſi caſus incidit alienationis rei iudicialis neceſſariae. Caſus, quibus renuntiatio locum quoque habet intra tempus contractu definitum. 1) Ob alienationem neceſſariam.

§. 351. Conductor (§i 259.) tunc finito anno oeconomico poſſeſſionem debet relinquere, ſi ipſi renuntiatio ſex menſes ante huius anni finem eſt facta.

§. 352. At vero, ſi renuntiatio facta eſt ſerius, ante anni oeconomici proxime ſequentis finem cogi non poteſt ad cedendum.

§. 353. In conductionibus §i 258. (*Miethungen*) conductor emigrare demum obligatur elapſo trimeſtri, inde a fine eius trimeſtris, quo facta eſt venditio.

§. 354. Si ſponte, elapſo eo trimeſtri, quo facta eſt adiudicatio, emigrare velit, emigrare licet.

§. 355. Conductor (vtriusque §. 258. 259.) ex locatoris bonis poteſt petere reparationem damni, quod probare poteſt ipſi eſſe ortum ex ceſſione et emigratione, ante tempus, contractu definitum, neceſſaria.

Source : BIU Cujas

§. 356. Si contractum suum in librum hypothecarium referendum curauit; ei, de hac reparatione praestanda, classis tertiae iura competunt; at praeter ea praelationis iura singularia in concursu nulla.

§. 357. Renuntiatione neque ex creditorum parte, neque noui emtoris facta, conductor (§i 258. 259.) ob factam alienationem necessariam solam ex sua parte a pacto recedere nequit.

§. 358. Venditione spontanea iura et obligationes conductoris (§i 258. 259.) non mutantur.

§. 359. Si locatio conductio, venditionis tempore, nondum fuit traditione perfecta; inter conductorem (§i 258 aut 259.) et emtorem locum obtinent praecepta generalia tituli decimi noni §. 3-6.

§. 360. Si secundum ea praecepta conductor (§i 258 aut 259.) emtori debet cedere; conductor petere a venditore potest reparationem damni, ex contractu non adimpleto oriundi.

§. 361. Conductor (§i 258. 259.) a contractu recedere semper potest, si alienatio est facta spontanea, ante traditionem, ipso non adhibito.

§. 362. At tunc tamen indemnitatem petere non potest.

2) Ob necessarias refectiones.

§. 363. Si res conducta indiget necessaria aedificatione magna, quae conductore (§i 258.) inhabitante perfici non potest, hunc emigrare oportet ante elapsum tempus, contractu definitum.

§. 364. At vero, si damnum contractus celebrati tempore iam extitit, neque latere locatorem potuit sine ipsius culpa lata aut leui, locator ad conductorem indemnem praestandum obligatur.

§. 365. Idem obtinet, si aedificatio facta fuerit necessaria ob neglectas refectiones modicas, a locatore curandas, ipsi a conductore tempore iusto denuntiatas.

Source : BIU Cujas

§. 366. Conductore §i 259. mortuo heredes (fuc- 3) Morte
ceſſores) eius, niſi contractus ad eos expreſſe ſimul fue- conducto-
rit directus, ad conductionem continuandam per ris §i 258.
vnum tantum annum poſt eius mortem obligantur. aut 259.

§. 367. Quo tamen iuris beneficio ſi vti velint, renuntiationis tempus legale attendant, neceſſe eſt.

§. 368. Conductore §i 259. currente anno oeconomico mortuo, terminus, quo heredes a contractu recedere poſſunt, initium demum capit a fine eiusdem anni oeconomici.

§. 369. Locator (§i 259.) quoque conductoris heredibus contractum renuntiare eodem modo poteſt.

§. 370. At tum tamen de ſatisfactione, de meliorationibus praeſtanda, praecepta obtinent §. 283. ſeqq.

§. 371. Conductoris (§i 258.) intra tempus contractu definitum mortui heredes contractu tantum obſtringuntur per annum dimidium, elapſo trimeſtri, quo mors accidit.

§. 372. Sola vxoris ſubſcriptio, conductionis §i 258. contractui adiuncta, eam nondum obligat, ad conductionem, mortuo marito, diutius ſeruandam, ſimulac docere poteſt, eam ipſius conditionis et rerum mutationem morte fuiſſe ortam, qua ipſi ex contractu ſeruato detrimentum graue eſſet oriundum.

§. 373. Locator (§i 258.) quoque, mortuo conductore, a contractu poteſt recedere; at heredibus tamen contractum debet renuntiare termino §. 344. definito.

§. 374. Si plures communiter rem conduxerunt in ſenſu §i 258 aut 259.; mors vnius eorum iura et officia reliquorum erga locatorem non mutat.

§. 375. Neque locatoris morte in iuribus et obligationibus conductoris §i 258 aut 259. quidquam mutatur.

§. 376. Si conductor (§i 258.) ob mutationem non 4) Mutati-
ſpontaneam, quae circa ipſius perſonam aut res accidit, one, quae
re conducta immobili vlterius vti nequit; a contractu circa con-
ductoris

Source : BIU Cujas

perſonam aut bona accidit.

poteſt recedere praeſtita mercede ſemeſtri, inde a finito trimeſtri, quo facta eſt renuntiatio (auiſatio).

§. 377. A qua tamen obligatione mercedis ſemeſtris praeſtandae ſe liberare poteſt, ſi locatori ſiſtit ſubconductorem, contra quem exceptiones, quae alicuius ſint momenti, proferre non poteſt.

§. 378. Si bello exorto copiae in bellum proficiſcuntur, perſonae ad exercitum pertinentes, conductionis (§i 258.) contractu, tantum obſtringuntur vſque ad trimeſtre, quo egrediuntur, elapſum.

§. 379. Ad alias vero perſonas quod attinet, bellum exortum neque vni parti neque alteri legitimam ſubminiſtrat cauſam, a locationis conductionis (§i 258. 259.) contractu recedendi.

§. 380. De exceptione, intuitu conductionum praediorum ruſticorum obtinente, infra ſunt definita neceſſaria. (§. 553. ſeqq.)

§. 381. Conductor §i 258 aut 259., qui belli tempore vi hoſtili aut potentia maiori locationis conductionis mercedem hoſti praeſtare cogitur, eam locatori iterum praeſtare non obligatur.

§. 382. At vero, intuitu terminorum, quos locatori (§i 258 aut 259.) praeſtare eſt moratus, ipſi non prodeſt ſolutio, quam hoſti praeſtitit, vi coactus.

5) Propter mutationes in re.

§. 383. Si res conducta (ex ſenſu §i 258.) ad vſum deſtinatum absque conductoris culpa plane, aut maximam partem inutilis eſt facta; conductor ante elapſum tempus, contractu definitum, a pacto recedere poteſt.

§. 384. Merces praeſtanda pro rata definitur temporis, quo re adhuc vti potuit.

§. 385. Si locatoris culpa lata aut leuis cauſa fuit, vt res facta ſit inutilis, conductori §i 258. ius competit, indemnitatem exigendi.

§. 386. Ob circumſtantias mutatas in perſona locatoris (§i 258.) ante elapſum tempus, contractu definitum, renuntiatio locum non habet.

Source : BIU Cujas

§. 387. Ob rei conductae abusum conductor (§i 258. 259.) durante tempore, contractu definito, ex possessione tunc demum potest expelli, si rem in alium adhibet vsum, quam expresse concessum; aut si ex rei abusu substantiae laesio grauis non sine ratione potest metui. 6) Propter abusum rei.

§. 388. Si locatori (§i 258. 259.) tantum ius fuit, de re ad dies vitae aut vllum tempus aliud certum disponendi, successor ad contractum seruandum non est obligatus. 7) Extincto locatoris iure.

§. 389. At conductori (§i 258 aut 259.) tamen terminum renuntiandi legitimum debet concedere, vt alio modo sibi possit prospicere conducendo.

§. 390. A locatore (§i 258. 259.), aut eius heredibus, talis conductor damni, ex cessione aut emigratione citiori ipsi oriundi, tum demum potest reparationem petere, si locator iuris temporarii qualitatem ipsum celauit, aut ipsi indemnitas expresse fuerit promissa.

§. 391. Quatenus, intuitu locationum conductionum (§i 258. 259.), altera parte ante traditionem aut in ea contractum rite adimplere recusante, alteri ius competat, a contractu recedendi, ex generalibus tituli de pactis principiis est definiendum. (Tit. V. §. 393. seqq.) 8) Si pars altera contractum adimplere renuit.

§. 392. Contractu autem traditione semel perfecto, recessus vnilateralis locum tantum habet in casibus §. 396-403. tituli dicti; non vero in casibus §. 404-407.

§. 393. In iis quoque casibus, vbi a contractu in se recedere licet, non tamen potest ab eo recedi, nisi legitima antecedat renuntiatio.

§. 394. Iura et officia partium pro tempore, per quod locatio conductio (§i 258. 259.) durauit, in his quoque casibus ex contractus sententia diiudicantur.

§. 395. Caeterum locator, ob mercedem et alia, quae conductor (§i 258. 259.) ipsi debet, creditoris pi- Iura exorto concursu.

Source : BIU Cujas

gnoraticii gaudet iuribus, in rebus et effectis, a conductore illatis, et contractus finiti tempore in domo aut praedio adhuc extantibus.

§. 396. At contra conductori §i 259. ob reparationes ipsi competentes ius retentionis competit, secundum praecepta sectionis secundae tituli antecedentis propius determinandum.

§. 397. Conductor §i 258. eiusmodi retentionis ius non potest exercere in re ipsa, sed in mercede tantum termini vltimi.

III. De conducendo famulitio.

§. 398. Quae de conductionibus famulitii et operariorum, et de operibus locatis sunt necessaria, suo loco sunt praecepta. (Part. I. Tit. XI. §. 895-980. Part. II. Tit. V.)

IV. De locationibus conductionibus praediorum rusticorum.

§. 399. Quidquid in antecedentibus de locationibus conductionibus §i 259. in genere est praeceptum, valet quoque de praediorum rusticorum locationibus conductionibus, quatenus in subsequentibus nihil fuerit mutatum.

§. 400. Sub praediis rusticis hic quoque ea veniunt praedia, quibuscum agricultura aut res pecuaria est coniuncta.

Forma.

§. 401. Locationis conductionis contractus praediorum rusticorum in scripturam semper sunt redigendi, licet locationis conductionis merces pacta annua thalerorum quinquaginta summam non excedat.

§. 402. Qua forma neglecta, praeceptum §. 269. locum obtinet.

§. 403. Si merces annua pacta ducentos thaleros aequat aut excedit; contractus vel in iudicio vel saltem coram iustitiae commissario debet celebrari.

§. 404. Persona iudicialis delegata debet attendere, vt pactum in se contineat partium conuenta perspicua et determinata, non solum de iis, quae conductori (§i 259.) conceduntur, et quae pro iis ab eo soluenda aut praestanda sunt, sed in primis etiam, de damno, calamitate exorta ipsi resarciendo.

Source : BIU Cujas

§. 405. Si eiusmodi contractus non celebratus est modo §. 403. praescripto; pacti determinationes obscurae et insufficientes semper in praeiudicium locatoris potius, quam conductoris sunt explicandae.

§. 406. Atque etiam locatio conductio per annum tantum subsistit, et anno quouis elapso potest rescindi, renuntiatione legitima antecedente.

§. 407. Si non praedium totum, sed singuli tantum agri aut aliae praedii pertinentiae fuerint locatae; iam sufficit, si praeceptum §. 401. obseruatur.

Iura conductoris intuitu fructuum, ab ipso percipiendorum.

§. 408. Si res, conductori ad fructuum perceptionem concessae, in pacto aut taxatione propius sunt determinatae; conductor rubricas silentio praetermissas eatenus tantum potest petere, quatenus cum aliis ad fructuum perceptionem concessis inseparabiliter sunt coniunctae.

§. 409. At pacto absque determinatione tali propiori ad corpus s. per auersionem celebrato, conductor solitam habet perceptionem fructuum fundorum, ex quibus fructus huc vsque in praedio sunt percepti, et redituum et iurium omnium, quorum fructus pecunia possunt aestumari.

§. 410. At contra, eiusmodi conductor arrogare sibi non potest iura mere honorifica, quae plane non, aut non more solito et in regula praestant vtilitatem, pecunia aestumandam.

§. 411. Speciatim neque iurisdictio ipsa, neque sportulae iudiciales et multae, inde pendentes, possunt locari.

§. 412. At omnino locum habet locatio aliorum iurisdictionis fructuum, ex legibus licitorum.

Obligationes intuitu onerum et tributorum.

§. 413. Si conductor in se recepit onera et tributa de praedio praestanda ad taxationem aut consignationem; locator fert praestationes in ea celatas, quatenus neque ad administrationem oeconomiae solitam pertinent, neque de fructibus solis praestandae sunt, substantiae ratione nulla habita.

Source : BIU Cujas

§. 414. Si vero conductor onera et tributa, sine propiori determinatione in se recepit; locator tantum praestare obligatur debitorum hypothecariorum vsuras, et vsuras et praestationes, ex pactis aut testamentis praedio inhaerentes.

Iura et officia ratione fundi inuentarii.

§. 415. In locatione conductione omni praesumitur, conductori in vsum esse concessas res inuentarii omnes, quae eo vsque ad praedium colendum et fructus ex eo percipiendos fuerunt destinatae.

§. 416. Res inuentarii in praedio remanentes ante traditionem accurate describantur et modo vsitato taxentur necesse est.

§. 417. Quod si non fuerit factum, praecepta §. 119. 120. locum habent.

Euictio, a locatore praestanda.

§. 418. Non in traditione solum, sed etiam durante locatione conductione, locator conductori vsum fundorum et iurium locatorum non impeditum s. liberum debet praestare.

§. 419. Conductorem quoque defendere et indemnem praestare contra petitiones (praetensiones) omnes, in fundos et iura factas, quatenus inde fructuum ex eiusmodi fundis vel iuribus perceptio laeditur.

§. 420. Si ad aestimationem est conductum, et contractu perfecto ius vtendi in vna aut alia praedii parte (rubrica *Rubrik*) casu aut principis edictis laeditur, locatorem deminutionem inde ortam, proportione taxationis ad locationis conductionis quantum, oportet refarcire.

§ 421. Locatione conductione ad corpus s. per auersionem facta, conductori refarcienda est eiusmodi praedii partis (rubricae) deminutio, ex iisdem causis orta, ad proportionem fructuum et emolumentorum, per tres annos immediate praecedentes perceptorum, in partes aequales diuisorum.

§. 422. Si praedium ad aestimationem est locatum conductum, locator veritatem censuum et redituum, qui fixi et perpetui in ea sunt dicti, debet praestare.

Source : BIU Cujas

§. 423. At contra, in regula non praeſtat cenſuum et redituum fixorum bonitatem.

§. 424. At vero, ſi ad cenſum praeſtandum obligato, accedente locatoris conſenſu, aut ex iudicis arbitrio, remiſſio debet concedi; eam fert locator ſecundum proportionem §. 420. definitam.

§. 425. Si fundi locati ad dimenſionem certam in ichnographia (delineationis regiſtro, *Vermeſſungsregiſter*) expreſſam ſunt definiti; ad iſtam dimenſionem ſunt fundi praeſtandi.

§. 426. Sementi et pratorum reditibus non ad dimenſionem, ſed ad modiorum (medimnorum) menſuram, et vehes (currus) determinatis, locator, licet conductor ſe deminutionem pati affirmet, ab euictione tamen liberatur, ſi poteſt probare, quantum indicatum antea ſolito fuiſſe ſeminatum, et tot vehes collectas.

§. 427. Solita habentur, quae intuitu agrorum in ſex annis, proxime elapſis, in partes aequales diuiſa ſunt ſeminata; et pratorum intuitu, quae in tribus annis vltimis, facta diuiſione in partes aequales ſunt collecta.

§. 428. Indemnitas, propter agrorum locatorum menſuram deficientem praeſtanda, definienda eſt proportione eius, quod deeſt, ad quantum taxatum, et proportione conductionis mercedis ad taxationis ſummam.

§. 429. Qualitatem et bonitatem fundorum in taxatione indicatam locator eatenus tantum praeſtat, quatenus in falſa indicatione doli contra conductorem reum ſe reddidit.

§. 430. Nunquam praeſtantur partium (rubricarum) ad fructuum perceptionem locatarum prouentus, a cultura et euentibus naturalibus pendentes.

§. 431. Si praedium ſine aeſtimatione eſt locatum conductum, locator praeſtare tantum obligatur praedii ſubſtantiam et eius pertinentias, non vero ſum-

Source : BIU Cujas

mam cenſuum fixorum certam, aut certam fundorum locatorum menſuram.

§. 432. Vtrum ad taxationem, an ad corpus tantum ſ. per auerſionem ſit locatum conductum, diiudicandum eſt ex principiis in emtionibus venditionibus aſſumtis. (Tit. XI. §. 212. 213.)

Officia conductoris in conſeruando praedio eiusque oeconomia adminiſtranda.

§. 433. Conductor omnis obligatur, vt praedii ſibi locati partes (rubricas) in ſtatu idoneo conſeruet omnes.

§. 434. In primis vero eum oportet diligenter attendere, ne fines et termini mutentur, aut alio modo vllo praedium eiusque iura laedantur.

§. 435. Adminiſtrandi modum ſingularem, in contractu praeſcriptum, omnino debet ſequi.

§. 436. In genere tentare ipſi non licet, absque locatoris conſenſu, in adminiſtrandi et colendi ratione ſolita mutationes magnas, quarum effectus quoque extenduntur ad tempus poſt locationem conductionem finitam.

§. 437. Neque ei ius competit, ſubditis aut ſeruitia praeſtantibus de iis, quae antea habuerunt, aliquid detrahendi, aut iuris plus, quam iis competit, concedendi.

§. 438. Et multo minus ipſi licet noua iis imponere onera, aut aggrauare ſolita.

§. 439. Quotiescunque contra haec praecepta egerit, ad damnum reſarciendum obligatur et locatori, et eius ſubditis atque ſeruitia praeſtantibus.

De aedibus ſartis tectisque conſeruandis.

§. 440. In primis conductor obligatur ad conſeruandum aedificia oeconomiae deſtinata ſarta et tecta, vti aggeres, lacus, vias, foſſas, pontes, ſepimenta, ſepta, molas et aquarum ductus.

§. 441. Refectiones omnes, ſua culpa licet leuiſſima ortas, ipſe debet ſuſcipere;

§. 442. Atque etiam damnum praeſtare, a familia aut famulitio ſuo datum, in his et reliquis caſibus

Source : BIU Cujas

omnibus, secundum principia generalia, in tituli sexti §. 60. seqq. praescripta;

§. 443. Refectionum aliarum, absque sua culpa ortarum, expensas eatenus ferre, quatenus materia potest ex praedio sumi, et refectio famulitii et seruitia praestantium operis perfici.

§. 444. Locator curare obligatur refectiones et aedificationes, quas famulitium et seruitia praestantes soli perficere nequeunt, aut ad quas materia necessaria, quam praedium ipsum non praebet, est comparanda.

§. 445. Conductorem autem locatori refectiones ipsas sine mora oportet denuntiare, et exspectare, quae locator disponat vlterius.

§. 446. Si conductor locatori eas reparationes denuntiare, aut refectiones modicas, ipsi incumbentes, curare moratur; damnum maius inde oriundum praestat.

§. 447. Obligatur quoque conductor, vt in refectionibus, a locatore curandis, locatorem iuuet praedii materia, et subditorum seruitiis, quatenus inde non interrumpitur oeconomiae administratio.

§. 448. Ad molarum locatarum refectiones molendinarius regulariter gratis tantum conferre obligatur suis operis et artis peritia.

§. 449. Conductorem operam dare oportet, vt sine mora virgulta in pratis enascentia eradantur, et damna farciantur, a talpa data, aut aliunde exorta. In cultura pratorum,

§. 450. In quantum agris, per inundationes arena obrutis, hoc malo conductoris vel locatoris sumtibus consulendum sit, ex praeceptis §. 441-444. est definiendum.

§. 451. Stramenta et materiam aliam, ad stercus augendum necessariam, conductori non vendere et eatenus tantum a praedio licet deducere, quatenus subuectiones publicae (*Landeslieferungen*) exigunt. In stercoratione.

§. 452. Pecudum numerum acceptum, durante possessione, in stercoris detrimentum, non nisi in tan- Quoad pecudum numerum.

Source : BIU Cujas

tum poteſt deminuere, in quantum ſtercus alio modo ab ipſo poteſt ſuppleri.

§. 453. Defectum pecudum numeri, ſenectute, vſu, aut culpa lata vel leui conductoris ortum, ipſe ferre debet, et ſupplere.

§. 454. Idem obtinet, ſi vnum corpus aut aliud morbis haud contagioſis demoritur.

§. 455. At vero damna, ex pecudum peſte, incendio, aut alia calamitate infolita pecudum inuentario orta, locator, pecudum dominus, ſentit.

§. 456. Ouibus lue demortuis, conductor primum et tertium, locator vero ſecundum et quartum gregis quadrantem amittit.

§. 457. Agni gregi nondum adnumerati in cenſum hic non veniunt.

§. 458. Si in aeſtumatione ipſa inſolitae ouium luis ratio ſimul eſt habita, atque adeo fructuum et emolumentorum prouentus in tantum minoris aeſtumatus; conductor damni, ex eiusmodi lue orti, reparationem exigere nequit.

§. 459. Quatenus pecudum demortuarum pretium ab aſſecurationis ſocietate, in prouincia conſtituta, reſarcitur; eatenus conductorem contentum eſſe oportet pretio (taxa) definito, atque ex eo intra annum ſupplere pecudes demortuas.

§. 460. Vbi eiusmodi ſocietates non ſunt, aut calamitas (caſus aduerſus) non pertinet ad caſus, ab aſſecurationis ſocietate reſarciendos, conductor reſtitutionem a locatore accipit.

§. 461. Si pecudes ad aeſtumationem ſunt traditae, conductor pretio, aeſtumatione definito, contentus eſſe debet; at hoc caſu excepto reſtitutionem exigere in natura poteſt.

§. 462. Si reſtitutio in natura praeſtanda non fuerit praeſtita iam ante elapſum trimeſtre, quo locatori damnum denuntiatum eſt; conductori ius competit, in locum pecudum demortuarum ſubſtituendi alias.

Source : BIU Cujas

§. 463. Si lues gregem infeſtauerit, trimeſtre, licet denuntiatio iam antea fuerit facta, non tamen computatur, niſi ab eo temporis momento, quo cum locis, ob luem clauſis, reſtitutum eſt liberum commercium.

§. 464. Emtionis pretium pecudum a conductore emtarum locator debet refundere, quatenus non poteſt probari, pecudes eſſe emtas melioris qualitatis et bonitatis, quam fuerunt demortuae.

§. 465. Quod emtionis pretium, vti pretium, in caſu §. 461. aeſtumatione definitum, conductor poteſt deducere de mercede, termino proximo ſoluenda.

§. 466. Inſtrumenta quoque oeconomica, quae caſibus aduerſis interierunt, reſtituenda ſunt a locatore, tanquam domino. Quoad inſtrumenta oeconomica.

§. 467. In reſtitutione determinanda inuentarii aeſtumatio fundamentum ponitur.

§. 468. At ſupponitur tamen, eiusmodi inſtrumenta intra decem annos vſu plane deteri.

§. 469. Hinc reſtitutio tantum definitur proportione temporis ſpatii praeterlapſi, inde ab aeſtumatione facta, vſque ad detrimentum ſecutum.

§. 470. Si nulla extat aeſtumatio, inſtrumenti, quod interiit, pretium iacturae tempore, alio modo eſt eruendum.

§. 471. Res ad inuentarium pertinentes, quae vetuſtate, vſu, aut negligentia conductoris intereunt, non caſu aduerſo inſolito, a conductore ſunt reſtituendae.

§. 472. Iacturam rerum ſingularum, quae numerum in inuentario expreſſum excedunt (ſuperinuentarii), et pecudum, et inſtrumentorum aliorum, conductor ſolus ſemper ſentit.

§. 473. Si conductor eiusmodi ſuperinuentarium iure habere poteſt; rebus ad illud pertinentibus non ſeparatim ſignatis, damnum ortum locator et conductor ſentit, proportione numeri, caſus aduerſi tempore, ex vtraque parte exiſtentis.

Source : BIU Cujas

§. 474. Si pecudum et inſtrumentorum, ad agrum colendum deſtinatorum, inuentarium eſt conductoris proprium, hic quoque ſolus ſentit damnum omne, inuentario datum.

§. 475. Idem obtinet, ſi conductor inuentarium tanquam perpetuum (ferreum, cuius numerus non minuendus) accepit.

§. 476. Ex eo ſolo, quod inuentarium ad aeſtumationem conductori eſt traditum, nondum ſequitur, hunc inuentarium tanquam perpetuum ſuſcepiſſe.

Amiſſio iuris conductionis ob adminiſtrationem haud oeconomicam.

§. 477. Simulac conductor contra obligationes ſuas, praedium diligentia debita boni patrisfamilias inſtar adminiſtrandi et colendi, eo modo agit, vt inde ex iudicis iudicio, ad rei peritorum iuratorum arbitrium definiendo, metuendum ſit, ne praedii ſubſtantiae damnum detur grauius; conductor praeter damni reparationem quoque de conductione ipſa iudicis auctoritate poteſt deiici.

Remiſſio mercedis vbi peti poſſit, a) in locatione conductione generatim.

§. 478. Praeter principium generale §. 307. conductor remiſſionem mercedis exigere poteſt, ſi praedii fructus ſoliti per caſus aduerſos extraordinarios haud mediocriter deminuuntur.

§. 479. Quod tamen remiſſionis ius ceſſat, ſi caſus aduerſi, qui in et per ſe ad extraordinarios pertinent, in regione, in qua praedium eſt ſitum, aut ob praedii ipſius naturam et qualitatem, non ſunt inſoliti; et ſi ex circumſtantiis apparet, eorum in aeſtumatione, aut in determinanda mercede iam rationem fuiſſe habitam.

§. 480. Conductor ex fundamento caſus, quem ſenſit, aduerſi remiſſionem petiturus caſum, ſimulac incidit, et ſine mora, locatori debet denuntiare.

§. 481. Locatori licet, inſpectione propria cognoſcere caſus aduerſi indicati exiſtentiam et grauitatem, aut prouocare ad cognitionem praeuiam iudicialem, ſecundum leges ordinis iudicialis.

§. 482.

Source : BIU Cujas

§. 482. Si locator, extra prouinciam degens, conductorem non ablegauit ad mandatarium in rebus, ad locationem conductionem pertinentibus; conductorem ipsum, dum casum aduersum modo §. 480. praescripto denuntiat, simul prouocare oportet ad cognitionem iudicialem secundum §. 481.

§. 483. Conductor, qui casum aduersum modo, §. 480. praescripto, non denuntiauit tempore iusto, postea remissionem petere amplius non potest opponendo calamitatem praetentam.

§. 484. Porro ea remissio tunc tantum locum habet, si non solum damnum graue probatum est in ea oeconomiae parte (rubrica), cui casus aduersus accidit, sed etiam cognitum, damnum vberioribus reliquarum partium (rubricarum) fructibus non esse reparatum.

§. 485. Conductor igitur eatenus tantum remissionem potest petere; quatenus potest probare, ex praedii, currente anno oeconomico, partibus (rubricis) omnibus simul sumtis, deductis expensis, non fuisse perceptos eos fructus, qui ad mercedem soluendam sunt necessarii.

§. 486. Quae ea ratione conductionis mercedi desunt, locator remittere obligatur.

§. 487. Conductor itaque, remissionem exacturus promtus et paratus sit necesse est, ad exhibendam locatori currentis anni rationem administrationis plenam, iustificatoriis sufficientibus atque idoneis non carentem.

§. 488. In qua ratione conductorem in acceptorum rationem, et quidem ad pretium forense medium vrbis proxime sitae, oportet ea quoque referre, quae ex praedii fructibus ad sustentandum se et familiam suam impendit.

§. 489. Quae in sementem et agrorum culturam anni currentis impendit, in pecuniarum expensarum rationem ponendi ius non habet.

Source : BIU Cujas

§. 490. At contra, de currentis anni fructibus ea sunt deducenda, quae forsan eo currente ad agros colendos, ad pecudum pabulationem, et famulitii et deputantium cibatum vsque ad proximam messem sunt necessaria.

§. 491. Si vel ea non adsunt; conductor pecuniae tantum, in expensa potest referre, quantum oeconomice impendendum est ad ea, quae desunt, comparanda.

§. 492. At contra copiae, deductis expensis his oeconomicis, forsan adhuc extantes secundum rerum pretia, sub anni oeconomici finem constituta, pecunia sunt aestumandae, et pecuniis acceptis addendae.

§. 493. Copiae rubricarum, venditionis causa plane non aestumatarum, hic quoque neque in expensorum neque in acceptorum rationem referuntur.

§. 494. Eodem modo non potest haberi ratio expensorum, acceptorum, aut copiarum, ad annum oeconomicum anteriorem pertinentium.

§. 495. At contra, census et reditus fixi anni oeconomici currentis omnes a conductore in acceptorum rationem sunt ponendi, licet nondum fuerint re vera percepti; nisi conductor etiam censum praestare obligatis, vi legum, censum remittere debeat.

§. 496. Idem valet de debitis aliis, quae pro omnis generis oeconomiae productis venditis adhuc sunt soluenda; quatenus ea ob debitoris inopiam non censentur liquide amissa.

§. 497. Caeterum in hac ratione respiciendum non est ad ea, quae secundum aestumationem accipienda erant, aut expendenda, neque ad pretia in aestumatione adhibita (*auf die im Anschlage angenommenen Preise*); sed tantum ad ea, quae re vera sunt accepta et expensa.

§. 498. Notata contra has rationes, ob oeconomiam male, confuse et negligenter administratam, ea-

Source : BIU Cujas

tenus tantum locum inueniunt, quatenus conductor latam aut leuem culpam commisit.

§. 499. Conductor, qui eam rationem exhibere nequit, aut non vult, iure non potest petere remissionem vllam ob casus aduersos, qui ipsi in oeconomiae rubricis singulis acciderunt.

§. 500. Ex ea tantum causa, si conductor in frugibus nondum perceptis, casibus extrinsecus contingentibus, nempe gelatione, siccitate, grandine, murium voracitate, locustis, inundatione etc. sterilitatem aut damnum sentit, huic licet, loco exhibendae rationis administrationis, intuitu tantum huius rubricae solius petere remissionem proportionatam. Remissiones partiales ob sterilitatem.

§. 501. Quod vero remissionis petendae ius tunc tantum locum habet, si conductor eius generis frumenti, quo damnum sensit, non tantum percepit, quantum requiritur ad anni oeconomici sequentis sementem, et ad ea, quae ad oeconomiam administrandam vsque ad messem proximam sunt necessaria.

§. 502. Quantum his deest, locator de mercede remittere obligatur.

§. 503. Si praedium ex aestumatione est locatum conductum; in hoc remissionis casu singulari aestumatio et pretia, in ea constituta, in computando ponuntur pro fundamento.

§. 504. Si praedium absque aestumatione est locatum conductum; ea, quae desunt, et quae sunt necessaria, alio modo sunt eruenda, et quae deficiunt, aestumando ad pecuniam redigenda, secundum aestumationis principia, in prouincia et districtu isto legibus praescripta, aut more vsitato recepta.

§. 505. Quibus conductor eius frumenti generis, cui damnum est illatum, indiget, ad se, vxorem suam, et liberos suos adhuc impuberes alendos, ea hoc in casu adnumerantur rebus oeconomiae necessariis, quibus inde satisfaciendum.

Source : BIU Cujas

§. 506. Ob damna, quae conductor in frugibus agrorum otioforum ſentit, non poteſt prouocare ad ponendam adminiſtrationis rationem, nedum petere remiſſionem ſingularem.

§. 507. At ſi praedium ex aeſtimatione eſt locatum conductum, fructuum agrorum otioforum quoque in conducendo ratione habita; de his, ſi iis accidat caſus aduerſus extraordinarius, eadem obtinent, quae de aliis frumentorum rubricis aeſtimatis.

§. 508. In genere ex damnis earum oeconomiae rubricarum, quarum in conducendo nulla facta eſt mentio, neque modo vllo alio habita ratio, remiſſio vlla in caſu nullo poteſt iure exigi.

§. 509. Si de remiſſionibus ob caſus aduerſos concedendis partes ſigillatim conuenerunt; haec conuentio ſola remiſſionis modum determinat.

§. 510. Conductor, qui eiusmodi conuentione remiſſioni omni renuntiauit, eam neque poteſt petere in caſibus aduerſis inſolitis.

§. 511. At vero, ſi certa tantum denominata caſuum aduerſorum genera in ſe ſuſcepit, in caſibus aliis ipſi manent iura integra.

c) ob luem pecudum.

§. 512. Ob caſum aduerſum, qui pecudum lue accidit, vniuerſi praedii conductor remiſſionem ſeparatam exigere nullam poteſt.

§. 513. Quatenus tamen inde inſufficientia redituum praedii in genere oritur, conductori ius competit prouocandi, vt adminiſtrationis rationem ponat ſecundum §. 478. ſeqq.

§. 514. Si quis pecudum gregem praedii ſolum conduxit, qui totus aut ex parte interiit caſu aduerſo, a locatore praeſtando (§. 457. ſeqq.); merces de grege, a conductore praeſtanda, huic remittenda eſt proportione temporis, et ex arbitrio rei peritorum iuratorum.

§. 515. Quo tamen in caſu, ea, quae ipſi ad ſuſtentandum gregem conductum conceſſa ſunt, pro-

Source : BIU Cujas

portione aequa locatori debet cedere, aut de iis rationem ponere.

§. 516. Si incendii damnum ex incuria aut negligentia conductoris exortum; conductor non solum damni reparationem petere potest nullam, sed locatori etiam tenetur ad damnum datum ex propriis resarciendum. *d*) ob damnum incendio inflictum.

§. 517. Idem obtinet in casibus legibus definitis, vbi dominus damnum incendii a famulitio datum praestare debet, si conductoris famuli incendii causam dederunt. (Tit. VI. §. 60. seqq.)

§. 518. At vero, incendii damnum, absque conductoris culpa exortum, ad eos refertur casus aduersos, ex quibus conductor remissionem potest exigere secundum principia generalia antecedentia (§. 478. seqq.)

§. 519. Sed administrationis rationem ponere non est necesse, si conductor probare potest, incendium tantam collecti frumenti generis consumsisse copiam, vt eius non reslent ea, quae requiruntur ad sementem et oeconomiam vsque ad messem proximam administrandam.

§. 520. Quo facto pro parte ista separata remissionem potest exigere secundum propiorem determinationem §. 501-507.

§. 521. At vero, si conductor de frumenti genere, in quo damnum factum, antea quid vendiderit; pretium exactum deducitur de damni reparatione ipsi competente.

§. 522. Frumenti anni antecedentis incendio absumti eatenus tantum potest haberi ratio, quatenus conductor eas copias debet restituere, et damnum incendio inflictum anno vltimo ante restitutionem accidit.

§. 523. Quidquid supra de damnis incendio inflictis est sancitum, valet etiam de damno, quod inundationibus, et vndarum vi, conductor sentit, in fructibus iam collectis.

Source : BIU Cujas

§. 524. Reaedificationem aedium absque conductoris culpa incendio consumtarum, aut alio modo collapsarum locator, quantum fieri potest, accelerare obligatur.

§. 525. Qui si iustam diligentiam in eo non adhibeat, aut sumtibus necessariis parcat; sentit damnum omne, quod conductori ex ista mora ortum fuisse potest probari.

§. 526. In iis aedibus reaedificandis conductor locatorem vecturis et manuum operis, eatenus debet adiuuare, quatenus iis carere absque oeconomiae detrimento potest.

§. 527. Cuius auxilii restitutionem conductor non nisi in tantum potest exigere, in quantum loco earum operarum, quibus carere oeconomia potest, a subditis pretium operarum (pecuniam pro operis *Dienstgeld*), iure posset exigere.

§. 528. Atque etiam si praedium, sine subditorum operis, propriis tantum iugis et famulitio administratur, conductor in aedibus reaedificandis iis adiuuare obligatur locatorem, secundum modum §. 526. determinatum.

§. 529. At contra, ab eo peti nequit, vt ad aedium incendio consumtarum reaedificationem gratis exhibeat praedii materiam, quam nomine suo proprio potest iure vendere.

§. 530. Praedio tamen ex aestumatione locato conducto, conductor pro pretio, in aestumatione constituto, exhibere debet eam materiam, in quantum est necessaria.

e) qua piscationem.

§. 531. Qui piscinam separatim conduxit, remissionem petere eatenus tantum potest, quatenus damnum, ex inundatione aut casu aduerso alio ortum, excedit partem dimidiam piscium, ad instruendam piscinam in eam immissorum.

§. 532. Ob damnum, quod feris s. vagis piscationibus accidit, nunquam datur remissio.

Source : BIU Cujas

§. 533. Defectus venti, per rerum naturam et ordinem orti, molae pneumaticae conductori nullam subministrat causam remissionis petendae. f) qua molas.

§. 534. Si mola aquaria, aqua deficiente, aut nimium tumescente, absque molae conductoris culpa, quiescit; molae conductor remissionem potest petere proportione temporis, quo mola non mouetur.

§. 535. Quatenus autem eiusmodi aquae defectus aut tumor ad casus loci solitos refertur, eatenus conductori non competit ius, remissionem exigendi.

§. 536. Si mola per quatuordecim tantum dies aut tempus breuius sistitur, ad istam quietem nullo in casu attenditur.

§. 537. Praecepta §. 534. 535. quoque obtinent, si mola ob refectiones necessarias, quibus conductoris culpa causam non praebuit, vltra dies quatuordecim prorsus debet sisti.

§. 538. In definienda remissione, quam conductor, ob molam quiescentem, in casibus §phi 534. et 537. potest exigere, in regula respicitur ad illud tempus, per quod mola vltra dies quatuordecim quiescere debuit.

§. 539. At vero, si molae conductor iam semel in eodem conductionis anno sine restitutione sentire debuit damnum, ex eiusmodi quiete breuiori ortum; sequente casu alio, ob quem remissionem potest exigere, quatuordecim isti dies in conductoris commodum computantur.

§. 540. Si illi, in quos molae conductori ex aestumatione competit ius cogendi, vt mola sua vtantur, huic obligationi non amplius sunt subiecti, aut si durante locatione conductione ab ea sunt liberati; conductor aequam mercedis s. pensionis remissionem potest petere.

§. 541. Idem obtinet, si molentium, quorum in locando conducendo ratio est habita, numerus cala-

Source : BIU Cujas

militatibus regionis, aut casibus aduersis aliis, ita est deminutus, vt molendinum, ob rerum molendarum defectum, plus diebus quatuordecim in anno vno quiescere debuerit.

§. 542. Si molentes non obligati, quorum in locando conducendo ratio non est habita, ad molendinum non veniunt, conductor in regula ex ea causa remissionem petere nequit.

§. 543. At vero, si ex causis §. 541. expositis, aut ob molam nouam, durante locatione conductione, in locis (regione) iisdem exstructam, cuius exstructionem conductor impedire non potuit, aut noluit, molentium non obligatorum numerus absque conductoris culpa ita est deminutus, vt molendinum conductum ob rerum molendarum defectum plus diebus quatuordecim in anno vno quiescere debuerit; conductor remissionem iure potest exigere, pro ratione temporis longioris, quo molendino vti non potuit.

§. 544. In iis casibus, vbi remissionis exactio eo fundatur, quod locator conductori praestare non potuit emolumenta, aestumationi conuenientia, locator resarcire quoque debet ea, quae requiruntur ad sustentandum opus et operarios ad molendum necessarios; et operarios quidem, vsque ad tempus renuntiationis solitum.

§. 545. Si molendinum ob res communes publicas prorsus debet quiescere, conductori acquiescendum est ea, quam princeps praestat, restitutione.

§. 546. Si princeps damnum plane non reparat, praecepta obtinent §. 534.

§. 547. Si molitori praeter molendinum ipsum, aliae quoque rubricae agrorum, pratorum etc., pro vna eademque mercede simul sunt locatae; huic remissionem ob molendini quietem petenti deducuntur, proportione totius mercedis, de quanto remittendo emolumenta et fructus, ex rubricis his aliis percepti.

Source : BIU Cujas

§. 548. Si poteſt praeuideri, molendini quietem, caſu exortam, plus ſex menſibus eſſe duraturam; et locatori et conductori ius competit, a contractu recedendi.

§. 549. Si plurium molae rotarum, frumento conterendo inſeruientium (*Mahlgängen*), pars tantum ſiſti debuit; molitor mercedis remiſſionem eatenus tantum poteſt petere, quatenus mercedem reliquis rotis aſſequi non potuit.

§. 550. Hinc in eo caſu reddenda eſt adminiſtrationis ratio ſecundum principia generalia §. 478. ſeqq.

§. 551. In caſibus omnibus, vbi molendini quies ex eo eſt ſecuta, quod locator vſum, conductionis aeſtumationi conuenientem, praeſtare non potuit; aut quod culpa ſua lata aut leui cauſam praebuit caſui, ob quem molae fuit quieſcendum; conductor praeter remiſſionem exigere adhuc poteſt reparationem lucri ceſſantis certi.

§. 552. Si vero molendinum ob inſtituenda et exſtruenda (*Anlagen*), in praedio locatoris neceſſaria, per aliquot tempus debuit ſiſti; molitor remiſſione §. 534. ſeqq. definita debet acquieſcere.

§. 553. Si in locationis contractu in caſum belli, durante locatione conductione exorti, nihil eſt conuentum; bello exorto et locatori et conductori contractum renuntiare liceat. *g*) Ob damna bellica.

§. 554. Quod tamen renuntiandi ius locum tantum habet, ſi exercitus omnis, non eius vna pars vel altera ſeparata, inſtantis belli cauſa mouetur.

§. 555. Partem hoc iure vſuram, ſub huius iuris iactura, voluntatem ſuam denuntiare oportet alteri, intra hebdomadas ſex ab eo die, quo frumenta exhibenda, aut vecturae, aut alia onera praeſtanda ſunt imperata.

§. 556. Qua denuntiatione facta, partes operam dent, vt ante omnia conueniant de principiis, ſe-

Source : BIU Cujas

cundum quae reſarcienda ſint damna, ex bello forſan oriunda; et iſta principia definiant quam accuratiſſime.

§. 557. Si conuenire nequeunt, pars renuntians in eo poteſt ſtare, vt finiatur contractus locationis conductionis, elapſo anno oeconomico, quo facta eſt renuntiatio.

§. 558. Si facta eſt renuntiatio in anni oeconomici trimeſtri vltimo; per annum oeconomicum ſubſequentem locatio conductio adhuc eſt continuanda.

§. 559. In caſibus omnibus, vbi locatio conductio eſt continuata, de reparatione damnorum bellicorum, niſi extent conuentiones ſingulares ſufficientes, valent praecepta legalia ſequentia:

§. 560. Damna ſubſtantiae praedii et inuentarii illata omnia, et tributa et onera omnia, belli occaſione ſubſtantiae impoſita, locator ſentit; et pecunia ad ea ſuppeditata eſt conductori reſtituenda.

§. 561. Damna fructibus illata, et onera et tributa de his praeſtanda, fert conductor; et eorum reſtitutionem petere tantum poteſt in caſibus lege definitis.

§. 562. Tributa, ſub incendii comminatione ab hoſtibus impoſita (*Brandſchatzungen*) et contributiones, in regula fert locator, dominus; quatenus contributiones non expreſſe perſonis ſunt impoſitae.

§. 563. Fructus naturales, qui hoſti fuerunt exhibendi, conductori reſtituendi ſunt ſecundum conductionis aeſtumationem.

§. 564. Deficiente conductionis aeſtumatione, fundamenti loco ponitur taxa cameralis, et vbi neque ea extat, taxa communis prouincialis.

§. 565. Si vero conductorem exhibere oportuit copiam maiorem, quam ex ſuo prouentu, deductis iis, quae ad oeconomiam ſunt neceſſaria, praeſtare poterat; locator obligatur, vt conductori ad emtionis pretium reſarciat eam, quae prouentum excedit, copiam.

Source : BIU Cujas

§. 566. Si farina et fructus naturales alii, iam facti, fuerunt exhibendi, hi tantum aeſtimantur ſecundum pretium granorum (ſecalis) etc.

§. 567. Si foenum, ſtramina, et naturalia alia, non venditionis ſed oeconomiae tantum cauſa aeſtumata, fuerunt exhibenda; reſtitutionem ſeparatam conductor non poteſt exigere.

§. 568. Si frumenta et tributa copiis ſui principis aut eius ſociis fuerunt praeſtanda; conductor reſtitutione, a principe praeſtita, debet acquieſcere.

§. 569. Quam ſi princeps non concedit, eadem, quae de frumentis hoſti exhibendis, valent principia.

§. 570. Quae principis reſtitutio, ſi anno oeconomico finito nondum fuerit ſubſecuta; conductor de eius ſumma mercedis dilationem poteſt exigere.

§. 571. De pabulationibus in agris, horreis aut granariis, conductori ius remiſſionem exigendi eatenus tantum competit, quatenus eam ex principiis §. 502-507 et 519-522. iure poſſet petere propter damnum, annonae ſterilitate aut incendio frugibus illatum.

§. 572. Si milites plus tribus diebus ſunt collocati, conductor poteſt petere reſtitutionem dimidii expenſarum, in earum ſuſtentationem et victum factarum. (metatorum.)

§. 573. Vecturarum, ad belli et tranſportationis neceſſitatem praeſtitarum, conductor remiſſionem ſeparatam eatenus tantum poteſt petere, quatenus ad eas praeſtandas, et ad oeconomiam nihilo minus ſimul rite continuandam, facere debuit expenſas infolitas.

§. 574. Id quod in primis obtinet, ſi conductor, ad omnium aut plurium aliorum eiusdem regionis oeconomorum exemplum, vecturas ipſi imperatas aliis pro pecunia locauit.

§. 575. In quibus caſibus locatori de mercede deducuntur impenſae extraordinariae, more oecono-

Source : BIU Cujas

mico factae, aut ſumma, quae vecturas praeſtandas ſuſcipienti fuit re vera ſoluenda.

§. 576. Iumenta in eiusmodi vecturis praeſtandis amiſſa aut facta plane inutilia, et pecora, ab amicis aut hoſtibus abacta omnia, conductori aeque ſunt reſtituenda, ac ſi lue aut alio caſu aduerſo periiſſent. (§. 454. ſeqq.)

§. 577. Omnia alia, quae conductor vtiliter impendit ad auertenda damna hoſtilia a praedio eiusque inuentario, ipſi a locatore ſunt reſtituenda, licet finem non fuiſſet conſecutus.

§. 578. Si, quae impenſa ſunt, non ſolum in ſubſtantiae aut inuentarii vtilitatem, ſed ſimul etiam in ſecuritatem fructuum et emolumentorum, aut conductoris ipſius, eius familiae, aut propriorum bonorum ſunt impenſa; pars vtraque fert partem eorum dimidiam.

§. 579. Sumtus executionis hoſtilis, ob tributa et praeſtationes, ſecundum determinationes antecedentes a locatore praeſtandas, factae fert locator; niſi clare appareat, conductorem executionis culpa ſua lata cauſam praebuiſſe.

§. 580. Quae conductori rerum ſuarum et effectorum, depraedatione, aut alio modo, belli tempore eripiuntur, eorum damnum ſolus ſentit.

§. 581. Sic etiam omnes fert ſumtus, quos erogat ad auertendas laeſiones hoſtiles a perſona ſua, familia ſua, aut rebus et effectis ſuis ſolis.

§. 582. Si praedii ſubditi bello in eum redacti ſunt ſtatum, vt cenſus et tributa (*Abgaben*) praeſtare non poſſint; praeceptum §. 495. valet.

§. 583. Pro operis, eam ob cauſam non praeſtitis, conductor eatenus remiſſionem poteſt petere, quatenus iſtae in conducendo pecunia ſunt aeſtimatae.

§. 584. Si conductor, operis in conducendo non aeſtumatis, ob operas praeſtandas non praeſtitas, famu-

Source : BIU Cujas

los et iuga, ſolitis plures, ad oeconomiam continuandam alere debuit; impenſarum harum extraordinariarum ſatisfactionem poteſt exigere.

§. 585. In caſibus omnibus, vbi conductor damni reparatione, ſecundum §. 563. 564. 571. 573. 574. 575. 584. ipſi competente, non vult acquieſcere, aut ob belli damna, ſecundum §. 567. ab ipſo ſolo ferenda, remiſſionem vult exigere, exhibere eum oportet ſecundum praeceptum §. 487. ſeqq. plenam adminiſtrationis rationem totius anni, quo belli damna ſunt illata.

§. 586. In qua ratione in accepta referendae ſunt damni reparationes omnes, conductori iam praeſtitae, aut ab aliis praeter locatorem adhuc praeſtandae.

§. 587. Si conductor iſta via ob belli damna, quae eſt paſſus, remiſſionem in genere petit; non poteſt poſcere ſingularum belli damnorum ſpecierum reparationem, ipſi ex legibus alias competentem.

§. 588. Quin potius tunc acquieſcere eum oportet remiſſione de tota mercede, ſecundum §. 486. ei competente.

§. 589. At contra, et in hoc caſu ſeparatim ipſi ſatisfaciendum eſt de expenſis vicariis, ſecundum §. 562. 572. 577-579. pro locatore ſuppeditatis.

§. 590. Caeterum et hic obſeruandum eſt praeceptum §. 480. 482. de remiſſionis caſu locatori aut iudicio denuntiando.

§. 591. Ad caſus, vbi denuntiatio iudicio fieri debeat, hic quoque refertur, ſi ob belli motus communicatio inter conductorem et locatorem impeditur, aut non ſatis eſt tuta.

§. 592. Si in caſu §phi 565. conductor frumentorum, hoſtibus exhibitorum, reſtitutionem ſecundum emtionis pretium petit; locator poteſt exigere, vt plena adminiſtrationis ratio ſecundum §phum 487. ſeqq. exhibeatur.

Source : BIU Cujas

§, 593. Quo facto ceſſant etiam anni huius oeconomici remiſſiones ſeparatae reliquae omnes, et ratio abſoluta ſola decidit, an conductori ſatisfactio, et quanta competat.

§. 594. Caſuum aduerſorum omnium ſuſceptio, in contractu in genere facta, extendi non poteſt ad belli damna; neque ſuſceptio belli damnorum, verbis generalibus tantum facta, ad ea damna, quae ad ſolam ſubſtantiam pertinent. (§. 562. 563. 576. 577.)

§. 595. In quantum conductor, ob reſtitutiones et remiſſiones, in genere ipſi ſecundum §. 478. ſqq. competentes, de conductionis mercedis terminis, quorum dies venit, deducere aliquid iure poſſit, ex regulis de compenſationibus eſt diiudicandum.

§. 596. Qua ratione agendum ſit in cognoſcendis et eruendis remiſſionibus, et in definiendo iure conductoris, eas de conductionis mercede, cuius dies venit, deducendi, in ordine iudiciario eſt praeſcriptum.

De rei locatae reſtitutione, finita locatione conductione.

§. 597. Finita locatione conductor obligatur, vt praedium cum pertinentiis reſtituat ſecundum aeſtumationem et inuentarium eadem, ſecundum quae ipſi praedium fuit traditum.

§. 598. Idem locum habet, ſi contractus ante locationis conductionis tempus finitum eſt diſſoluendus, aut conductor conductione nondum finita expellendus.

§. 599. Si conductor, currente anno oeconomico, conductione expellendus eſt; hic nihilo minus eſt obligatus, ad mercedem anni totius ſoluendam; at praedium, vſque ad anni oeconomici finem eius nomine adminiſtratur.

§. 600. Si locator et conductor de adminiſtrandi modo non ſtatim conuenire poſſunt; hic in iudicio eſt ordinandus.

§. 601. Si inuentarium ſecundum taxam eſt traditum, in re reſtituenda nihilo minus attendendum

Source : BIU Cujas

eſt, intuitu ſpeciei cuiusque rerum ad inuentarium pertinentium, ad numerum earum, et in definiendis tantum reſtitutionibus, ab vna parte vel altera praeſtandis, ad pretium omnium eiusdem ſpeciei rerum, ad inuentarium pertinentium.

§. 602. Locator itaque non obligatur, vt numerum maiorem rerum cuiusque ſpeciei ad inuentarium pertinentium recipiat, aut pro minori numero reſtituto, imputatione pretii rerum maioris acquieſcat.

§. 603. Straminis, lignorum ad comburendum, arborum ad aedificandum aptarum, lignorum vtilium aliarumque rudium oeconomiae copiarum, ex praedio ipſo ſumtarum, ſed ad conductionis aeſtumationis rubricas non pertinentium, et ſtercoris ex praedio ipſo percepti copiae conductor ſatisfactionem petere nullam poteſt.

§. 604. At vero, reſtituenda conductori eſt pecunia numerata, quae fuit copiis his praeparandis impendenda.

§. 605. Si inuentarium conductori ſine taxatione eſt traditum; locator contentus eſſe debet ſolo numero rerum, ad inuentarium pertinentium, quatenus adhuc ſunt idoneae.

§. 606. At conductori in hoc caſu, vti in aliis omnibus, non licet, rebus nondum reſtitutis, a praedio remouere res, ad inuentarium pertinentes, ſub praetextu, eas ad ſuperinuentarium pertinere.

§. 607. Quin potius, ſi extant res rebus ad inuentarium pertinentibus plures, electionem locatori concedat neceſſe eſt.

§. 608. Qui tamen ius tantum habet eligendi cuiusque ſpeciei (rubricae) res eas, quae optimis ſunt proximae.

§. 609. Si in caſu §. 605. iuſtus rerum numerus non extat; res, quae deſunt, in natura ſunt ſupplendae.

§. 610. Si conductor ſementem (exſeminationem) ſecundum agrorum menſuram reſtituit ea, quae in

Source : BIU Cujas

adeunda conductione ipsi fuit tradita, maiorem; satisfactionem potest petere non solum feminis pro pretio forensi, sationis tempore in vrbe proxima constituto, sed etiam mercedis, pro agricultura ex more prouinciae vsitato soluendae.

§. 611. Eandem autem satisfactionem locatori quoque praestare debet, si sementem restituit accepta minorem.

§. 612. Eodem modo ratio (proportio) stercorationis, et arationis in traditione et restitutione inter se est eruenda, a rei peritis aestumanda, et satisfactio praestanda.

§. 613. Conductor tamen maioris agri culturae (§. 610-612.) satisfactionem eatenus tantum potest petere, quatenus ea ex rei peritorum sententia oeconomiae iuste administratae principiis est conueniens.

§. 614. Si in tradendo praedio intuitu sementis, stercorationis et arationis consignatio nulla est confecta; conductorem oportet ex solita agri colendi ratione cultos restituere agros eos, qui secundum introductam agrorum diuisionem colendi fuerunt anno, post locationem conductionem finitam.

§. 615. Quam agrorum culturam si conductor neglexit; semina, et agri colendi mercedem, secundum determinationem §. 510., debet restituere.

§. 616. At conductor ipse de meliori, quam praetendit, agri cultura exigere satisfactionem nullam potest.

§. 617. Si locator satisfactione, de agricultura vitiosa aut mala ipsi competente (§. 610-615.), contentus esse nolit; ipsi licet, illi renuntiando, satisfactionem petere fructuum deminutionis, ex culpa conductoris commissa in messi proxima oriundae.

§. 618. Quam tamen satisfactionem tunc tantum potest petere, si vitium in agris colendis admissum, restitutionis tempore emendari non amplius potest, ne conductoris quidem sumtibus.

§. 619.

Source : BIU Cujas

§. 619. Locator quoque, qui hoc ius, eam satisfactionem petendi, sibi reseruare cupit, statim in re restituenda se declarare debet, et petere, vt iudicialiter accurate cognoscatur status et ratio culturae agrorum, quorum frugum deminutionem metuit.

§. 620. Messe peracta agrorum istorum prouentus comparandus est cum prouentu, qui anno eodem, pro tempestatis et reliquarum circumstantiarum qualitate, agricultura rite et iuste facta, percipi potuisset; et ea ratione definienda est ex rei peritorum iuratorum arbitrio damni reparatio, locatori competens.

§. 621. Si culpa conductoris (§. 259.) migrantis in eo consistit, quod agros, ab eo colendos, non omnes rite coluit; indemnitas locatori praestanda sic est definienda, vt adhibitis rei peritis eruatur, quam frugum quantitatem, in eodem anno, eiusdem qualitatis et magnitudinis ager, et eiusdem situs et regionis tulerit.

§. 622. Si conductor, conductione finita, poscere adhuc potest a praedii incolis census aut alia tributa nondum solutos; locator obligatur, vt ei iuris auxilium ad eos exigendos ferat.

§. 623. Si praedii conductor in rubricis ipsi locatis se animaduertere putat defectus, quorum euictionis praestationem potest petere; eius est, locatori hos defectus denuntiare adhuc ante elapsum annum, quo isti defectus apparuerunt.

§. 624. Deinde ab eo dependet, an ad reparationem ipsi competentem consequendam statim, aut post tempus aliquod velit agere; vti a locatore dependet, an conductorem ad hanc actionem instituendam iudicialiter velit prouocare.

§. 625. At si conductor denuntiationem istorum defectuum vsque ad tempus restitutionis distulit; eius denuntiatio in re restituenda non amplius audiatur.

Source : BIU Cujas

Sectio Quarta.

De praediis et fundis in culturam conceſſis.

§. 626. Si in poſterum praedia et fundi neque in locationem ad tempus, neque perpetuam, ſed in vſum tantum et culturam debent concedi, domino commodis et emolumentis certis reſeruatis; ad hoc quoque negotium pactum requiritur ſcriptum.

§. 627. Si pactum non fuerit in ſcriptis celebratum; pactum ore initum, licet traditione perfectum, non niſi per annum valet.

§. 628. Si eiusmodi praedia et fundi temporibus praeteritis ſine pacto ſcripto vllo in culturam et vſum ſunt conceſſi; aut ſi in pacto ſcripto non ſunt determinationes propiores iurium et officiorum mutuorum; haec ex ſpecialibus prouinciae cuiusque conſtitutionibus ſunt diiudicanda.

§. 629. In regula poſſeſſor de fundo ipſo, ſine expreſſo domini directi conſenſu, neque inter viuos, neque mortis cauſa valide poteſt diſponere.

§. 630. Quin potius illi acquieſcendum eſt ſolitis fundi fructibus, quales conductori temporario competerent.

§. 631. Remiſſionem de iis, quae pro fundi fructibus percipiendis pendenda ſunt, petere tantum poteſt ſub iisdem circumſtantiis, quibus conductor perpetuus. (§. 207-211.)

§. 632. Obligatus eſt, vt fundo inſtar boni patrisfamilias vtatur, et eum ſartum tectumque conſeruet.

§. 633. Contra quam obligationem ſi agit, aut ſi in praeſtandis cenſibus et operis ſuſceptis obſtinatum ſe praebet, iure ſuo in fundo priuatur.

§. 634. In caſu dubio ſtatuendum eſt, eiusmodi fundos ad poſſeſſoris heredes (ſucceſſores) lineae de-

Source : BIU Cujas

ſcendentis, ſine diſcrimine ſexus debere tranſire; et his deficientibus, ad vxorem ſuperſtitem.

§. 635. Ex heredibus pluribus, iure aequali ad ſuccedendum in poſſeſſione vocatis, dominus directus eligere poteſt eum, quem omnium maxime idoneum iudicat, qui praedio poſſit praeeſſe.

§. 636. Si poſſeſſor defunctus diſpoſuit, cui liberorum ſuorum praedium conferatur; liberis reliquis, ſi dominus directus ſuſcipienti denominato opponere nihil poteſt, paterna voluntate declarata eſt acquieſcendum.

§. 637. Si praedii adminiſtratio nondum concedi poteſt heredum legitimorum vlli ob eorum aetatem minorem; domino directo ius competit, eius poſſeſſionem et fructuum perceptionem in alium conferendi, vſque donec heredum aliquis aetatem attigit, ad praedium ſuſcipiendum requiſitam.

§. 638. Si mater exiſtit heredum minorum, quae, noui mariti auxilio, aut alio modo praedio rite praeeſſe poteſt; ea praedii poſſeſſionem per tempus interiectum (interimiſticam) in primis poteſt petere.

§. 639. In caſibus omnibus heredibus minoribus, dum ipſi ſe alere nequeunt, aliis bonis deficientibus, ex praedio aſſignandus eſt victus neceſſarius.

§. 640. Eiusmodi heredes, quibus ex praedio alimenta ſuppeditantur, temporis interiecti poſſeſſori extraneo debent, dum ex praedio aluntur, officia alumnorum (*Pflegekinder*). (Part. II. Tit. II. Sect. XII.)

§. 641. Cum praedio ſimul ad quemlibet heredem et poſſeſſorem tranſit pecudum, agrorum et oeconomiae inuentarium originarie definitum.

§. 642. Si poſſeſſor vltimus nullos relinquit heredes, quibus ius ſuccedendi in praedii poſſeſſione

Source : BIU Cujas

competit, aut si hi omnes ex aliis causis e. g. ob defectum aetatis legitimae, praedio praeesse non possunt, praedium ad dominum directum redit.

§. 643. Idem obtinet, si heredibus quidem existentibus, sed adhuc minorennibus, inueniri nemo potest, qui praedium per tempus interiectum suscipiat, secundum praeceptum §. 637.

§. 644. Atque etiam, si possessor ipse praedio amplius rite praeesse nequit, neque descendentes existunt, qui suscipere praedium possent.

§. 645. Si descendentibus existentibus nil nisi defectus aetatis legitimae obstat; domino directo ius est, possessorem interimisticum secundum praeceptum §. 637. constituendi.

§. 646. At vero tunc possessori pristino ex praedio assignandus est victus necessarius, si ob senectutem aut aliam ob causam sine culpa sua in eum statum venit, vt praedio praeesse non amplius possit.

§. 647. In casibus omnibus, vbi praedium ad dominum directum prorsus redit (§. 633. 642. 644.) hic possessori decedenti, aut eius heredibus aliis resarcire debet meliorationes factas, quas probare possunt, omnes.

§. 648. Possessor, qui domini directi subditus non est, praedium, cui amplius praeesse non audet, domino directo potest restituere.

§. 649. At vero vsque ad anni oeconomici finem eum oportet expectare, et praedium prorsus in eo, quo accepit, statu restituere.

§. 650. Quae intuitu eiusmodi fundi possessorum, qui domini directi simul sunt subditi, obtineant, in titulo septimo partis secundae sunt praescripta.

Source : BIU Cujas

TITVLVS VICESIMVS SECVNDVS.

De fundorum ſeruitutibus.

§. 1. Reſtrictionibus dominii legalibus fundi poſſeſſor omnis ſubmittere ſe obligatur. (Tit. VIII. §. 23. ſeqq.) Limitationes ſ. reſtrictiones dominii legales,

§. 2. Limitationum (reſtrictionum) et onerum legalium fundi poſſeſſor nullus petere poteſt indemnitatem, quae ipſi in legibus non expreſſe eſt reſeruata. et aliae,

§. 3. Fundi poſſeſſori cuique placere debent eae quoque dominii reſtrictiones, ſine quibus alterius fundi poſſeſſor ex fundo ſuo in totum aut ex parte nullam eſſet percepturus vtilitatem. neceſſariae

§. 4. Si in alterius fundo ſeruitutis onus neceſſario eſt conſtituendum, vt poſſit vtilitas ex fundo alio percipi, dominus fundi ſeruitute onerati, aequam ſatisfactionem poteſt petere.

§. 5. In qua ſatisfactione determinanda reſpiciendum eſt ad damnum, quod fundus oneratus reſtrictione neceſſaria patitur.

§. 6. Si, quorum intereſt, de ea conuenire nequeunt; ea definienda eſt in praeſtationem annuam, fundo ſeruienti a dominante praeſtandam.

Source : BIU Cujas

§. 7. Quam praeſtationem ipſam determinant arbitri, quorum vnum pars vtraque deſignat, et iudex ſuperarbitrum (*Obmann*) denominat.

§. 8. Mutationibus arbitrariis in forma, fine primario, aut fundi ſui vtendi modo, nemo alterum ad eiusmodi reſtrictiones poteſt obligare.

§. 9. At vero conceſſiones ſeruitutis, in alterius fundi vtilitatem conſtituendae, quae ad fundi alterius meliorationes haud mediocres ſunt neceſſariae, eatenus non debent denegari, quatenus dominus iis non turbatur in rei ſuae vſu libero huc vſque ſolito, neque impeditur, quo minus rem ſuam augeat meliorationibus, quas facere (tentare) in ea poſſet.

§. 10. Et onera (ſeruitutes) huius generis (§. 3-9.) et ſatisfactio ſecundum §. 4-6. praeſtanda, tamdiu tantum durant, quamdiu exiſtit fundi, in cuius vtilitatem ſeruitus eſt conſtituta, indigentia.

Seruitutes. §. 11. Exceptis caſibus, in §§. 1. 3. 9. antecedentibus definitis, fundi dominus in libero dominii vſu ab eo tantum poteſt reſtringi, cui eſt ius eum reſtringendi ſpeciale quaeſitum.

§. 12. Quod ius ſi fundo vni competit in alterum, vocatur ſeruitus.

Modus ſeruitutes acquirendi. §. 13. Seruitutes voluntatis declarationibus iuſtis et legitimis poſſunt concedi, et per praeſcriptionem acquiri.

§. 14. In quo vltimo ſeruitutes acquirendi modo in primis probari debet, fundi dominantis poſſeſſorem ſeruitutem litigioſam tanquam ius verum, non precario occupaſſe, atque ea per tempus, quod leges praeſcriptionibus praefixerunt, non interruptum, fuiſſe vſum. (Tit. VII. §. 81-85. §. 93-95. §. 127. §. 96-108. Tit. IX. §. 589. 590. 596. ſeqq.)

§. 15. Si ad exercendum ius, quod quis ſibi competere aſſerit, noui quid in fundo ſeruiente eſt inſti-

Source : BIU Cujas

tutum; valet praeſumtio, ei, cui ius eſt conceſſum, veram ſeruitutem concedi debuiſſe.

§. 16. Seruitutes, quarum exiſtentia a quolibet poteſt cognoſci inſtituto quodam permanente, quod ad eas exercendas in re ſeruiente exiſtit, relatione in librum hypothecarium non indigent; et ſine ea transeunt ad quemcunque rei ſeruientis poſſeſſorem.

§. 17. Idem obtinet de ſeruitutibus aliis, quibus fructuum prouentus fundi ſeruientis non deminuitur.

§. 18. At contra, ſeruitutes, quae fructuum prouentum praedii ſeruientis deminuunt, neque tamen ſignificantur ſignis aut inſtitutis, in oculos incurrentibus, is, cui ius eſt, in librum hypothecarium fundi ſeruientis referendas curet, neceſſe eſt.

§. 19. Id quod inprimis valet de paſcendi et lignandi ſeruitute.

§. 20. Non tamen obſtat intabulatio omiſſa ei, cui ius eſt, in exercendo ſuo iure contra eum, in quem ius acquiſiuit, et contra eius heredes (ſucceſſores), dum fundum ſeruientem poſſident.

§. 21. Atque etiam intra duorum annorum ſpatium inde a die, quo fundi ſeruientis alienatio poſſeſſori tertio facta in librum hypothecarium eſt relata, is, cui ius competit, ius ſuum contra poſſeſſorem poteſt perſequi, eiusque intabulationem quaerere.

§. 22. Quo termino autem quoque praeterlapſo ea ſeruitus (§. 18.) quae neque eſt intabulata, neque a poſſeſſore nouo expreſſe ſuſcepta, contra hunc non amplius poteſt exerceri.

§. 23. Quomodo fundi dominantis dominus, cui de ſeruitute, quam ſibi competere aſſerit, lis mouetur, et qui adeo ante cauſam deciſam intabulationem impetrare nequit, proſpicere ſibi debeat contra termini lapſum proteſtatione intabulanda, in ordinatione hypothecaria eſt definitum.

Source : BIU Cujas

§. 24. Biennio a publicatione huius legum codicis praeterlapso eiusmodi seruitus (§. 18.) per praescriptionem non amplius aliter potest acquiri, nisi ea praescriptio contra eundem fundi seruientis possessorem inchoata fuerit et absoluta.

Seruitutum species.

§. 25. Ex diuersis speciebus, rationibus et relationibus, quibus fundi possessor in exercendis iuribus domino competentibus potest restringi, diuersae seruitutum species oriuntur.

Ambitus et limitationes seruitutum generatim.

§. 26. Quidquid de iuribus in rebus alienis in genere est praeceptum, in regula quoque obtinet in seruitutibus. (Tit. XIX.)

§. 27. Seruitutum, ex pactis aut vltima voluntate oriundarum, obiectum et limites definiuntur pacti aut dispositionis sententia.

§. 28. Seruitutes per praescriptionem acquisitae non extenduntur *vltra possessionis limites*, qui obtinuerunt currente praescriptionis tempore.

§. 29. Seruitus, quae sine fundi dominantis domini praeiudicio in determinata fundi seruientis parte potest exerceri, petente fundi seruientis domino ad eam partem est restringenda.

Officia possessoris fundi seruientis, s. seruituti onerati, in primis quoad conseruationem et

§. 30. Fundi seruientis possessor non praesumitur obligatus, vt faciendo praestet auxilium, in seruitute exercenda, praedii dominantis possessori.

§. 31. At nihil tamen fundi seruientis possessori in fundo suo licet facere (tentare), quo possit impediri alius, quo minus seruitutem exerceat, aut irrita possit fieri seruitus.

§. 32. Neque minus concedere eum oportet fundi dominantis possessori, vt ea instituat et reficiat, sine quibus exerceri seruitus nequit.

§. 33. At vero fundi dominantis possessor tempus et modum instituendorum et refectionum eos debet eligere, qui sine sui proprii iuris laesione fundo seruienti quam minimo sunt praeiudicio.

Source : BIU Cujas

§. 34. Quin etiam ea, quae inſtituenda aut reficienda ſibi propoſuit, obligato tempore iuſto ita debet denuntiare, vt hic proſpicere poſſit iis, quae ſunt neceſſaria ad auertendum damnum, ea occaſione rei ſuae metuendum.

§. 35. Si ſeruitus a fundi dominantis poſſeſſore pacto oneroſo eſt acquiſita; fundi ſeruientis poſſeſſor obligatur, vt fundum ſuum ſumtibus propriis in eo conſeruet ſtatu, quo fundi dominantis poſſeſſor ſeruitutem in eo poſſit exercere.

§. 36. At vero et praeter hunc caſum obligatus ad conſeruandam rem ſeruientem in eo ſtatu proportione aequa debet conferre, ſi ea re eodem, quo fundi dominantis dominus, modo vtitur, eaque vult in poſterum vti.

§. 37. In iis quoque caſibus, quibus rei conſeruandae onus, obligato incumbit (§. 35.), hic tamen non obligatur, vt eam ſuis ſumtibus reficiat, ſi res caſu mero aut vi ſuperiori ita fuerit mutata, vt ſeruitus in ea exerceri non amplius poſſit. refectionem rei ſeruientis.

§. 38. Quam tamen refectionem ei, cui ſeruitus competit, ſecundum §. 32. debet concedere, et ſi re eodem modo in poſterum ſimul vti cupit, ad refectionis impenſas ſecundum §. 36. conferre.

§. 39. Si rei ſeruientis dominus refectionem curare non poteſt, aut non obligatur, et ſi neque fundi dominantis dominus refectionem poteſt efficere; rei ſeruientis dominus reſtituat neceſſe eſt, quae pro iure conceſſo accepit.

§. 40. Si pro ſeruitute conceſſa quid per auerſionem fuerit datum; omnis accepti ſumma reſtituatur.

§. 41. Si cenſus aut praeſtationes perpetuae aliae ſunt pactae; iſtae deinde ceſſant.

§. 42. Si poſtea ceſſat rei mutatio, caſu aut vi ſuperiori exorta, qua ſeruitutis exercitium fuit impeditum; ſeruitus reuiuiſcit, vti ſatisfactio, a fundi dominantis domino ſuſcepta.

Source : BIU Cujas

Quo modo ſeruitutes ceſſent.

§. 43. Praeter modos generales, quibus iura poſſunt extingui, ſeruitutes extinguuntur conſenſu tacito, ſi fundi dominantis dominus in fundo ſeruiente ſciens ea patitur parari et inſtitui, quibus ipſum ſeruitutis exercitium ſimpliciter fit impoſſibile.

§. 44. Quo detrimento tamen poſt demum apparente, is, cui ſeruitus competit, prouocare poteſt, intra praeſcriptionis tempus, ad mutationem rebus circumſtantibus conuenientem.

§. 45. Quatenus ex eo, quod fundi dominantis dominus in re ſeruiente ſciens talia inſtitui paſſus eſt, quae ſeruitutis exercitium impediunt aut difficilius reddunt, ſequatur tacitus eius conſenſus in eam iuris ſui reſtrictionem, ex principiis antecedentibus (§. 43. 44.) eſt diiudicandum.

§. 46. Seruitutes tolli poſſunt, ſundi dominantis domino indemnitate praeſtita, ſi ob ea, quae ſtatus in ſalutem communem inſtituenda diſpoſuit, ſeruitutem tollere neceſſe eſt.

§. 47. In quibus caſibus domino reſtrictio dominii ob neceſſitatem fundi alterius debet placere; in iis quoque fundi dominantis poſſeſſor obligatur, vt ſeruitutem, ipſi competentem, reſtringi aut plane tolli patiatur. (§. 3. ſeqq.)

§. 48. Quatenus tollendae ſint ſeruitutes, rei ruſticae (oeconomiae) perniciosae, ad agrorum culturam meliorandam, ſuo loco eſt definitum. (Tit. XVII. §. 350. ſeqq.)

§. 49. Quamdiu ſeruitus in libro hypothecario eſt conſignata, tamdiu praeter caſus §. 44. 45. definitos, praeſcriptione per ſolum non-vſum non poteſt amitti.

§. 50. At contra, ſeruitutes, quarum intabulatio ſecundum §. 16. 17. non eſt neceſſaria, praeſcriptione per non-vſum extinguuntur, ſi non fuerint intabulatae, et in caſu §. 16. ſublatum inſtitutum, ex quo earum exiſtentia apparuit.

Source : BIU Cujas

§. 51. At in casu tamen posteriori praescriptio demum ab eo temporis momento currere incipit, quo cognitum est, institutum non amplius extitisse.

§. 52. Seruitutes, aeque ac alia iura realia, confusione possunt amitti. (Tit. XVI. Sect. X.)

§. 53. Ei itaque, in cuius persona dominium rei dominantis et seruientis (rei iure prouisae et seruitute obligatae) confunditur, ius competit, seruitutes in illa intabulatas delendi, aut tollendi institutum, earum existentiam indicans.

§. 54. Quod vero nisi fuerit factum, seruitus pristina vim et efficaciam suam recuperat, si res seruiens (seruitute onerata) deinde ad possessorem alium (diuersum) transit.

§. 55. Ius aedium nostrarum partem imponendi vicini columnae vel parieti, aut tigni immittendi in parietem vicini, tanquam seruitus separatim est acquirendum. 1) Seruitutes aedium.

§. 56. Quem quidem parietem dominus debet conseruare, aut eius dominium fundi dominantis domino cedere.

§. 57. Si dominus parietis, quo aedes alterius nituntur, parietem reficit, aut de nouo exstruit; aedes per id tempus sumtibus suis fulcire eum oportet.

§. 58. Si vero ex mero casu exorta est aedificandi necessitas, aut si fundi seruientis dominus tantum aedificat in fundi dominantis domini vtilitatem; hic aedes suas ipse tempore interiecto debet fulcire, vsque donec aedificatio potest perfici.

§. 59. Seruitus quoque stillicidii recipiendi, vel aquae in vicini fundum effundendae (*Ausguss*), sic semper instituenda est, vt vicinus quam minimum inde patiatur detrimentum.

§. 60. Si ad aquam deriuandam canalis requiritur, is tectus sit, et cancellis ferreis muniatur necesse est.

Source : BIU Cujas

§. 61. Qui ius habet ſtillicidii immittendi, nihilo minus pati debet, vt vicinus tam prope, quam leges permittunt, aedes ſuas exſtruat, ſi modo ſtruat infra ſtillicidium, et tecto ſuo ſtillicidium recipiat.

§. 62. Seruitus proſpectus liberi complectitur ius ſtruendi feneſtras nouas in pariete, fundi ſeruientis areae aut horto immediate adiacente.

II. Seruitutes viarum, ſemitarum, pecoris actus, tranſitus etc.

§. 63. Semitis tritis in campis non clauſis (apertis) quilibet poteſt incedere.

§. 64. Quarum autem ſemitarum vſum communem ſi dominus foſſis, crucibus, vectibus remiſſariis (*Schlagbäumen*), aut aliis eiusmodi ſignis interdixit; his ſemitis vti is tantum poteſt, cui fauore ſingulari hic vſus eſt conceſſus.

§. 65. Qui ſeruitutem itineris i. e. ius habet, per fundum alienum tranſeundi, huic neque equis ibi commeare, neque vehi, ne curru quidem vniroto, licet.

§. 66. At vero, cui ſeruitus viae i. e. ius eſt, per fundum alienum curribus vehendi, huic quoque licet, per eum equis commeare, curru vniroto vehi, et pecora funibus alligata agere.

§. 67. At vero, ex eo, quod alicui ſeruitus viae competit, nondum ſequitur, eidem ſeruitutem competere pecoris per fundum alienum eundem agendi.

§. 68. Neque ex ſeruitute pecoris agendi ſequitur ius, per fundum eundem curribus vehendi.

§. 69. Ex ſeruitute viae nondum ſequitur immunitas a pecunia viaria (*Dammgeld*), aut pontis portorio, aut aliis pecuniis, ab iter facientibus pendendis.

§. 70. Cui ius competit eundi, equis commeandi, aut vehendi per fundum alienum, accurate viam determinatam ſeruet neceſſe eſt, neque illi ex cauſa vlla diuerticula ſibi quaerere licet.

§. 71. At contra, ſi ius ſuum ad certum determinatum finem non expreſſe fuerit reſtrictum, vti iſta via poteſt ad omnes ſuas neceſſitates ſine diſcrimine, exceptis nouis mutationibus (§. 8).

Source : BIU Cujas

§. 72. Qui seruitutem habet pecoris agendi, sic agat necesse est, ne pecora transgrediendo, aut alio modo damnum dent.

§. 73. Ad sepimenta vero aut impedimenta alia suis sumtibus exstruenda aut conseruanda non obligatur, qui seruitutem dominantem habet

§. 74. Si fundi seruientis (onerati) dominus eiusmodi impedimenta, eo vsque ab eo seruata, interire patitur; fundi dominantis domino contradicendi ius non competit, et nihilo minus obligatur ad obseruanda, quae §. 72. ipsi sunt praescripta.

§. 75. Si tamen via ad pecora agenda concessa non est iustae latitudinis (§. 79.), atque adeo a fundi seruientis possessore, ne pecora transgredi possint, impedimenta fuerunt posita ac conseruata; fundi seruientis possessori non licet, eorum interitum pati, fundi dominantis possessore inuito.

§. 76. Si cui seruitus transuehendi (*Durchfahrt*) per portam (*Thorweg*) est concessa; porta deinde, sine fundi dominantis possessoris consensu neque coarctari potest, neque deprimi.

§. 77. Latitudo semitarum, viarum, et pecorum agendorum viarum, in primis definitur conuentionibus, quibus seruitus est concessa.

§. 78. Si tales determinationes non sunt pacto expressae, aut in legibus prouincialibus definitae, semitae latitudo definienda est in trium pedum spatium, et in pedes quatuor, si in ea equis commeare, aut curriculo vniroto vehi fundi dominantis possessori licet.

§. 79. Vehae (viae plaustris inseruientis) latitudo octo pedes in porrectum, et duodecim in anfractum desiderat; at contra viae ad pecora agendi latitudo ad duplicem vehae latitudinem definitur.

III. Seruitus pascendi.

§. 80. Qui seruitutem pascendi i. e. ius habet, pecora sua in praedii alieni fundis pascendi, eam ita

Source : BIU Cujas

debet exercere, ne fundi ſeruientis dominus, in rei ſubſtantia damnum ſentiat, neque impediatur, quo minus ratione iſtius regionis conſueta agros colat, iisque vtatur.

§. 81. Alios vtendi modos poſſeſſor fundi ſeruientis eatenus tantum poteſt exercere, quatenus paſtura fundi dominantis neceſſaria iis non deminuitur, aut paſtura deficiens plane refarcitur aſſignando fundo alio, aeque commode ſito.

§. 82. Is, qui ſeruitutem paſcendi in ſilua habet, dominum ſiluae ſeruientis (paſcuis oneratae) impedire non poteſt, quo minus ſiluam in tantum colat, in quantum ad iuſtam ſiluae curam habendam eſt neceſſarium.

§. 83. Ius paſcendi habens obligatur, vt pecora ſua tantum ſub paſcentis cura, in fundum alienum paſcendi cauſa agat; aut alio modo ſufficienter proſpiciat, vt auertatur damnum omne, quod a pecoribus poteſt dari.

§. 84. Quod idem vel tum obſeruandum eſt ab eo, qui paſcendi ius habet, ſi minor pecorum numerus agitur in fundos ſingulos, in quibus ius paſcendi exercetur.

§. 85. Quam obligationem ſi negligit iure paſcendi fruens; omne praeſtat damnum, a pecoribus vel mero caſu datum.

§. 86. De ſeptionibus exſtruendis, conſeruandis, et tollendis etc., praecepta §. 73. 74. obtinent.

§. 87. Pecora impura et lue correpta in fundum alienum ad paſtum agere non licet.

§. 88. Neque obligatus (qui ſeruitutem debet) in paſcuo pati obligatur pecora vnguentis oblinienda (pecora *Schmiervieh* dicta) in locis (regionibus), quibus eiusmodi pecora non aluntur ab omnibus.

Source ; BIU Cujas

§. 89. Nemo vnquam praeſumitur alteri ius paſcendi ſic voluiſſe concedere, vt ſe abdicet iure, pecora ſua in proprio fundo paſcendi.

§. 90. Numero pecudum paſtum agendarum non determinato, ei, qui ius paſcendi habet, in paſcua agere licet tot corpora, quot alere poteſt per hiemem pabulo, ex fundis dominantibus collecto.

§. 91. Hinc illi, qui ius habet paſcendi ad certum pecorum numerum non reſtrictum, in fundo ſeruiente neque pecora aliena, neque propria paſcere licet, quae pabulis ex fundis aliis propriis aut conductis collectis per hiemem poſſet nutrire.

§. 92. Si tamen vniuerſitati perſonarum (*ganzen Gemeine*) ius paſcendi competit; fundi ſeruientis (libero paſtu onerati) poſſeſſor ea quoque membrorum ſingulorum pecora debet admittere, quae per hiemem aluntur ex fundis conductis, ad huius vniuerſitatis agros pertinentibus.

§. 93. Si membrum vniuerſitatis, iure paſcendi gaudens, proprios agros non poſſidet: tot pecudum tantum corpora ad paſcua poteſt agere, quot claſſis ſuae hominibus eodem loco alere more ſolito permittitur.

§. 94. In diiudicando: quem pecorum numerum ius paſcendi habens pabulo proprio per hiemem poſſit alere, atque adeo in fundum ſeruientem ad paſcendum agere, eae tantum decumae ipſi imputantur, quae tempore ſeruitutis conceſſae in praedio dominante iam extiterunt.

§. 95. Decumas ſerius acquiſitas tunc demum ſibi poteſt imputare, ſi eas ſibi acquiſiuit ex praedio alio, in fundo eodem ſeruiente ius paſcendi habente.

§. 96. Si iure paſcendi gaudens non eſt fundi poſſeſſor, ſed pecora tantum ad faciendum quaeſtum ſuum alit; illi ea tantum pecora licet paſcere, quae ad quaeſtum et indigentiam propriam ſunt neceſſaria.

Source : BIU Cujas

§. 97. Pecora ad negotiandum deſtinata in eo fundo paſcere in regula non licet huic ius paſcendi habenti.

§. 98. Licet determinatus ſit numerus pecorum, quae ius paſcendi habenti paſtum agere licet, foetus tamen, dum lacte matris nutritur, a paſtu non poteſt excludi.

§. 99. Si praedio dominanti paſcendi ſeruitus ſine determinatione certi pecorum generis competit; paſcendi ſeruitus complectitur iumenta, boues et oues omnes.

§. 100. Sues et alia pecorum genera eatenus tantum in eiusmodi fundo paſcere licet, quatenus ſeruitus conceſſa ad ea ſimul expreſſe extenditur, aut ea per tempus, a legibus praeſcriptioni praefixum, in fundum ſeruientem paſtum ſunt acta.

§. 101. Si paſcendi *ius habenti paſtio tantum* certi pecorum generis eſt conceſſa; alius generis pecora eatenus tantum ibi poteſt paſcere, quatenus caſu aut vi ſuperiori ad tempus fuit coactus, hoc pecorum genus alius generis loco alere.

§. 102. Si numerus quoque pecorum, quae paſcere licet, fuit determinatus; numerus noui generis ſecundum oeconomiae principia ad numerum priorem aequa conſtituatur proportione, ne fundus ſeruiens magis quam ante oneretur.

§. 103. Si caſu aut vi ſuperiore fundi ſeruientis (paſcuis onerati) qualitas ita mutatur, vt pecorum numero, huc vſque paſcenti, paſtura non amplius ſufficiat; eius, qui paſcendi ius habet, pecorum numerus eadem proportione, qua domini ipſius pecorum numerus, eſt deminuendus.

§. 104. Si pro paſtione pecunia aut naturalia praeſtantur, in hoc caſu ea, quae praeſtantur, aequa proportione ſunt deminuenda.

§. 105.

Source : BIU Cujas

§. 105. At vero, si pecorum numerus ex parte eius, qui pascendi ius habet, est determinatus; deminutionem pecorum numeri necessariam fundi seruientis dominus primus sentit.

§. 106. Qui dominus, si pecorum suorum numerum nouis oeconomiae institutis et rationibus eum in modum auxit, vt pastura pecorum numero, huc vsque pasto, non amplius sufficiat, deminutionem solus ferre tum quoque debet, si pecorum numerus ex parte eius, qui ius pascendi habet, non fuit determinatus.

§. 107. Ius pascendi habenti non licet dominum laedere, intempestiue in agris et pratis pascendo.

§. 108. Pastio tamdiu est intempestiua habenda, quoad ea praedium seruiens laederetur in fructibus et emolumentis percipiendis reliquis.

§. 109. Pastio in pratis tempore, quo prata sunt clausa, (*zu geschlossenen Zeiten*), locum nunquam habet.

§. 110. Quod tempus, quo veris tempore incipiat, et quo terminetur, semel et semper constituendum est ex consuetudine loci cuiusque recepta; et vbi haec non decidit, ex rei peritorum iuratorum arbitrio.

§. 111. Eodem modo definiendum est, quo tempore, foeno aut foeno cordo (*Grummet*) collecto, pastum agi possint pecora in prata, quorum herbae singulis annis semel aut bis secantur.

§. 112. Ad prata rigua, quae calcando franguntur, ne autumno quidem pecora pastum agere licet.

§. 113. A pratis campestribus pascendi ius habens tamdiu debet abstinere, quoad in agros, quos interiacent, pecora agi non licet.

§. 114. Si ad eiusmodi prata etiam in veruacto s. agro otioso (*Brachfelde*) pecora agendi ius non ha-

Source : BIU Cujas

bet, dominus ea debet ſepire, aut alio modo defendere.

§. 115. Fundi ſeruientis dominus non obligatur, vt agri ſui culturam differat in ius paſcendi habentis fauorem.

§. 116. At neque illi licet, veruacto ſuo alio modo quam vſitato vti, in paſtionis deminutionem.

§. 117. Si pactis aut conſuetudine recepta tempus certum eſt definitum, quo paſtio incipiat, et quo ceſſet; hoc tempus eſt obſeruandum.

§. 118. Quae tamen pacta et conſuetudines vim obligandi non habent, quatenus aduerſantur praeceptis, quae de pratis ſunt data §. 109-114.

§. 119. Socius omnis, in vniuerſitate agrorum paſcuis obnoxiorum agros poſſidens, ius habet, certam eorum partem circumſepiendi, ad herbas pabulares aut fructus hortenſes colendos.

§. 120. At circumſepire locum, et ſeptum conſeruare, ſumtibus ſuis debet.

§. 121. Locus circumſepiendus ſic eſt eligendus, ne pecorum actus in reliquos fundos paſcuos inde impediatur, aut reddatur difficilior.

§. 122. At contra ei quoque licet, locum circumſeptum iterum paſtioni aperire, et pro eo circumſepire locum idoneum alium.

§. 123. Quanta definienda ſit pars, quam eorum, quorum intereſt, quisque ex paſcuo communi eo modo circumſepire ſibi poſſit, reſeruatur conſtitutionibus legum prouincialium, et quoad in his nihil eſt praeceptum, rei peritorum iuratorum arbitrio.

§. 124. Quibus quidem in interponendo ſuo arbitrio inprimis ad illud reſpiciendum eſt, vt, ſi eorum, quorum intereſt, quisque eo iure proportione aequa vtatur, nihilominus ſuperſit ſuperficies,

Source : BIU Cujas

quae in annis ordinariis secundum oeconomiae principia pasturam sufficiat.

§. 125. Pascui pars ad pascenda iumenta sepe potest claudi.

§. 126. Quae pascui pars sepe claudi possit, definiendum est ex proportione iumentorum ad gregem totam reliquam, quae iure pasci potest.

§. 127. Simulac iumenta extra locum pascui septum (*Hegeweide*) pascuntur, septum habetur sublatum.

§. 128. Vbi plura pecorum genera ad eundem locum pascuum (*Hütungsrevier*) iure possunt agi, post iumenta et boues demum oues pastum possunt agi.

§. 129. Sues, anseres, aliaeque aues cohortales demum sequuntur oues, nisi ex obseruantia loci his locus, quo pascantur, separatus sit assignatus.

§. 130. Pascendi ius habenti capras ad ea loca agere non licet, quibus metuendum est, ne ligna, arbores, aut dumeta laedant.

§. 131. At vero, si fundi seruientis dominus ligna, arbores, aut dumeta nouiter plantauit; ea contra laesiones metuendas obligatur defendere.

§. 132. Caeterum qui merum pascendi ius habet, neque cannae et arundinis vsum potest petere, neque sibi ius metendi vllo modo arrogare in locis, pascendi seruituti subiectis.

§. 133. Si pluribus in fundo tertii compascuum (pascuum commune) competit; eorum rationes inter se intuitu iuris huius communis definiendae sunt ex tituli decimi septimi sectione prima. De iure compascui.

§. 134. Idem obtinet, si regio pascuis obnoxia et ratione dominii, et pascendi iuris, communis est fundorum plurium possessoribus.

Source : BIU Cujas

§. 135. Si inter poſſeſſores fundorum, qui in cuiusque dominio ſunt excluſis reliquis, finitimorum compaſcuum in his fundis locum habet; hoc compaſcuum in regula ſeruitus habetur mutua, ſeu reciproca.

§. 136. Quae vero compaſcui ſeruitus reciproca ſ. mutua, ſi non iisdem regulis conuenienter et ſemper in eodem fundo, ſed interdum tantum, et in his modo fundis, modo in aliis fuit exercita; compaſcui fundamentum in vicinorum tantum animo amico et liberali praeſumitur poſitum.

§. 137. Quo igitur in caſu **cuique**, cuius intereſt, a compaſcuo licet recedere, prout lubet.

Quibus modis paſcendi ſeruitus tollitur.

§. 138. Sub iisdem circumſtantiis et conditionibus, quibus locum habet ſeparatio fundorum, quorum fructus communiter ſunt percepti, tolli quoque poſſunt, paſcendi et compaſcui ſeruitutes, agrorum culturae noxiae. (Tit. XVII. Sect. IV.)

§. 139. Seruientis fundi domino tantum ius competit petendi, vt ſeruitus paſcendi et compaſcui tollatur.

§. 140. In reciprocis compaſcui ſeruitutibus pars quaelibet vti hoc iure poteſt.

§. 141. Seruitus paſcendi eatenus tantum poteſt tolli, quatenus ſeruitutem paſcendi habens numerum pecorum, quae ad paſcua agere iure poterat, in poſterum poteſt alere, comprehenſa ſimul indemnitate ipſi aſſignanda.

§. 142. In determinanda indemnitate, ius paſcendi habenti aſſignanda, ratio eſt habenda iuris in ſe, quam late pateat, et iuris vtendi modi, eo loco ſoliti.

§. 143. Ad quam igitur determinationem neque negligentia vnius aut alterius eorum, qui poſſeſſores fuerunt, neque eorum diligentia inſolita in vtendo iure quidquam valet.

Source : BIU Cujas

§. 144. Ad ſatisfactionem, quae in pecunia praeſtatur, accipiendam iure paſcendi gaudens nunquam eſt obligatus.

§. 145. Vniuerſitates (communiones) paganae aut fundorum ruſticorum ſingulorum poſſeſſores ius non habent, absque conſenſu domini fundi eiusmodi ſatisfactionem accipiendi.

§. 146. Seruitus ouiariarum, aut ius, oues in campi vniuerſitate paſcendi, in regula habendum eſt ius praedii dominorum praerogatiuum, niſi leges prouinciales aut ſtatuta aliud definiant. IV. Ius ouiariarum.

§. 147. Quod ius in caſu nullo intabulatione in librum hypothecarium indiget.

§. 148. In pagis nouiter exſtructis hoc ius oues paſcendi eatenus tantum locum habet, quatenus fundus et ſolum iam antea eo fuerunt onerati, aut ius illud in conſtituenda colonia noua expreſſe fuit pactum.

§. 149. Non praeſumitur, praedii domino ius competere, oues in pabulum pellendi ex aliis villis, extra agrorum ſ. camporum vniuerſitatem ſitis.

§. 150. At contra praedii domino, qui ſeruitutem oues paſcendi habet illimitatam, praefiniri non poteſt certus ouium numerus, ex proportione earum, quas poteſt proprio pabulo per hiemem alere.

§. 151. At vbi pluribus ſeruitus oues paſcendi in vna eademque agrorum vniuerſitate (*Feldmark*) competit, ibi inter eos numerus ouium, quas appellere licet, definitur ex principio numeri ouium, quas pabulo proprio per hiemem alunt.

§. 152. In iis locis, vbi reliqui quoque pagi incolae ius habent, oues ad paſcua agendi, praedii dominus numerum ouium, quas ipſe ad paſcua agit, eum debet conſtituere, ne ſubditorum ouibus ſubtrahatur paſtura neceſſaria.

Source : BIU Cujas

§. 153. At contra neque pagi incolis licet, numerum augere ouium, quas alere cuique eorum permittunt leges prouinciales, pacta, aut consuetudo loci recepta.

§. 154. A praedii domino dependet, an oues reliquorum pagi incolarum in gregem suum velit recipere.

§. 155. In iis locis, quibus pagi incolarum oues seperatim pascuntur, hae communi grege pascantur necesse est.

§. 156. Si praedii dominus agros rusticos colit; ad mercedem ouium pastoris subditorum proportioni conuenienter conferre debet, licet eius oues omnes proprius pastor pascat.

§. 157. Vbi ius cratium obtinet, (*s. consuetudo, septa in agris erigendi, et oues in ea immittendi ad stercorandos agros*), in regula subditis, quibus ius est oues pascendi, vtilitas ex stercoratione ouium oriunda, pro portione numeri ouium denegari nequit.

§. 158. Communionis separatione in et per se, seruitus oues pascendi nondum tollitur.

§. 159. Si ius pascendi tolli debeat, praedii domino ea indemnitas est assignanda, vt alere in posterum possit numerum ouium, quas per tres annos vltimos re vera ad pascua egit, aut pabulo proprio per hiemem aluit.

§. 160. Vtrum satisfactio determinanda sit ex numero ouium, ad pascua actarum, an per hiemem pabulo proprio alitarum, ab electione praedii domini dependet.

§. 161. In casibus omnibus ad loca, a pagi incolis herbis pabularibus aut fructibus hortensibus culta, oues pascendi causa agere non licet.

Source : BIU Cujas

§. 162. At pagi incolis non licet, eiusmodi cultura excedere agrorum modum, legibus (§. 119. ſeqq.) pactis aut conſuetudine recepta definitum; nec impedire praedii dominum, quo minus liberum ius oues in pabulum pellendi (*Vortrieb*) exerceat.

§. 163. Agri huius generis, diſcontinue (ſparſim) ſiti a dominis (proprietariis) ſunt ſepiendi, aut alio modo defendendi.

§. 164. Ante feſtum natiuitatis Chriſti oues absque ſingulari agrorum poſſeſſorum conſenſu ad ſegetes teneras, paſcendi cauſa, agere non licet.

§. 165. Neque poſt feſtum natiuitatis eiusmodi paſtio poteſt admitti, niſi gelu ſit durum et aridum.

§. 166. In primis vero ad ſegetes, glacie lubrica et pruina obductas, oues paſcendi cauſa agere non licet.

§. 167. Simulac ſolum a glacie ſole liberatur, a ſegetibus ſunt oues arcendae.

§. 168. Menſe Februarii tempeſtate ſerena, duabus horis poſt ſolis ortum elapſis, in ſegetibus oues non amplius paſcere licet.

§. 169. De ordine, quo in agris nondum cultis, aut quorum fruges iam ſunt collectae, oues reliqua pecora, quae paſcere licet, ſequuntur, praeceptum valet legale §. 128.; et de temporibus, quibus ouium paſtura incipit, conſuetudines valent loci cuiusque receptae.

§. 170. Si ſilua in lignorum caedes aut partes caeduas (*Schläge oder Haue*) rite eſt diuiſa, atque in ea, legibus de re ſaltuaria conuenienter, ligna caeduntur; a locis, quibus arbuſculae tenerae creſcunt, pecora tamdiu ſunt arcenda, quamdiu metuendum eſt, ne arboribus teneris damnum inferant. De temporibus, quibus paſtura in ſiluis prohibetur.

Source : BIU Cujas

§. 171. Dominus quoque ſiluam, quam adhuc ſine ordine, non ad oeconomiae leges, caedendo deuaſtauit, in partes caeduas poteſt diuidere, et petere ab iis, quibus paſcendi ſeruitus competit, vt iis in tantum parcant, in quantum ad ſiluam conſeruandam eſt neceſſarium.

§. 172. Numerum partium ſiluae caeduarum, in quas ſilua eſt diuidenda, et tempus, ad quod a partium iſtarum quaque debeant arceri pecora, definiendum eſt ex natura ſoli, et lignorum generum, rei ſaltuariae peritorum iuratorum arbitrio.

§. 173. At vero, ſi tota ſilua fuerit deuaſtata, dominus tamen eam non totam poteſt vno eodemque tempore diuidere in partes caeduas, in quibus paſcere illicitum eſt; ſed diuiſio eo modo inſtituenda eſt, vt ſiluae reparatio ſenſim ſenſimque fieri poſſit, neque iis, quibus paſcendi ius eſt, ſubtrahatur paſtura pro numero pecorum, quae poſſunt iure alere.

§. 174. Si ſilua non poteſt reparari, niſi numerus pecorum, quae paſci poſſunt, deminuatur; ius paſcendi habentibus deminutio pecorum numeri tamdiu debet placere, quoad ex arbitrio rei peritorum iuratorum eſt neceſſaria.

§. 175. Agros paſcuos, quo ligna in iis creſcant, ſepiendi ius domino eatenus tantum competit, quatenus fieri poteſt, ſine vlla deminutione eorum, quibus iure paſcendi gaudentes carere non poſſunt.

§. 176. Si dominus plura loca, quam ex principiis antecedentibus ipſi licet, paſcuo velit ſubtrahere; et ſimul iis, quibus paſcendi ius in iis locis competit, ea, quae paſturae, ob caeduas partes maiores inſtituendas detrahuntur, alio loco commodo eo vſque aſſignare, donec pars caedua maior, ob arbuſculas teneras creſcentes paſcuo ſubſtracta, paſturae

Source : BIU Cujas

aperiri iterum possit; id a pascendi iure gaudentibus est concedendum.

§. 177. Si dominus iam tot loca, in quibus pascere non liceat, instituit, quot ei licet; noua eiusmodi loca instituere eatenus tantum potest, quatenus locorum, quibus non licuit pascere, totidem pascuis iterum aperiuntur.

§. 178. At in eo tamen casu praeceptum quoque obtinet §. 176.

§. 179. Loca, quibus non licet pascere, dominus fossis, septis, aut alio modo rite debet defendere, aut fines eorum et terminos saltem tam insigniter notare, aut ea signa iis apponere, vt pascendi ius habentes eos fines et terminos absque culpa leui propria transgredi non possint.

§. 180. Quod si fuerit factum, domino ius est pignerandi pecora, in ea loca transgressa.

§. 181. Emenda maior, in his pignerationibus soluenda, in legibus prouincialibus et in ordinatione rei saltuariae est definita.

§. 182. Pecunia, pro pigneratione soluenda, damni reparationem simul complectitur.

§. 183. At vero, si dominus pecunia sola, pro pigneratione soluenda, non contentus reparationem, secundum rei peritorum iuratorum aestumationem; adhuc poscit separatam damni, pascendo in loco, quo pascere non licet, dati; praeter hanc reparationem petere tantum potest pecuniam pro pigneratione soluendam ordinariam, in prouincia definitam.

§. 184. Ad emendam soluendam dominus pecorum, quae pauperiem fecerunt, tenetur, saluo regressu ad pastorem, cuius culpa siluae loca, in quibus pascere non licet, sunt laesa.

Source : BIU Cujas

§. 185. Si vero ſiluae dominus, ſecundum §. 183., ſeparatam damni reparationem exigit, pecorum dominus ſolitam tantum emendam praeſtat; et paſtoris culpam eatenus tantum, quatenus ſecundum generalia tituli ſexti principia, aliquis ad damnum ab aliis datum reſarciendum tenetur. (Tit. VI. §. 56. ſeqq.)

§. 186. Paſtores, opiliones, et ſerui alii, in ſiluae locis, vbi paſcere non licet, pecora paſcentes, aut pecora transgreſſa non confeſtim abigentes, praeter damni reparationem, ſecundum propiorem iuris criminalis definitionem, graui poena corporis affligantur, et pro re nata ad munitiones (*Feſtungsſtrafe*) damnentur. (Tit. XVIII. Sect. XV.)

V. De iure ſaginandi (*Maſtungsrecht.*)

§. 187. Ius ſaginandi in regula arborum domino competit, niſi leges prouinciales aliud expreſſe conſtituant.

§. 188. Saginatione durante in ſiluae locis (*Revieren*) in quae porci ad ſaginandum ſunt immiſſi, alia pecora paſcere non licet.

§. 189. Hinc pecora reliqua in iis locis, quibus porci ſaginantur, porcos demum in paſtura ſequuntur.

§. 190. Tempus, per quod in locis, quibus arbores ſaginariae deprehunduntur, paſcere non licet, in regula incipit a die Bartholomaei, et vſque ad feſtum natiuitatis Chriſti extenditur.

§. 191. Medio Auguſti, adhibito eo, cui ius eſt paſcendi, a rei ſaltuariae peritis eſt definiendum, vtrum glandium vbertas (*volle*) an glandium tantum copia minor adſit. (*Sprengmaſt.*)

§. 192. In iis vero locis, quibus arbores ſaginariae inueniuntur, a paſcendo non ſolum glandium vbertate exiſtente, ſed tunc quoque eſt abſtinendum,

Source : BIU Cujas

ſi glandium copia tantum eſt minor, quae domini neceſſitati, aut alienis porcis ad ſaginandum immittendis ſufficit.

§. 193. Si vero alicui ius ſaginandi in alieno foreſto tanquam ſeruitus competit; hic illud tantum in caſu vbertatis glandium in regula poteſt exercere.

§. 194. Si glandium tantum ſit copia minor (*wenn nur Sprengmaſt iſt*); legendis glandibus, ſaginis aliisque arborum ſilueſtrium fructibus, ad porcos alendos idoneis, contentus eſſe debet.

§. 195. Seruitus ſaginandi non continetur paſcendi ſeruitute, licet indeterminata.

§. 196. Qui ſeruitutem ſaginandi habet, ſiluae dominum, et eos, qui iure lignandi gaudent, impedire non poteſt, quo minus ſecundum principia foreſtalia arbores quoque ſaginarias caedant.

§. 197. Qui ſiluae lignis absque limitatione eſt vſus, in caſu dubio ſiluae dominus eſt habendus; at merus ſeruitutis poſſeſſor ille, cui limitatus tantum vſus competit. VI. De ſeruitute lignandi.

§. 198. Si omnes lignis aequali libertate aut limitatione ſunt vſi, omnibus ſiluae condominium eſſe praeſumitur.

§. 199. Si vero patet, in cuius dominio ſunt ſiluae arbores; et ſi fundi et ſoli dominium tantum eſt litigioſum, praeſumtio pro arborum domino valet.

§. 200. Qui arborum tantum eſt dominus, praeter ius lignandi et ſaginandi, alia fundi et ſoli iura arrogare ſibi nequit.

§. 201. Cui ſine limitatione aut determinatione propiori, tanquam ſeruitus, competit ius, neceſſaria ligna ex alterius ſilua capiendi; ei ius eſt, ligna non ſolum ad comburendum, ſed etiam ad aedificandum ex ſilua petendi.

Source : BIU Cujas

§. 202. Sed ius arundinis et cannae fecandae in regula ad lignandi ſeruitutem non pertinet.

§. 203. Quae ſeruitus lignandi indeterminata quoque reſtringitur ad neceſſitatem tantum fundi dominantis; et ius habens ſeruitute neque vti poteſt ad ligna vendenda, neque ad proſpiciendum aliis quos poſſidet, fundis, eo iure non gaudentibus.

§. 204. Qui ius lignandi habet, in plures annos anticipare non poteſt, quae poſtulat neceſſitas; ſed ea tantum ſeparatim poſcere in vſum anni cuiusque oeconomici.

§. 205. Ius lignandi, praedio tanquam ſeruitus indeterminate conceſſum, neceſſitatem poſſeſſoris perſonalem et eius familiae tum tantum complectitur, ſi in praedio dominanti habitat, non vero, ſi domicilium alio loco habet.

§. 206. Neceſſitas perſonalis conductoris aut oeconomi, in praedio habitantis, ſemper hoc iure lignandi continetur.

§. 207. Si praedii dominantis poſſeſſori expreſſe conceſſum eſt ius, ex ſilua capiendi ligna, quae eius neceſſitas perſonalis exigit; regulae de iure vtendi obtinent. (Tit. XXI.)

§. 208. Ius arbores ad aedificandum ex aliena ſilua capiendi, quatenus ſeruitus eſt, ad ea tantum extenditur, quae ſunt neceſſaria ad conſeruanda et reficienda aedificia, habitationi et oeconomiae deſtinata, quae tempore iuris conceſſi extiterunt.

§. 209. Hinc ſilua onerata ad exſtructiones nouas ligna non ſuppeditat.

§. 210. At vero, rerum ſtatu praedii dominantis ſic mutato, et neceſſitate ſic aucta, vt aedificia, quae iuris conceſſi tempore extiterunt, neceſſario ſint transferenda aut amplificanda; arbores ad aedificationem neceſſariae ex ſilua onerata poſſunt peti.

Source : BIU Cujas

§. 211. Ius lignandi, pago toti aut communi conceſſum, in regula tantum competit agros et domus poſſidentibus, at non inquilinis (*Einliegern oder Häuslingen*).

§. 212. Numerus incolarum, agros et domus poſſidentium, in domini ſiluae ſeruientis praeiudicium augeri non poteſt, ſi totum ſpectes, ſupra numerum, qui tempore fuit iuris conceſſi.

§. 213. Ordinem de re ſaltuaria praeſcriptum et eos obſeruare oportet, quibus ius competit caedendi arbores ad aedificandum et ad comburendum, caedendi ligna vtilia, et colligendi ſarmenta atque ramalia.

§. 214. Et hi inſcio eo, cuius curae commiſſa eſt ſilua, ligna neque caedendi neque deportandi ius habent.

§. 215. Ad ſarmenta et ramalia referuntur tantum rami emortui delapſi, et ſarmenta in ſiluae partibus caeduis exciſis relicta.

§. 216. Trunci aetate emortui et collapſi iis lignis adnumerantur, quae *Lagerholz* vocamus.

§. 217. Cui ius tantum competit, ſarmenta et ramalia colligendi, is neque ligna (quae vocamus *Lagerholz*) neque arbores ventorum vi fractas poteſt petere.

§. 218. Siluae domino ius competit, iis, quibus tantum ius eſt, ſarmenta et ramalia colligendi, certos ad lignandum dies determinandi, et praeter eos dies acceſſum ad ſiluam liberum interdicendi.

§. 219. Cui tantum ius eſt, ſarmenta et ramalia colligendi, illi non licet, in ſiluam ſecum portare dolabras, ſecures, aut inſtrumenta alia, quibus poſſunt arbores caedi, aut rami amputari.

§. 220. Quorum qui eiusmodi inſtrumento inſtructus deprehenditur, non ſolum inſtrumenti iactu-

Source : BIU Cujas

ram ſentit, ſed praeterea poenam adhuc commiſit, in legibus prouinciae foreſtalibus propius definitam.

§. 221. Ius ſtramen colligendi, aut taedam petendi, non continetur iure ſarmenta et ramalia colligendi.

§. 222. Qui lucri cupiditate impulſus maiorem ſarmentorum et ramalium copiam, quam exigit neceſſitas perſonalis et oeconomica, colligit et reſiduum vendit, primum dupli poenam ſubeat pretii, ex eo ligno exacti.

§. 223. In reiterationis caſu iuris iacturam per poſſeſſionis ſuae tempus ſentit.

§. 224. Quibus ſolum ius eſt, ſarmenta et ramalia colligendi, hi iſtis deficientibus arbores ſtantes, licet emortuas, petere non poſſunt.

§. 225. At vero, ſi ſiluae poſſeſſor in ſilua vtenda ea inſtituit et parauit, quibus ad irritum cecidit iuris ſarmenta et ramalia colligendi exercitium; ipſis arbores ſtantes in eorum neceſſitatem tamdiu debet aſſignare, donec ceſſat ſarmentorum et ramalium defectus.

§. 226. Ius lignandi habens dominum ſiluae excludere a ſiluae vſu non poteſt ſub praetextu, ligna ſibi et ſiluae domino non ſufficere.

§. 227. Quin potius, ſi ligna re vera non ſufficiant, vterque eorum, quorum intereſt, acquieſcere debet limitatione, ex vtriusque oeconomiae neceſſitate proportione aequa definienda.

§. 228. In quo tamen caſu, domini ius ligna ex ſilua vendendi quieſcit, vſque donec inopia ceſſat.

§. 229. Si ſiluae dominus ipſe lignorum inſufficientiae oeconomia mala et venditione immodica cauſa fuit; poſtponendus eſt ius lignandi habenti.

§. 230. Ei quoque, qui iure lignandi gaudet, ad praecauendam lignorum inopiam, ius eſt agendi, vt ſiluae dominus ſiluam in partes caeduas aequas diuidere cogatur.

Source : BIU Cujas

§. 231. Si ius lignandi ad certum tantum ligni genus eſt reſtrictum; hoc ius extinguitur, ſi ligni genus determinatum in ſilua non amplius exiſtit.

§. 232. At vero dominum ad plantandum hoc ligni genus impellere poteſt ius lignandi habens.

§. 333. Dominum, cuius culpa inopiae cauſam praebuit, ei, cui ius lignandi competit, damnum reſarcire oportet, vſque donec eiusdem generis ligna in ſilua iterum exiſtunt.

§. 234. Quae quidem damni reparatio in regula praeſtanda eſt lignis alius generis, ſecundum proportionem a rei ſaltuariae peritis definiendam, lignis autem deficientibus pecunia numerata.

§. 235. Si ſeruitus lignandi fuerit indeterminata, ſiluae dominus petere poteſt, vt ea intuitu arborum cremialium determinetur, ad certum lignorum aſſignatum ſ. deputatum, quod cum legitima vtendi ratione proportione aequa conueniat.

§. 236. Intuitu arborum, ad aedificandum aptarum, ea determinatio fieri non aliter poteſt, niſi amicabili partium compoſitione.

§. 237. Qui ius lignandi habet, ligna ad vſum neceſſarium ſibi aſſignata in regula quidem vendere nequit, ſed lignorum pretium, ſi ea vendiderit, ſiluae domino refundere debet;

§. 238. At vero, ſi ei ligna, quae vſus neceſſarius poſtulat, in loco tam remoto aſſignantur, vt iis apportandis vnius diei iter non ſufficiat; ſiluae dominum, facta denuntiatione, concedere oportet, vt ius lignandi habens ligna, quae vſus neceſſarius poſtulat, in propinquo ſibi comparet, et iis comparandis ligni aſſignati remoti pretium ſimul impendat.

§. 239. Quod ſi ſiluae dominus concedere non vult; loco ligni in natura, ius lignandi habenti, pretium ſecundum taxationem foreſtalem debet ſoluere.

Source : BIU Cujas

VII. Aliae seruitutum species.

§. 240. Ius s. seruitus calcis in fundo alieno coquendae non continet ius, ligna ad calcem coquendam necessaria gratis petendi.

§. 241. Ius in alieno fundo terrae fodiendae, lapides eximendi, luti fodiendi etc. semper eo modo est exercendum, vt agris, pratis, pascuis et lignorum plantationibus nullum inde damnum inferatur.

§. 242. Quibus seruitutibus exercendis, si loca (*Reviere*) certa definita non sunt assignata; ius habens seruienti propositum, ius suum exercendi, debet denuntiare, et assignationem loci idonei expectare.

§. 243. Cui ius est, in fundo alieno aedes, arbores, siluas habendi, is de iis domini instar libere potest disponere.

§. 244. Aedium fundamento, vt arborum radicibus, plene potest vti, excluso fundi domino.

§. 245. Iure etiam gaudet, aedificia incendio absumta, collapsa, aut alio modo destructa reficiendi, in arborum demortuarum locum alias substituendi; et silua secundum leges forestales vtendi, et eam meliorandi.

§. 246. Caeterum autem, qui ius habet, ad soli superficiem restringitur; neque loci spatium, quo huc vsque est vsus, potest augere, neque finem primarium concessum mutare, soli domino non consentiente.

§. 247. De iure decimas fructuum alienorum exigendi, occasione decimarum ecclesiasticarum agitur. (Part. II. Tit. XI. Sect. XI.)

§. 248. De iure venandi in fundo et solo alieno, vti de conuenandi iure, necessaria iam sunt supra praescripta. (Part. I. Tit. IX. §. 158-169.)

TITV-

Source : BIU Cujas

TITVLVS VICESIMVS TERTIVS.

De iure cogendi et bannario.

§. 1. Ius cogendi in ſenſu generali eſt ius, aliorum agendi libertatem in eius, cui ius competit, fauorem reſtringendi (coarctandi). Definitio et principia generalia.

§. 2. Hic vero ſub iure cogendi ius intelligitur, perſonis huic iuri obnoxiis interdicendi, ne res certas, ad vitae neceſſitatem pertinentes, ab vllo alio, quam iure gaudente, ſibi comparent, aut praeparandas curent.

§. 3. Eiusmodi ius cogendi et certis perſonis phyſicis aut moralibus poteſt competere, et cum poſſeſſione fundi cuiusdam eſſe coniunctum.

§. 4. Quatenus hoc ius ei, qui eo gaudet, in omnes certae regionis (diſtrictus) incolas, aut in certas eorum claſſes competit, ius vocatur bannarium.

Source : BIU Cujas

§. 5. Quae de iure in rebus alienis ſunt praecepta, valent quoque in regula de iure aliorum actiones reſtringendi. (Tit. XIX.)

§. 6. Quomodo iurium talium poſſeſſio poſſit acquiri, ſuo loco eſt definitum. (Tit. VII. §. 86. 87.)

§. 7. Ex eo ſolo, quod quis tempore vel longiſſimo immunitate, quae perſonis ſui ordinis competit, non fuit vſus, eius amiſſio colligi nequit.

§. 8. Si aliquis ius, ipſi excluſis caeteris competens, alteri exercendum concedit; inde nondum ſequitur, huius iuris exercitio ſe ipſum ſimul abdicaſſe, neque, in alterum transtuliſſe cogendi ius in alios, cum eo coniunctum.

§. 9. At vero, ſi alter, cui ius eſt conceſſum, eiusmodi iuris exercitium pacto oneroſo acquiſiuit; praeſumtio valet, concedentem ſe ipſum non quidem huius iuris exercitio, at iure tamen abdicaſſe, tertio eandem conceſſionem dandi.

§. 10. Si quis facultatem re, cui ius cogendi inhaeret, vtendi ſine reſeruatione alteri conceſſit, durante hoc vſu transferenti non licet, hoc ius ſimul vnquam exercere, per ſe ipſum, et per alios.

§. 11. Ex eo, quod respublica ad iuuandum mercatorem quendam aut fabricam prohibuit, quo minus merces exterae importentur, nondum ſequitur ius beneficio ornati, excludendi alios reipublicae incolas ab eiusdem generis mercaturae aut fabricae negotiis ſuſcipiendis.

§. 12. Intuitu iurium bannariorum, quae ius competenti, in certa loca (diſtrictum certum)

Source : BIU Cujas

a republica sunt concessa, valet praesumtio, ius habenti ius competere in omnes eorum locorum (eius districtus) incolas, sine discrimine ordinis aut iurisdictionis, cui sunt subiecti.

§. 13. Exceptiones intuitu certorum ordinum aut classium incolarum leges prouinciales determinant.

§. 14. Ius cogendi in se, nondum continet ius, incolis huic iuri obnoxiis interdicendi propriam praeparationem rerum, ad eorum necessitatem pertinentium.

§. 15. Si, qui ius habet cogendi, satisfacere obligati necessitati nequit; concedere illum huic oportet, vt alio modo sibi comparet res ad suam necessitatem pertinentes.

§. 16. At obligatus tamen, priusquam hoc iure (§. 15.) vtatur, ius habenti rite denuntiare debet necessitatem rerum necessariarum.

§. 17. Si is, cui ius cogendi competit, iure suo abutitur ad premendum obligatum; priuari eo potest, admonitione praeuia, sententia iudicis.

§. 18. Si plures iuris, quo quis est abusus, sunt participes; is poena tantum afficitur, qui vsus mali se reddidit reum.

§. 19. Si plures, quibus ius competit, ius cogendi communiter exercuerunt; abutenti in posterum non licet, hoc ius simul cum caeteris exercere.

§. 20. At vero, si iuris exercitium inter se diuiserant; personae, abutenti huc vsque obligatae, a iure cogendi liberantur.

Source : BIU Cujas

§. 21. Si ius cogendi inhaesit fundo, qui non fuit in libero abutentis dominio; exercitium iuris tamdiu tantum quiescit, quamdiu abutentis ius possidendi durat.

§. 22. Iura etiam cogendi et bannaria praescriptione per non-vsum possunt extingui. (Tit. VII. §. 128. Tit. IX. §. 543. 544. 578.)

I. De molendinis bannariis.

§. 23. Quomodo ius molendinorum acquiratur, suo loco est definitum. (Part. II. Tit. XV. Sect. V.)

§. 24. Ex iure molendini habendi nondum sequitur ius, alios cogendi, vt eo vtantur ad conterenda sua frumenta.

§. 25. In regula tamen quaelibet pagi vniuersitas obligatur, vt molendino eiusdem pagi vtatur.

§. 26. Si in eodem pago plura molendina existunt; pagi incolis est electio, quod eorum velint frequentare.

§. 27. Quorum vero si vnum tantum est domini pagi, in regula hoc reliquis est praeferendum.

§. 28. Si pagi plures vno subsunt domino, molendina plura habenti; pagi incolae non adstringuntur ad conterendum suum frumentum in pagi sui molendino, sed alio quoque eiusdem domini molendino possunt vti.

§. 29. At contra, dominus plura molendina habens ad conseruandum ordinem potest constituere, cui molendino quisque pagi paterfamilias obligetur.

§. 30. Quae tamen praecepta omnia (§. 26-29.) eatenus tantum obtinent, quatenus vni aut alteri molendini possessori ius cogendi verum non est concessum.

Source : BIU Cujas

§. 31. Quatenus ex legibus communibus aut prouincialibus exemti quoque banno molendinario ſunt ſubiecti; eatenus ii, qui in pago degunt, ſe debent ſubmittere praedii domini iuribus in antecedentibus expoſitis.

§. 32. Poſſeſſori molendini bannarii ius eſt, frumentum ab obligatis (hoſpitibus banno ſubiectis *Zwangsmahlgäſten*) iugo ſuo deducendi, et remittendi, quod impedire non magiſtratus, aut alii loci molitores poſſunt. Ius et obligationes poſſeſſoris molendini bannarii.

§. 33. Ad quod tamen praeſtandum eatenus tantum eſt obligatus, quatenus eam obligationem expreſſe in ſe ſuſcepit; aut in aeſtumatione molendini, quod iure locationis conductionis perpetuae poſſidet, ſumtus ad iugum alendum ſunt deducti.

§. 34. Molendini bannarii poſſeſſor obligatur, vt obligatorum (banno obnoxiorum) frumenta primo quoque tempore commolat.

§. 35. Mola vtentium (hoſpitum) frumenta ſecundum ordinem, quo frumenta attulerunt, molendo ſunt conterenda; at obligatorum (banno obnoxiorum) tamen, et ex his piſtorum, frumenta prius, quam eorum, qui ſponte ad molendinum veniunt.

§. 36. Obligatus (banno molendinario obnoxius) non obligatur ad operis abſolutionem plus triduo expectandam.

§. 37. Si molitor frumenta obligatorum intra hoc temporis ſpatium commolere nequit; his eum oportet teſtimonium dare ſcriptum, quo iis permittitur, vt alio molendino vtantur. Caſus, quibus ceſſat obligatio ad molendinum bannarium eundi, et vbi obligati alio molendino vti poſſunt.

§. 38. Sine eiusmodi inſtrumento productio molitori nulli licet, recipere molendino alii obligatos.

Source : BIU Cujas

§. 39. Quod teſtimonium ſi molitor dare denegat; iudicium loci paganum molitoris ſumtibus teſtimonium exhibere obligato debet, eum per tempus legitimum opus perficiendum fruſtra expectaſſe.

§. 40. Si obligati (banno ſubiecti) ob belli, latrocinii, inundationis aut aliud periculum frumenta non tuto ad molendinum bannarium poſſunt apportare, iis ius eſt, vel ſine veniae documento alio loco molendi.

Effectus legales, ſi in molendino farina ſatis proba non conficiatur.

§. 41. Si in molendino non conficitur farina bona et proba, molitor molendinum bannarium habens proportione aequa eſt puniendus, aut pro re nata priuandus eſt iure bannario, modo §. 17-21. propius definito.

§. 42. Si poena in ordinationibus molendinariis ſpecialibus non ſit propius definita; ea primo in ſimplum, ſecundo in duplum, et tertio in quadruplum damni illati eſt conſtituenda; at caſu deinde iterato iure ſuo molitor priuandus.

§. 43. Si molitor, eo modo iure ſuo priuatus, eſt poſſeſſor ex iure locationis conductionis perpetuae aut emphyteuſeos; domino directo emphyteuſeos aut locatori perpetuo ius eſt eum compellendi, vt molendinum aut ius conductionis perpetuae, ſi opus fuerit, iudiciali ſubhaſtatione vendat.

§. 44. Si tantum eſt conductor temporarius, locatori ius competit, eum conductione expellendi iam ante elapſum tempus, contractu definitum.

§. 45. Quae in antecedentibus ſunt praecepta, ſi in molendino bannario non conficiatur farina proba, locum etiam habent, ſi molitor obligatos defraudat, aut modo illegitimo onerat.

Source : BIU Cujas

§. 46. Speciatim vero, ſi mercedis modos et taxationes excedit, a prouinciali politiae inſtantia praeſcriptos.

§. 47. Obligatus, qui ſine cauſa legitima alio vtitur molendino, ius habenti refarcire debet mercedem inde ſubductam, ſiue in pecunia conſiſtat, ſiue in frumento. Poena obligatorum, ſine iure alio molendino vtentium.

§. 48. Praeter ea committit multam pecuniariam aequam (proportionatam), cuius determinatio propior legibus reſeruatur prouincialibus et ordinationibus molendinariis.

§. 49. Quae vbi nihil conſtituunt, poena definienda eſt in ſummam eius, quod ſecundum §. 47. refarciendum eſt ei, cui ius cogendi competit.

§. 50. Molitor quoque, qui ſine iure frumenta alieno molendino obligatorum commolit, poenam commiſit, ex iisdem principiis definiendam.

§. 51. Qui ius cogendi habens, ius ſuum in alterum tranſtulit, aut plenum eius vſum alteri conceſſit, ipſe in molendini bannarii diſtrictu degens, obligatus (iuri bannario obnoxius) eſt cenſendus.

§. 52. Ius molendinarium bannarium in aliud molendinum neque in perpetuum neque ad tempus poteſt transferri, ſimulac inde obligatis incommodum maius enaſceretur.

§. 53. Ius braxandi eſt ius, cereuiſiam vendendi cauſa coquendi. II. De iure braxandi et cereuiſiam vendendi, iure cauponae cereuiſiariae, et iure cauponae cereuiſiam ſuppeditandi.

§. 54. Ius cereuiſiam vendendi continet ſimul ius, cereuiſiam et in doliis cereuiſiariis et in quantitate minori vendendi.

§. 55. Ius cauponae cereuiſiariae tantum complectitur ius cereuiſiam in poculis vitreis, ampullis (*Flaſchen*) aut alia quantitate minore vendendi.

Source : BIU Cujas

§. 56. Ius cauponae cereuiſiam ſuppeditandi (*Krugverlag*) conſiſtit in iure, cauponae cuidam cereuiſiam ibi vendendam procurandi.

§. 57. Neque ius cereuiſiam coquendi neque ius eam vendendi in ſe, ius cogendi complectitur.

§. 58. At contra ius, cauponae cereuiſiam ſuppeditandi (*Krugverlag*), complectitur ius, cauponae cereuiſiariae poſſeſſori interdicendi, ne potum vendendum aliunde arceſſat.

§. 59. Cui in locis certis (diſtrictu certo) ius braxandi excluſis caeteris competit, ei ius eſt interdicendi, ne cereuiſia alia vlla intra eum diſtrictum coquatur, neque importetur cereuiſia extra diſtrictum hunc cocta.

§. 60. Cereuiſia peregrina, cuius importationem res publica in genere non interdixit, poteſt quoque importari in diſtrictum, quo quis cereuiſiae coquendae ius excluſis caeteris habet, at non niſi in propriam importantis conſumtionem.

De braxatione priuata, et de potu domeſtico.

§. 61. Diſtrictus, iuri cereuiſiario bannario obnoxii, incolis ius competere, cereuiſiam braxandi in potum domeſticum, aut coquendi cereuiſiam ahenariam (*Keſſelbrauerey*), in regula non praeſumitur.

§. 62. Vbi ius coquendae cereuiſiae ahenariae locum habet, ibi ius tantum complectitur, cereuiſiam in vſum proprium coquendi.

§. 63. An ſub iure coquendi cereuiſiam in potum domeſticum ius quoque contineatur potum alio modo, quo libuerit, comparandi, in legibus prouincialibus determinatur.

§. 64. In quibus quoque conſtituitur, quibus incolis, in diſtrictu, quo quis braxandi ius excluſis caeteris habet, degentibus, ius competat, coquendi cereuiſiam

Source : BIU Cujas

ahenariam, aut ius coquendi potus domeſtici; et qua ratione, et quibus temporibus haec iura poſſint exerceri.

§. 65. Ius cereuiſiam coquendi, alicui vel excluſis caeteris competens, nondum in ſe complectitur ius contradicendi cauponis nouis in eo diſtrictu conſtituendis, et iam conſtitutis in alium locum transferendis. Rationes iurium antecedentium, quatenus ſunt iura bannaria.

§. 66. At vero, cui ius cereuiſiam vendendi excluſis aliis competit, is non ſolum interdicere poteſt, ne nouae cauponae cereuiſiariae in ſuo diſtrictu conſtituantur, ſed etiam, ne cauponae iam conſtitutae, licet extra diſtrictum iacentes, in manifeſtum damnum ſuum in alium locum, in ſuo diſtrictu, aut extra eum transferantur.

§. 67. Vbi plures eiusdem iuris participes in quodam diſtrictu ad exercendum ius vendendi cereuiſiam excluſis caeteris ſunt conſtituti; cuique eorum competit idem ius contradicendi, ſi quis ſociorum cauponam cereuiſiariam in alium locum velit transferre.

§. 68. Qui iure cereuiſiam coquendi gaudet non ad propriam conſumtionem reſtricto, ei in regula ius quoque competit, cereuiſiam ſuam diſtrahendi, et in doliis vendendi.

§. 69. At contra ex iure cereuiſiam vendendi nondum ſequitur ius cereuiſiam coquendi.

§. 70. Si in vno eodemque diſtrictu alteri ius braxandi competit, alteri ius cereuiſiam vendendi excluſis caeteris; illi ne ius quidem competit cereuiſiam in officina ſua cereuiſiaria vendendi.

§. 71. Ex eo, quod is, cui ius braxandi aut cereuiſiam vendendi competit, alteri ius cauponae cereuiſiariae (ſ. cereuiſiam vendendi) conceſſit, non-

Source : BIU Cujas

dum sequitur, eum se huius iuris exercitio pro sua persona simul abdicasse.

§. 72. Si vero, cui ius est cauponae cereuisiariae (s. cereuisiam vendendi), ius suum pacto oneroso acquisiuit; in casu dubio statuendum est, concedenti ius non competere, idem ius aliis quoque concedendi.

§. 73. Ex iure braxandi in regula sequitur ius, officinam cereuisiariam, et aedificia polentaria et torrefactoria propria habendi.

§. 74. Si vero loco quodam officina cereuisiaria communis existit, valet praesumtio, omnes, quibus ius braxandi eo loco competit, obligatos esse, vt ea vtantur.

§. 75. Qui iure gaudet exclusis caeteris, certo districtui potum suppeditandi, curare debet, vt eius copia sufficiens, et quidem qualitatis probae possit comparari.

§. 76. Cui obligationi suae si non conuenienter agit; politiae poenis rebus circumstantibus proportionatis est impellendus, vt obligationi satisfaciat.

§. 77. Atque etiam, simulac, iure braxandi gaudens cereuisiam malam et inutilem coquit, obligatis (iuri bannario subiectis) a loci iudicio, denuntiatione ante examinata et cognita, sine recusatione vlla concedenda est venia, potum aliunde arcessendi.

§. 78. Quae venia durat, vsque donec iure braxandi gaudens probauit, se iterum coquere cereuisiam vtilem et bonam.

§. 79. Si is, qui mala cereuisia coquenda eiusmodi iudicialis decreti semel saepius causam praebuit, ius braxandi vi emphyteuseos, locationis conductionis perpetuae aut temporariae possidet; praecepta §. 43. 44. locum obtinent.

Source : BIU Cujas

§. 80. Nulli eorum, cui ius eſt cereuiſiam coquendi aut vendendi, ius competit, cereuiſiam ſuam in diſtrictum alium, tertii banno ſubiectum, exportandi aut circumferendi.

§. 81. Quod ſi fecerit, poenam in politiae et vectigalium (acciſiae) legibus definitam ſibi contrahit.

§. 82. Vbi propior poenae determinatio deficit, poena conſtituenda eſt confiſcatio cereuiſiae aut pretii pro ea ſoluti.

§. 83. At contra, cereuiſiam coquendi et vendendi iure gaudenti interdici nequit, ne alterius iuri cogendi ſubiectis, extra eorum diſtrictum, in ſua caupona cereuiſiaria, vendat potus, ab iis in ea conſumendos.

§. 84. Scienti tamen non licet, eiusmodi obligatis cereuiſiam exhibere, quam in diſtrictum alienum bannarium importent.

§. 85. Quod ſi fecerit, poenas commiſit ſecundum §. 81. 82. definiendas.

§. 86. Iura braxandi vrbana, fundis certis cohaerentia, ſine his fundis alienari non poſſunt.

§. 87. At vero is, cui ius eſt, exercitium iuris ſui in tempora et caſus tertio poteſt concedere.

§. 88. Cui merum ius eſt cauponae cereuiſiariae (ſ. cereuiſiam vendendi), ideo nondum iure gaudet, cereuiſiam in doliis vendendi.

§. 89. Ius cereuiſiam vendendi in obligati (iuri cogendi obnoxii) perſonam exerceri tantum poteſt intra diſtrictum aſſignatum.

§. 90. Quidquid de iure braxandi (ſ. cereuiſiam coquendi) et aliis iuribus, ad illud relatis, praeceptum eſt; valet quoque de iure coquendi vinum aduſtum. III. De iure vinum aduſtum coquendi.

Source : BIU Cujas

§. 91. Ius vinum aduſtum coquendi, licet cuidam excluſis caeteris competat, in ſe non continet ius, excluſis caeteris vinum aduſtum deſtillatione artificioſa acrius reddendi, aut ſiceras alias (potus tus ſpirituoſos alios) conficiendi.

§. 92. At iuri cogendi obnoxio eiusmodi ſiceras (potus ſpirituoſos) in proprium tantum vſum conficere licet; et vinum aduſtum ad ſiceras conficiendas neceſſarium ab eo, cui ius cogendi competit, debet arceſſere.

Iura eius qui iure coquendi ahenario, et conficiendi potum domeſticum gaudet.

§. 93. Cui ius braxandi ahenarium, aut coquendi potum domeſticum competit, hoc iure quoque vti poteſt in nuptiis celebrandis, in conuiuiis baptiſmalibus, et epulis funebribus, pro ſe et ſuis liberis domi degentibus; quatenus ipſi intuitu temporis, modi, aut quantitatis reſtrictiones ſpeciales praeſcriptae ſunt nullae.

§. 94. Neque iure braxandi ahenario, neque iure conficiendi potum domeſticum gaudenti, potum ab ipſo confectum operariis in ſolutum dare licet.

§. 95. Famulitio et operariis mercenariis eiusmodi potum, praeter mercedem, gratis exhibere cuilibet licet.



Source : BIU Cujas